

יהוה


INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

HERODOTI

HALICARNASSEI

HISTORIARUM

LIBRI IX,

MUSARUM NOMINIBUS INSCRIPTI;

LATINE,


EX LAUR. VALLAE INTERPETATIONE.

CUM INDICIBUS.

VOLUMEN II.

LIPSIAE,

APUD SCHWICKERTUM, MDCCCXX.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
AUG 31 1961

HERODOTI
HALICARNASSEI HISTORIARUM

LIBER PRIMUS,

QUI INSCRIBITUR

CLIO.

Herodoti Halicarnassei historicae inquisitionis specimen hoc est: ut neque ea, quae facta sunt ab hominibus, tempore exolescant, neque ingentia et admiranda opera, vel a Graecis edita vel a barbaris, gloria fraudentur, cum alia, tum vero etiam qua de causa inter se belligeraverint.

1. Persarum quidem igitur docti memorant dissensionis auctores exstitisse Phoenicas, qui a mari, quod Rubrum vocatur, in hoc nostrum profecti, et hanc incolentes regionem, quam nunc quoque incolunt, longinquis continuo navigationibus incubuerunt: sic deportandis mercibus Aegyptiis et Assyriis cum in alias plagas, tum etiam Argos pervenerunt. Argos vero ea tempestate omnibus civitatibus regionis, quae nunc Graecia nominatur, antecellebat. Huc porro appulsos Phoenicas mercimonia venum dedisse: et quinto sextove quam appulissent die, cunctis fere divenditis, feminas ad mare venisse cum alias multas, tum vero regis filiam, cui nomen esset idem quod Graeci tradunt, Io filiam Inachi. Dumqne hae feminae puppi navis assistentes ea mercarentur, quae cuiusque studium maxime ferebat, Phoenicas sese adhortatos in eas impetum fecisse: et ipsarum plerisque aufugientibus, Io cum aliis raptam fuisse: eisque in navem impositis Phoenicas in Aegyptum vela fecisse.

2. Sic quidem Io in Aegyptum pervenisse referunt Persae, non quemadmodum Graeci; et hoc injuriarum principium exstitisse. Post haec Graecorum quosdam, quorum nomen non possunt memorare, narrant Tyrum

appulsos, filiam regis rapuisse Europam: fuerint autem isti Cretenses. Sic illis par pari repensum. Verum postea Graecos secundae iniuriae auctores exstitisse. Longa enim nave vectos ad Aeam urbem Colchidis et ad Phasim fluvium, illinc, quum cetera transegissent, quorum gratia venerant, rapuisse filiam regis Medeam; quumque ad poenas de raptu petendas, et filiam reposcendam rex Colchorum caduceatorem misisset, Graecos respondisse, ut illi de raptu Ius Argivae poenas sibi non dedissent; nec se igitur illis daturos.

3. Secunda dehinc aetate ferunt, Alexandro Priami filio, quum ista audisset, voluntatem incessisse uxoris sibi per rapinam e Graecia comparandae, certum habenti omnino se poenas non daturum; nec enim illos dare. Ita quum is Helenam rapuisset, visum esse Graecis, primum missis nunciis et Helenam repetere, et poenas de raptu poscere; illos vero, quum hi ista denunciavissent, protulisse ipsis raptum Medeae: tanquam qui, quum nec poenas dedissent, nec tradidissent quum reposceretur, vellent ab aliis sibi poenas dari.

4. Huc usque igitur inter eos mutuis solis rapinis actum. Ab hoc autem tempore quod accidit, Graecos omnino praecipue auctores exstitisse, qui priores in Asiam quam ipsi in Europam, militatum venire incepissent. Se quidem sentire iniquorum virorum factum esse rapere feminas; amentium vero, raptis ulciscendis operam dare: prudentium autem, nulla cura prosequi raptas; manifestum enim esse, si illae non voluissent, nequaquam futurum fuisse, ut raperentur. Se quidem omnino ex Asia feminarum raptarum Persae negant ullam habuisse rationem: Graecos autem Lacedaemoniae mulieris gratia ingentem collegisse classem, et mox in Asiam profectos, imperium Priami evertisse: ex eo tempore semper existimasse sibi hostes esse Graecos. Siquidem Asiam et barbaras gentes, quae incolunt, Persae sibi vindicant, Europam vero et Graecos putant seductos.

5. Hunc in modum Persae memorant accidisse, et Ilii excidium sibi hostilis irae in Graecos extsitisse principium comperiunt. Cum quibus non consentiunt de Io Phoenices, quam negant se in Aegyptum duxisse raptu usos, sed eam apud Argos cum nauclero navis rem habuisse: et quum se gravidam esse comperisset, veritam parentes, sic volentem ipsam cum Phoenicibus enavigasse, ne detegeretur. Et haec quidem Persae Phoenicesque referunt: ego vero, utrum ista sic gesta sint, an aliter, non pluribus persequar. Ceterum quem ipse novi primum coepisse inferre Graecis iniuriam, hunc ubi in-

dicavero, sermone ulterius progrediar, tam parvas urbes civitatesque commemorando quam magnas. Nam quae olim magnae erant, earum permultae factae sunt parvae: rursus, quae mea memoria magnae erant, prius fuerant parvae. Igitur quum sciam humanam felicitatem nequaquam in eodem tenore perstare, utrarumque mentionem habebo.

6. Croesus genere quidem fuit Lydus, filius autem Alyattis, tyrannus vero nationum quae intra Halyn amnem sunt. Hic a meridie Syros ac Paphlagonas interfluens, versus ventum aquilonem, in pontum quem vocant Euxinum exit. Iste Croesus, e barbaris, quos novimus, primus, alios Graecorum ad tributum pendendum adegit, alios sibi amicos conciliavit. Subegit quidem Ionas, Aeolenses, et qui sunt in Asia Dorienses: amicos autem fecit Lacedaemonios, quum ante eius imperium universi Graeci liberi fuissent. Nam Cimmeriorum adversus Ioniam expeditio vetustior illa Croeso, non urbes expugnavit, sed per incursionem egit praedas.

7. Ceterum principatus quum esset Heraclidarum ad genus Croesi, qui vocabantur Mermnadae, sic pervenit: Candaules, is quem Graeci Myrsilum nominant, Sardium fuit tyrannus, ab Alcaeo Herculis filio oriundus, Siquidem Heraclidarum primus, Sardium rex extitit Agron; Nini filius, Beli nepos, Alcaei pronepos; novissimus, Candaules Myrsi filius: quum ante Agronem, qui in ea regione regnaverant, fuissent oriundi a Lydo Atyis filio, a quo totus is populus cognominatus est Lydius, quum Meon antea vocaretur. Ab his praefecti Heraclidae, imperium ex oraculo adepti sunt, Iardani ancilla et Hercule geniti; idque per quingentos et quinque annos, duas et viginti virorum aetates, tenuerunt, filius patri deinceps succedens, usque ad Candaulem Myrsi filium.

8. Hic igitur Candaules uxoris suae amore tenebatur, eamque deperiens arbitrabatur sibi uxorem omnium esse pulcherrimam. Hoc ita esse sibi persuadens, apud Gygem, Dascyli filium, ex satellitibus suis (erat enim is maxime ipsi acceptus, eoque in rebus magis arduis utebatur Candaules) formam quoque uxoris supra modum extollebat. Ad quem non multo interiecto tempore (necesse namque erat ei male evenire) inquit his verbis, „Gyges, non enim opinor te mihi fidem habere referenti de conjugis forma: (quod magis incredulae sunt hominibus aures quam oculi) fac illam conspicias nudam.“ Hic autem vehementer exclamans „Quemnam, inquit, here, sermonem profers haudquaquam sanum, qui me iubes inspicere heram meam nudam? Mulier exuta tunica

et verecundiam pariter exuit. Iam olim hominibus sunt honesta excogitata, unde discere debemus: in quibus hoc unum est, sua quemque inspicere debere. Ego vero tibi fidem habeo, illam esse feminarum omnium speciosissimam, teque oro ne me ores illicita.

9. Atque haec dicendo Gyges repugnabat, pertimescens nequid sibi ex his mali contingeret. Cui vicissim ille his verbis, „Fidens, inquit, esto Gyges: neque time aut me, quasi utar hoc sermone tentaturus te; aut uxorem meam, nequid tibi ex ea detrimenti creetur. Omnino enim sic ego machinabor, ut illa ne deprehendere quidem possit se conspectam abs te. Te namque secundum apertam ianuam cubiculi, in quo cubamus, collocabo. Ubi ego fuero ingressus, aderit et uxor mea in cubiculum: iuxta cuius introitum sella posita est, super quam vestes illa, ut quamque exuit, reponet, sese per multum otium spectandam praebens: quae quum a sella in lectum ibit, et a tergo eius eris, curae tibi sit deinceps, ne te per fores abeuntem conspiciat.“

10 Gyges igitur, ubi effugere non potuit, fuit paratus: quem Candaules, posteaquam tempus cubandi videbatur adesse, in cubiculum duxit; statimque post et uxor adfuit. Ingressam ac vestimenta ponentem Gyges intuitus, ubi aversa fuit illa in lectum vadens, ipse prorepens foras abiit: et interea exiens a muliere conspectus est. Haec ut didicit quid a viro actum, neque exclamavit pudore retenta, neque visa est animadvertisse, habens in animo Candaulem ulcisci. Apud Lydos enim, et fere apud ceteros quoque barbaros, etiam virum conspici nudum magno probro est.

11. Ita quidem tunc nihil aperiens, silentium tenuit: mox autem simul ac dies illuxit, quos servorum maxime sibi fideles intelligebat esse, quum praeparasset, Gygem arcessit. Hic vero eam nihil suspicans scire eorum quae acta erant, arcessitus venit: quippe et antea solitus, quoties vocaret regina, accedere. Ut venit, his verbis mulier inquit; „Nunc duabus tibi praesentibus viis, Gyges, concedo electionem, in utram velis vertere. Aut enim me pariter ac regnum Lydorum habe, ubi Candaulem interfeceris, aut teipsum continuo occumbere sic oportet: ne omnia Candauli obsequens, posthac videas quae te non decet. Sed aut illum, qui ista consuluit, interire opus est: aut te, qui nudam me es conspicatus, et illicita fecisti.“ Ad haec verba Gyges primum obstupefactus, postea obsecrare illam, ne se necessitati illigaret diiudicandae talis electionis. Ubi non persuadet, sed utique propositam necessitatem cernit aut perdendi herum, aut per alios

pereundi, elegit ut ipse superesset: atque ita percontans illam, inquit, „Quandoquidem me adigis invitum ad herum meum occidendum, age, audiam quo etiam pacto illum adoriemur.“ Excipiens illa, „Ex eodem quidem, inquit, loco adoriendus erit, unde et ille me nudam ostendit: in sopitum autem impetus dabitur.“

12. Posteaquam igitur insidias instruxerunt, et nox advenit, (non enim dimittebatur Gyges, neque illi ulla devitandi facultas erat, sed necesse perire aut ipsum aut Candaulem) mulierem in thalamum sequitur, quem illa, dato pugione, subter easdem fores occulit: unde postmodum procedens, quiescentem Candaulem obtruncat, uxoreque et regno potitus est Gyges. Cuius et Archilochus Parius, qui per idem tempus fuit, in iambo trimetro meminit.

13. Obtinuit autem regnum Gyges, et in eo fuit confirmatus ab Delphico oraculo. Nam quum Lydi indigno animo ferrent Candaulis casum, atque in armis essent, convenit inter hos ac factionem Gygianam, ut, si oraculum respondisset hunc esse regem Lydorum, ipse regnaret: sin minus, principatum Heraclidis restitueret. Accepto igitur oraculo Gyges ita regnavit. Attamen tantum dixit Pythia, Heraclidis ultionem in abnepotem Gygis esse venturam. Quod vaticinium neque Lydi neque ipsorum reges ullius momenti fecerunt, priusquam exitu comprobatum est.

14. Hunc in modum obtinuere tyrannidem Mermnadae, fraudatis ea Heraclidis. Gyges, tyrannidem nactus, Delphos donaria misit non pauca; sed quamplurima ex argento donata sunt ab illo Delphis. Et praeter argentum, immensam vim auri dedicavit: posuitque cum alia, tum vero, quod praecipue mentione dignum est, crateras aureos, numero sex, pondo triginta talentorum: qui in Corinthiorum thesauro collocati sunt. Licet is thesaurus, si vera loquar, non Corinthiorum publici sit, sed Cypseli Eetionis filii. Hic vero Gyges, barbarorum quos ipsi novimus primus, munera apud Delphos posuit, secundum Midam Gordii filium, Phrygiae regem. Nam et Midas dedicavit regiam sellam, in qua praesidens ius dicebat, spectatu dignam: sella autem ista eodem, quo Gygae crateres, loco posita. Auri sane ille et argenti, quod Gyges posuit, cumulus vocitatur a Delphis Gygadas, cognomine ejus qui donavit. Et hic igitur, postquam imperio potitus est, arma intulit Mileto et Smyrnae, urbemque Colophonem cepit. Nec aliud ullum magnum facinus ab eo gestum est, quum duodequa-

draginta annos regnaverit. Hunc quidem nos, his duntaxat de eo memoratis, missum faciemus.

15. Ardyis autem eius filii faciam mentionem, qui post Gygem regnavit. Hic Prienenses expugnavit, et Miletum invasit: quo Sardium tyrannidem obtinente, Cimmerii a Scythis Nomadibus eiecti e sedibus, in Asiam transierunt, Sardesque praeter arcem ceperunt.

16. Quum autem undequinquaginta regnasset annos, successit Sadyattes Ardyis filius, regnavitque annis duodecim. Sadyattae successit Alyattes, qui et cum Cyaxare Deiocis nepote bellavit ac Medis, et Cimmerios exegit ex Asia, Smyrnam etiam a Colophone conditam cepit, et Clazomenas invasit. Unde non prout volebat discessit, sed vehementer offendens. Alia quoque opera, dum regnum tenuit, dignissima memoratu edidit, quae haec sunt.

17. Bello quod gessit cum Milesiis a patre traditum, hac ratione Miletum illuc progressus obsidebat: dum fruges in regione erant copiosae, tunc exercitum immittebat, faciens expeditionem ad cantum fistularum, fidiumque, ac tibiae tam muliebris quam virilis. Quumque in agrum Milesium pervenerat, non aedificia quae in agris erant, diruere, non incendere, non fores effringere, sed incolumes esse passim sinere: arboribus modo fructibusque regionis pervastatis, retro se recipiebat. Nam Milesii mare obtinebant, ut opus non esset exercitui illic considere. Aedificia autem Lydus non evertebat idcirco, ut et Milesii possent inde progressi humum serere colereque; et quum hoc illi fecissent, ipse invadens haberet aliquid quod popularetur.

18. Haec faciens, undecim bellavit annis; per quos duo ingentia vulnera accepere Milesii: unum, in Limeneio (quod est ipsorum regionis) pugna commissa, alterum in campo Maeandri. Horum undecim annorum sex adhuc apud Lydos regnabat Sadyattes Ardyis filius, qui cum exercitu terram Milesiam tunc invasit, et idem bellum conflavit: quinque reliquis, qui eos sex sequebantur, eius filius Alyattes bellum quod a patre acceperat, ut a me superius commemoratum est, intentius administravit: in quo bello Milesios nulli Ionum sublevaverunt, praeter Chios solos; reddentes ita vicem, quod antea Milesii Chiis bello contra Erythraeos auxilia tulissent.

19. Duodecimo autem anno incensis ab exercitu segetibus, hoc rei fieri contigit: Segetes ut celerrime conceperunt ignem valido urgente vento, is corripuit Minervae templum, cognomine Asseiae, quo incendio id de-

flagravit. Neque ullius momenti ea res tunc habita est; sed quum post exercitus reditum Sardes Alyattes decubuisset, diuturniusque aegrotaret, Delphos misit deum de valetudine sciscitaturos, sive alieno sive suopte consilio ad mittendum inductus. Nunciis autem, quum Delphos pervenissent, se reddituram responsum Pythia negavit, priusquam templum Minervae reparassent, quod in terra Milesiorum apud Assesum concremassent.

20. Ita actum esse ego ex Delphis audiendo novi: sed Milesii his illa adduut, Periandrum, Cypseli filium, quum audisset oraculum Alyattae redditum, misso nuncio indicavisse Thrasybulo, tunc Milesiorum tyranno (cuius arctissimo utebatur hospitio) admonentem, ut aliquid prospiciendo sibi consuleret in praesens. Milesii quidem ita id gestum memorant.

21. Alyattes autem, ubi haec ipsi nunciata sunt, confestim caduceatorem Miletum mittit, ad ineundas cum Thrasybulo et Milesiis pactiones tantisper dum templum aedificaret. Et hic quidem nuncius Miletum venit. Thrasybulus vero, quum omnem sermonem ante praedidicisset, nossetque quaenam Alyattes facere statuisset, huiuscemodi rem machinatur. Quod frumenti in urbe erat vel suum ipsius vel privatorum, id omne in forum congerit: praecipitque Milesiis, ut quum ipse signum dedisset, cuncti potarent, et inter se comessationibus uterentur.

22. Haec Thrasybulus ea gratia fecit praecepitque, ut caduceator Sardianus cernens ingentem frumenti acervum effusum, et homines oblectationibus vacantes, renunciaret Alyattae. Quod et contigit: nam ut illa conspexit caduceator, Thrasybuloque Lydi mandata exposuit, reversus est Sardes: et (ut ego audio) ob nihil aliud inter eos pacificatum est. Sperans enim Alyattes vehementem penuriam frumenti Mileti esse, et populum ad extremum usque malorum devenisse, ex reverso illinc caduceatore audiebat contraria atque ipse fuerat opinatus. Post haec inter eos ita conventum est, ut mutuo hospites essent ac socii; proque uno duo delubra apud Assesum Minervae aedificavit Alyattes, etiam ipse ex morbo convaluit. Et quae ad bellum quidem Alyattis cum Milesiis atque Thrasybulo pertinent, ita habuere.

23. Periander autem Cypseli filius, fuit is qui Thrasybulo indicavit oraculum, Corinthi tyrannus: cui maximum miraculum fuisse oblatum populares sui praedicant, et his Lesbii assentiuntur. Arionem Methymnaeum delphino insidentem ad Taenaron fuisse evectum, qui erat citharoedorum sui seculi nulli secundus: quique primus

hominum, quos novimus, et fecit et nominavit et docuit Corinthi dithyrambum.

24. Hunc Arionem ferunt, quum permultum temporis trivisset apud Periandrum, concupisse in Italiam Siciliamque navigare: retroque, parta ingenti pecunia voluisse Corinthum reverti: et, quum profecturus Tarento esset, quia nullis magis quam Corinthiis fidebat, navigium virorum Corinthiorum conduxisse. Quum igitur altum tenerent, istos Arioni insidiatos, ut eo exturbato, pecunia potirentur. Hoc illum intelligentem, oravisse, oblata eis pecunia, mortem deprecatum. Non persuadenti nautas mandavisse, ut aut sibi manus inferret, quo sic sepulturam in terra nancisceretur, aut illico in mare desiliret. Arionem ad hanc difficultatem redactum, obsecrasse, ut quandoquidem ipsis ita placitum esset, paterentur se omni suo ornatu sumpto, stantem super foros, cantare: et quum cantasset, pollicebatur se sibi manus illaturum. Istos igitur (invaserat enim eos libido audiendi praestantissimum inter homines modulatorem) e puppe in mediam navem concessisse. Illum, induto omni ornatu, ac sumpta cithara stantem super foros, peregisse carmen quod dicitur orthium: eoque decantato, sese, ut erat cum omni isto ornatu, in mare iecisse. Et hos quidem cursum tenuisse Corinthum: illum vero aiunt a delphino exceptum, Taenaron fuisse evectum: et quum e delphino descendisset, Corinthum eodem habitu perrexisse: et ubi pervenit, quicquid contigerat enarrasse. Periandrum autem, quia non crederet, tenuisse hominem in custodia, ne quo prodiret: ceterum curam intendisse in nautas. Eos accitos, ubi adfuerunt, percontatum siquid de Arione memorarent: et referentibus illum sospitem circa Italiam agere, fortunatumque Tarenti se reliquisse, Arionem apparuisse eodem quo desiluisset habitu: istos terrefactos, non potuisse amplius convictos inficiari. Haec Corinthii ac Lesbii aiunt: exstatque apud Taenaron non magnum Arionis ex aere donarium, homo super delphinum vehens.

25. Porro Alyattes Lydus, confecto cum Milesiis bello, postea, quum septem et quinquaginta regnasset annos, vita excessit: qui secundus ex hac domo, quum e morbo convaluisset, apud Delphos dedicavit grandem ex argento craterem: itemque crateris receptaculum parvum, ex ferro, ferruminatum, spectatu dignum inter omnia quae sunt Delphis donaria: opus Glauci Chii, qui solus omnium hominum ferruminationem excogitavit.

26. Defuncto Alyatte, successit in regno filius eius Croesus, annos natus quinque et triginta: qui primis

Graecorum Ephesiis bellum intulit. Unde Ephesii ab eo obsessi, urbem Dianae dedicarunt, fune ex ejus aede ad murum alligato. Est autem inter veterem urbem, quae tunc obsidebatur, et templum, septem stadiorum intervallum. Hos primos Croesus aggressus est, deinde vero per vices singulos Ionum Aeolensiumque, aliis alias causas inferens, ut in quosque maximas reperire poterat, majora; in quosdam etiam frivola causatus.

27. Postea vero quam Graecos in Asia subegit ad tributum pendendum, inde constituit aedificatis navibus aggredi insulanos. Ad quas compingendas, quum omnia illi parata essent, dicunt alii Biantem Prienensem, quum Sardes venisset, alii Pittacum Mitylenaeum, interrogatum a Croeso numquid apud Graeciam novi esset? respondisse, quod illum a facienda classe inhibuit. Inquit enim, „Insulani, ô rex, decem millia equitum conducunt, habentes in animo adversus Sardes atque te militare." Et Croesum vera loqui ratum, dixisse", utinam dent dii hanç insulanis mentem Lydos invadendi cum equis!" Atque hunc excipientem dixisse, „videris mihi, ô rex, cupide vota facturus ut insulanos in continente adipiscaris equitantes, haud absurda spe. Verum quid aliud insulanos optare censes, simulac audierunt constituisse te adversus se classem aedificare, quam precantes, ut nacti Lydos in mari intercipiant, teque pro Graecis in continente, quos tu in servitute contines, ulciscantur?" Hoc sermone delectatum admodum Croesum, atque inductum (est enim visus ille perquam scite dixisse) ab fabricanda classe destitisse, atque ita cum Ionibus, qui insulas incolerent, hospitium contraxisse.

28. Interjecto autem tempore, subactis ferme, omnibus qui intra Halyn fluvium colunt: nam praeter Cilices ac Lycios Croesus ceteros omnes in suam potestatem redegit, qui sunt, Lydi, Phryges, Mysi, Mariandyni, Chalybes., Paphlagones, qui Thyni et Bithyni, Cares, Iones, Dorienses, Aeolenses, Pamphyli.

29. His inquam subactis. et potentia Lydorum per Croesum augescente, contulerunt se Sardes opibus florentes, tum ceteri omnes e Graecia sophistae, qui ea tempestate erant, pro se quisque proficiscentes: tum etiam Solon, vir Atheniensis, qui quum leges iubentibus Atheniensibus tulisset, enavigando decem annos per causam contemplandi fuit peregrinatus, ut ne quam legum quas condiderat abrogare cogeretur. Nam hoc Athenienses ipsi facere nequibant, maximo iureiurando adacti ad eas decem per annos servandas, quas ipsis Solon condidisset.

30. Harum itaque legum ac contemplandi gratia per-

egre profectus, in Aegyptum ad Amasim se contulit, et Sardes ad Croesum. Eo quum pervenisset, hospitaliter in regiam a Croeso exceptus est; tertioque aut quarto post die, iussu Croesi, ministri circumduxerunt Solonem circa thesauros, omniaque quae illic erant magna ac beata, ostentarunt. Eum porro contemplatum cuncta, et ut sibi opportunum fuerat intuitum, talibus percontatus est Croesus: „Hospes Atheniensis, quia multus ad nos rumor de te emanavit ob tuam sapientiam, et ob peregrinationem, quemadmodum studio sapientiae deditus multam mundi partem videndi studio adieris: ideo mihi nunc cupido incessit sciscitandi ex te, ecquem iam vidisti omnium beatissimum?“ Sperans videlicet se inter homines beatissimum esse, ita sciscitabatur. Solon autem nihil admodum assentatus, sed ut res erat respondens, „Ego vero (inquit) ô rex, vidi beatissimum Tellum Atheniensem.“ Quod dictum admiratus, Croesus instat interrogare, „Qua re Tellum iudicas esse beatissimum?“ „Quia, inquit, Tello, republica bene instituta, filii fuerunt honesti et boni, et illis vidit singulis enatos liberos, hosque omnes superstites: et quum vita bene huic cederet, quantum in nobis est, obitus splendidissimus insuper obtigit. Siquidem proelio, quod Athenienses cum finitimis gessere apud Eleusinem, quum auxilio venisset, hostesque in fugam vertisset, pulcherrimam oppetiit mortem. Quem Athenienses, quo loco occubuerat, eo ipso publice humarunt, magnificeque honorarunt.“

31. Tum vero multa de Tello ac beata Solone referente, excitatus Croesus, interrogat quemnam secundum ab illo vidisset? putans haud dubie secundas se partes esse laturum. „Cleobin, inquit ille, et Bitonem: quippe his et genus Argivum erat, et victus suppeditabat: ad haec corporis robur tantum, ut et in certaminibus ambo pariter praemia tulerint, et de his etiam ista memorentur: Quum dies festus Iunonis apud Argivos esset, oporteretque omnino matrem horum ad templum vehi bobus iunctis, hique boves ex agro eis ad horam praesto non essent: tunc iuvenes exclusi tempore, ipsi iugum subeuntes, plaustrum traxerunt quo mater vehebatur, et quinque ac quadraginta per stadia trahentes ad templum pervenerunt. Quibus quum haec fecissent, et ab omni coetu conspecti fuissent, optimus obtigit vitae exitus: et in his deus demonstravit, Satius homini esse mori magis quam vivere. Nam quum circumstantes Argivi laudibus tollerent, viri quidem robur adolescentium, feminae vero matrem eorum, quod tales filios sortita esset: mater gaudio perfusa cum facto tum

fama, ante simulacrum stans, precata est Deam, ut Cleobi et Bitoni filiis suis, qui illam magnopere honoravissent, daret id quod optimum esset homini contingere. Post hanc precationem, ubi sacrificarunt epulatique sunt, adolescentes somno quiescentes in ipso delubro, non resurrexerunt, sed hoc vitae exitu perfuncti. Quorum effigies, tanquam virorum qui praestantissimi exstitissent, Argivi factas apud Delphos collocarunt."

32. Et his quidem Solon secundas beatitudinis partes attribuit. Croesus autem conturbatus, inquit, „Hospes Atheniensis, adeone a te deiicitur in nihilum nostra felicitas, ut ne privatis quidem viris nos aequiparandos ducas?" Cui ille, „Me, ô Croese, gnarum omne numen invidum esse et turbulentum, de rebus humanis interrogas? In diuturno enim tempore multa videre accidit, quae nemo velit, atque etiam tolerare multa. Propono enim homini terminum vitae ad septuaginta annos, qui tot anni constant ex vigintiquinque millibus ac ducentis diebus, mense intercalari non posito. Quod si velit alternos istorum annorum addito mense prolixiores fieri, ut tempestates opportune incidentes congruant, menses quidem intercalares per annos septuaginta, fient trigintaquinque, dies autem ex his mensibus mille quinquaginta. Horum dierum omnium, qui sunt in septuaginta annis, numero viginti sex millia ducenti quinquaginta, nullus prorsus qualem alius rem adducit. Ita igitur, ô Croese, universum est homo calamitas. Ceterum tu quidem mihi videris et divitiis valde pollere, et multorum hominum rex esse: sed id de quo me interrogasti, nondum te esse dixero, priusquam te bene vita defunctum esse audiero. Neque enim beatior est magnis opibus praeditus, eo, qui diurnum victum habet: nisi eidem omnibus bonis praedito, fortuna concesserit bene vita defungi. Etenim multi homines perquam locupletes, minime tamen beati sunt: multi vero mediocria habentes patrimonia, fortunati. Quorum is qui divitiis affluit, sed non beatus est, duabus tantummodo rebus antecellit fortunatum: at hic divitem et non beatum pluribus. Ille ad cupiditates peragendas, et ad grandem quae incidat offensam tolerandam validior est: hic vero istis superat illum, aerumnam quidem et cupiditatem non similiter ac ille potest tolerare; verum ista ab illo abigit felicitas: sed est membris integer, prospera fruens valetudine, malorum exsors, in liberis laetus, formosus. Quod si ad haec, diem quoque suum feliciter obierit, is est, quem quaeris, dignus qui vocetur beatus: prius tamen quam ad obitum pervenerit, contine, et nequaquam beatum appella, sed fortunatum. Sed haec omnia consequi

hominem impossibile est: sicut nec ulla regio cuncta sibi ipsa suppeditat, sed aliud habens, alio indiget; quae tamen habet plurima, ea est optima. Quemadmodum etiam hominis corpus unum aliquod sibi non sufficit: quia aliud habet, alio caret. Sed quisquis horum plurima habere perseveraverit, et postea placido animo e vita excesserit, hic apud me nomine hoc, ô rex, donari meretur. Omnis autem rei oportet inspicere exitum, quo sit evasura: quoniam multos deus, quibus felicitatem quodammodo monstraverat, radicitus evertit."

33. Haec Solon, neque assentando Croeso neque ullius eum momenti faciendo, loquutus dimittitur: sane quam visus est esse indoctus, qui bonis praesentibus praetermissis iuberet omnium rerum inspicere exitum.

34. Post abitum Solonis divinitus ingens vindicta Croesum excepit: quod (ut coniicere licet) se ipsum omnium hominum beatissimum arbitraretur. Statim igitur ei dormienti somninm oblatum est, veritatem indicans malorum, quae circa filium erant eventura. Erant autem Croeso liberi duo, quorum alter erat corruptus, utpote surdus: alter inter aequales omnia longe primus, nomine Atys. Hunc itaque Atym Croeso significabat somnium fore, ut ferrea cuspide traiectum amitteret. Experrectus, et secum rem versans, somnio territus, accipit filio uxorem: et quum solitus esset praeesse copiis Lydorum, nusquam eum amplius ad tale munus dimittit: iacula et hastas, omniaque huiuscemodi quibus homines in bello utuntur, e virilibus aedium partibus amovens, in thalamos coacervat, nequid suspensum in filium decideret.

35. Quum autem nuptiae filii sub manus essent, advenit Sardes quidam in calamitate positus, manibusque non puris, natione Phryx, regio ex genere. Hunc, quum ad aedes Croesi venisset, ex rituque usitato, ut sibi expiari liceret, orasset, Croesus expiavit. Modus autem expiandi apud Lydos est propinquus ei qui apud Graecos. Ubi vero legitima peregit Croesus, percontatus est, unde ille et quisnam foret, haec inquiens, „O homo, quis tu? et quo Phrygiae loco profectus, supplex mihi factus es? et quem virum aut quam feminam interemisti?" Ad quem ille respondit, „O rex, Midae nepos, Gordiae filius sum, nomine Adrastus: quia fratrem mei ipsius imprudens interemi, adsum eiectus a patre, et omnibus rebus exutus." Croesus autem invicem eum sic alloquebatur, „Ex viris amicis oriundus es, et ad amicos venisti: unde in nostris aedibus manens, nullius rei indigebis. Istam porro calamitatem quam levissime ferendo, plurimum lucrifacies. Atque ille quidem apud Croesum domicilium habuit.

36. Verum per hoc idem tempus apud Olympum Mysium, aper eximiae magnitudinis exstitit, qui ex hoc monte progressus, Mysorum opera pervastabat: in quem saepenumero Mysi egressi, nihil admodum mali ei fecerant, sed ab eo acceperant. Ad extremum igitur missi ad Croesum ex Mysia nuncii ita dixere, "Apparuit, ô rex, apud nos maximus aper, qui agrestia corrumpit opera: quem studiosissime captantes interimere tamen non valuimus. Nunc itaque te obsecramus, ut nobiscum filium tuum ac delectos iuvenes canesque mittas, quo belluam e regione tollamus." Haec illis precantibus Croesus somnii verba memoria repetens, ita respondit; „Filii quidem mei nolite amplius facere mentionem: neque enim eum vobiscum miserim; nam est novus maritus, et ista nunc sunt ei cordi. Lydorum tamen delectos et venatorium officium una mittam, mandaboque euntibus ut promptissime vobiscum belluam a regione summoveant."

37. Haec Croesus respondit. Cuius verbis quum contenti essent Mysi, intervenit Croesi filius auditis quae Mysi precarentur, et Croeso negante cum illis missurum se filium, haec inquit ad eum adolescens, „O pater, antehac interdum honestissima nobis ac praeclara maxime erant, vel in bella vel in venationes eundo gloriam parare; sed horum utroque nunc exclusum me tenes, nulla in me animadversa neque ignavia neque socordia. Nunc ergo quibus me oculis conspici oportet euntem in forum, atque illinc redeuntem? qualis civibus, qualis uxori recens nuptae videbor? cui illa viro videbitur nupta? Proinde me tu aut sinas venatum ire, aut mihi verbis persuadeas, potiora ista esse quae sic facis."

38. Cui respondens Croesus, „O fili, inquit, neque quod ignaviam, neque quod aliud quidpiam iniucundum mihi animadverterim in te, haec facio: sed visum quod in somno mihi oblatum est, dixit te brevis aevi futurum: quippe ferrea periturum cuspide. Cuius visi gratia et has tibi maturavi nuptias, nec ad ea quae suscipiuntur, dimitto, observans si quo queam pacto te, dum vivo, furtim servare. Filius enim mihi unicus es: namque alterum auribus captum pro nullo existimo."

39. Ad quem vicissim adolescens, „O pater, inquit, tibi equidem ignosco agenti circa me custodiam, qui tale videris somnium: verum tu illud non probe percipis: quod quoniam te latet, aequum est me tibi interpretari. Ais tibi somnium ostendisse, me ferrea periturum cuspide. At vero quaenam manus apri sunt, quaeve cuspis ferrea, quam tu pertimescas? Nam si dente dixisset aut aliquo huius simili periturum me, deberes facere quae

facis; nunc autem dixit, cuspide. Quare quum non sit nobis pugna cum viris, ire me sinas."

40. Et Croesus, "Evincis me," inquit, "ô fili, ista loquens de somnio intelligendo. Quapropter, ut abs te victus, muto sententiam et tibi veniam do eundi ad venationem."

41. Haec loquutus Croesus, Adrastum Phrygem arcessit, eique, ubi adfuit, talia inquit; "Ego te, Adraste, calamitate pressum ingrata, quam tibi non exprobro, expiavi, et receptum domi habeo, omnem suppeditans sumptum: nunc ergo (debes enim de me qui prior de te bene meritus sum, invicem bene mereri) custodem te opus est esse filii mei, venatum proficiscentis, ne qui inter viam occulti grassatores in vestram perniciem prodeant. Ad haec, tua interest eo te ire, ubi splendor ex rebus gestis paratur, quod tibi paternum est, et praeterea robur adest."

42. Cui Adrastus, "Ego," inquit, "ô rex, in istud certamen alioqui non pergerem: neque enim tali calamitate affectum fas est ad aequales se conferre fortunatos, neque istud velle mihi adest, et frequenter me ipsum continui: nunc tamen quoniam tibi hoc cordi est, cui gratificari oportet (debeo enim gratiam referre per obsequia) ista exsequi paratus sum: filiumque tuum, quem me custodire iubes, exspecta incolumem rediturum vel custodis respectu."

43. Posteaquam his verbis Adrastus Croeso respondit, mox instructi delectis iuvenibus et canibus, discedunt. Qui ubi ad montem Olympum pervenére, belluam indagant, et inventam circumfusi iaculis incessunt. Ibi hospes is qui a caede fuerat expiatus, et vocabatur Adrastus, vibrato in aprum iaculo, non illum, sed frustrato ictu filium Croesi adeptus est. Iste quidem cuspide ictus, vocem somnii implevit. Quod factum quidam Croeso nunciaturus cucurrit, perveniensque Sardes, pugnam illi et filii necem indicavit.

44. Croesus autem morte filii perturbatus, eo gravius eam ferebat, quod is eum necasset, quem expiaverat a caede. Et pergraviter cladem istam lamentans, Iovem expiatorem invocabat testificans quae ab hospite passus esset. Invocabat vero etiam domorum praesidem et familiarem, hunc eundem nominans deum: domorum praesidem quidem, quod quum domo excepisset hospitem, percussorem filii sui imprudens aluisset; familiarem vero, quod pro custode cum illo missum comperisset maximum hostem.

45. Secundum haec, Lydi adfuerunt qui cadaver ferebant: post ipsum interfector sequebatur. Stans autem hic ante cadaver, sese Croeso tradebat manus protendens, inbensque ut se super cadaver mactaret, referendo tum priorem calamitatem suam, tum quia post illam suum etiam expiatorem perdidisset, sibi vivendum amplius non esse. Haec Croesus audiens, etsi in tanto domestico luctu positus, tamen Adrastum miseratus est, et ad eum iuquit; „Habeo abs te hospes omnem vindictam, quoniam te ipsum morte condemnas. Neque vero tu huius mihi cladis auctor es, nisi quatenus id fecisti imprudens: sed deorum quispiam, qui iampridem mihi ventura significavit." Croesus ergo filium, prout iustum erat, sepelivit. Adrastus autem Gordiae filius, Midae nepos, is qui tum fratris sui, tum expiatoris interfector erat, ubi silentium hominum fuit ad sepulcrum, agnoscens se esse hominum, quos ipse noverat, calamitosissimum, sese super bustum transfodit.

46. Porro Croesus, filio orbatus, ingenti in luctu duos annos desedit. Quem luctum postea finivit Astyagis Cyaxaris filii dominatio a Cyro Cambysis filio sublata, et res Persarum crescentes: atque in solicitudinem venit, siqua ratione posset potentiam istam, priusquam Persae nimis invalescerent, coërcere. Post hanc ergo cogitationem, statim tentavit oracula quaeque apud Graecos essent, quodque in Africa: aliis alio dimissis, quibusdam Delphos, quibusdam ad Abas Phocensium, aliis Dodonam: nonnulli etiam ad Amphiarum et ad Trophonium, et alii quidam ierunt ad Branchidas orae Milesiae. Atque haec sunt Graeca oracula, ad quae consulenda Croesus misit. In Africa vero ad Ammonem alios responsa petituros dimisit. Omnes autem misit exploratum oracula quid sentirent: ut, si intelligentia veritatem deprehenderentur, secundo per suos rogaret, numquid in Persas expeditionem moliretur?

47. Haec mandata quum dedisset Lydis, emisit ad tentanda oracula, ut a qua die profecti essent Sardibus, ab hac numerantes per dies certum tempus, centesima die uterentur oraculis, sciscitantes quidnam faceret Lydorum rex Croesus Alyattis filius: et quod singula oracula respondissent, id omne conscriptum ad se referrent. Quid porro cetera responderint oracula, a nullis commemoratur: apud Delphos autem, simulatque intraverunt Lydi templum, consulturi deum, et sciscitati sunt quod erat iniunctum, Pythia hexametro tenore haec inquit;

Aequoris est spatium et numerus mihi notus arenae;
Mutum percipio, fantis nihil audio vocem.
Venit ad hos sensus nidor testudinis acris,
Quae simul agnina coquitur cum carne lebete,
Aere infra strato, et stratum cui desuper aes est.

48. His quae Pythia cecinit, conscriptis, Lydi digressi, Sardes rediere. Quumque alii quos circummiserat Croesus, affuissent ferentes vaticinia, tunc singula explicans, quod scriptum esset, inspexit: quorum quidem nullum probavit. — Ubi autem illud Delphicum audivit, protinus adoravit, et agnovit, existimans solum oraculum esse illud Delphicum; quippe quod comperisset quod ipse fecerat. Nam posteaquam ad petenda oracula consultores dimiserat, statuto illo die observato, tale quiddam est machinatus: commentando ea quae ad deprehendendum et explicandum perdifficilia forent, testudinem pariter et agnum concisos in aheno ipse coxit, operculo aheneo imposito.

49. Atque ita e Delphis Croeso responsum est. Sed ex Amphiarai vaticinio quidnam responsum sit Lydis, quum in sacro illo rite sacrificassent, non queo dicere. Nam de eo nil fertur aliud, quam quod et hoc Croesus verax vaticinium se nactum esse existimavit.

50. Post haec autem ingentibus hostiis deum, qui est apud Delphos, exorandum statuit. Immolavit enim lecta pecora numero ter mille: praeterea lectos aureos et argenteos, phialas aureas, et amictus purpureos, ac tunicas ingenti pyra exstructa concremavit, sperans sese aliquanto magis his rebus posse deum illum sibi placare, iussis etiam Lydis omnibus, ut sua ipsorum, quicquid haberet quisque, immolarent. Quo sacrificio peracto quum immensam vim auri liquefecisset, ex eo dimidiatos lateres conflavit, longiores quidem sex palmorum, breviores autem trium, crassitudine palmari, numero septendecim ac centum; quorum quatuor erant auri excocti, singuli pondo duorum et dimidii talenti: ceteri vero, auri albidi, pondo binum talentorum. Fecit quoque leonis effigiem ex auro excocto, decem talentorum pondo: qui leo quum templum Delphicum deflagravit, a semilateribus decidit: super illos enim erat collocatus; et nunc in Corinthiorum thesauro repositus est, pondo sex talentorum atque dimidii, eliquatis tribus talentis ac dimidio.

51. Haec Croesus ubi perfecit, Delphos misit, cumque eis haec alia, duos grandi forma crateras, aureum argenteumque: quorum aureus intrantibus templum ad

dexteram positus erat, argenteus ad sinistram. Qui et ipsi, quum templum incensum est, loco moti fuerunt, aureusque in Clazomeniorum thesauro positus, pondo talentorum octo et dimidii, praeterea minarum duodecim: argenteus ad angulum antetempli, sexcentarum amphorarum capax: in quo miscetur vinum a Delphis Theophaniorum festo: opus (ut Delphi aiunt) Theodori Samii, ut et ego arbitror: non enim mihi videtur opus vulgare esse. Misit praeterea dolia argentea quatuor, quae in Corinthiorum thesauro sunt collocata. Donavit item aquiminaria duo, aureum argenteumque; quorum in aureo inscriptum est, Lacedaemoniorum: qui dicunt suum esse donarium; non recte, quoniam et hoc Croesi est. Sed quidam Delphorum gratificari Lacedaemoniis volens, hoc inscripsit: cuius nomen ego cognitum habens, non tamen promam. Verum puer per cuius manum fluit aqua, Lacedaemoniorum est: sed eorum neutrum aquiminare. *Alia* quoque cum his multa Croesus dona misit non insignia: item fusilia ex argento orbiculata: nec non mulieris simulacrum aureum tricubitale, quod Delphi narrant esse effigiem pistricis Croesi. Super hoc donavit Croesus uxoris suae monilia a collo, ac zonas.

52. Haec quidem Delphos transmisit. Amphiarao insuper, cuius et virtutem audierat et cladem, donavit clypeum ex auro totum, similiter et totam ex auro solido hastam, hastile perinde ac spicula totum similiter aureum: quae ambo ad meam usque memoriam apud Thebas reposita fuerunt, ibique in Ismeni Apollinis templo.

53. Haec dona Lydis portaturis ad oracula Croesus iniunxit, ut interrogarent an adversus Persas Croesus sumeret expeditionem, et aliquorum hominum auxilia adscisceret? Lydi, ubi eo quo dimittebantur pervenerunt, donariis oblatis, oracula consuluerunt his verbis: „Croesus, Lydorum aliarumque nationum rex, ista in hominibus sola esse oracula existimans, idcirco vobis digna dona dat propter inventa, vosque percontatur, an adversus Persas sit profecturus in expeditionem, et an socialem aliquem exercitum sibi adiuncturus?" Atque hi quidem haec interrogarunt. Oraculi autem utriusque in idem concurrebant sententiae, praedicentes Croeso, fore, ut si arma Persis inferret, magnum imperium is everteret. Consulebant etiam, ut potentissimos Graecorum vestigans et reperiens amicos compararet.

54. His responsis relatis atque auditis, Croesus vehementer elatus animo est, et omnino concipiens spem evertendi ab se imperii Cyri, ac rursus mittens ad Pytho, Delphos singulos, quorum illic numerum sciscitatus erat,

donavit viritim binis auri stateribus. Ob quae munera Delphi Croeso Lydisque donarunt primas in consulendo oraculo partes, immunitatemque, primumque in sedendo locum, et ius perpetuum cuique volenti adscribi in numerum Delphorum.

55. Ceterum donis Croesus prosequutus Delphos, tertio oraculum consuluit, quippe post veracitatem eius oraculi compertam, large sibi indulgebat in eo. Quaerebat autem ex oraculo, an diuturnum sibi foret imperium. Cui Pythia in haec verba respondit:

Regis apud Medos mulo jam sede potito,
Lyde fugam mollis scruposum corripe ad Hermum,
Neve mane: ignavus posito sis Lyde pudore.

56. His ex versibus, quum allati essent, multo magis quam ex ceteris voluptatem Croesus accepit, sperans, fore ut nunquam apud Medos mulus pro viro regnaret: et proinde neo ipse nec posteri sui principatu privarentur. Post haec putavit sibi curandum, ut potentissimos Graecorum inquirens sibi conciliaret. Idque vestigando, comperit Lacedaemonios atque Athenienses eminere, illos in Dorico genere, hos in Ionico. Hae namque gentes prisco tempore praeferebantur, altera, Pelasgica, altera, Hellenica: quarum illa nunquam ex illo solo excessit, haec valde multumque est vagata. Etenim sub Deucalione rege oram Phthiotidem incoluit, sub Doro autem Hellenis filio regionem, quae ad Ossam et Olympum iacet, nomine Istiaeotim; unde a Cadmeis eiecta, coluit in Pindo, vocata Macedna; inde rursus in Dryopidem commigravit, atque ita hinc in Peloponnesum veniens, Dorica nominata est.

57. Ceterum qua lingua Pelasgi sint usi, pro certo affirmare non possum: sed si fas est coniectando dicere ex his, qui cum maxime supersunt, Pelasgorum, qui supra Tyrrhenos urbem Crestonem incolunt, aliquando finitimi eorum, qui nunc Dorienses vocantur, tunc incolentes regionem, quae nunc Thessaliotis nominatur, et Placiam ac Scylacen, qui Pelasgi habitaverunt in Hellesponto, qui contermini Atheniensium fuerunt; et quaecunque alia Pelasgica, oppida nomen immutarunt: si hinc coniectantem oportet dicere, Pelasgi utebantur barbara lingua. Quod si igitur et tota gens Pelasgica talis erat, gens Attica utpote Pelasgica, quum n Hellenas transiit, linguam quoque istorum addidicit. Etenim neque Crestoniatarum lingua cum ullis nunc circa habitantibus consentit, neque Placianorum; inter ipsos vero convenit; et declarant, quam linguae figuram intu-

lerunt in haec loca transeuntes, eandem se nunc conservare.

58. At natio Hellenica, ex quo exsistit, eodem sermone semper utitur, ut mihi videtur; separata quidem ab Pelasgica, imbecillis, ab exiguo prorsus profecta, in multitudinem excrevit gentium plurimarum, quum etiam adnexuerint se illi aliae gentes barbarae frequentes. Quae causa insuper mihi videtur fuisse, cur gens Pelasgica, quum barbara esset, nequaquam magnos profectus fecerit.

59. Ex his igitur gentibus, Atticam quidem Croesus audiebat contineri distractamque esse a Pisistrato Hippocratis filio. Hic enim ea tempestate tyranus Athenis erat. Cuius patri, quum privatus ivisset ad celebranda Olympia, ingens contigit portentum. Nam quum hostiam immolasset, ahena adstantia plena et carnibus et aqua, absque igne ferbuerunt, ita ut aqua redundaret. Quod portentum conspicatus Chilon Lacedaemonius, qui forte aderat, suasit ei primum, ne uxorem proli gignendae aptam duceret domum: sin vero iam haberet, secundo loco uxorem istam eiiceret: et siquidem ex ea filium sustulisset, abdicaret. Tali Chilonis consilio nolens obsequi Hippocrates, hunc postea Pisistratum filium sustulit, qui in seditione litoralium, quibus praeerat Megacles Alcmaeonis filius; et campestrium, quibus praeerat Lycurgus Aristolaidae filius, tertiam seditionem excitavit, tyrannidem affectans: contractisque seditiosis, per causam tutandi montanos, huiuscemodi rem machinatur. Se ipsum ac mulos quum vulnerasset, agitavit iumenta in forum, tanquam elapsus ex hostibus, quem rus proficiscentem scilicet *illi* prorsus interimere voluissent; et populum precatus est, ut aliquid custodiae ab illo obtineret, quum prius laudabile specimen sui edidisset in ducatu contra Megarenses, tum capta Nisaea, tum aliis praeclaris operibus editis. Populus igitur Atheniensis deceptus, dedit ei quosdam e civibus delectos viros, qui non satellites quidem Pisistrato ferrent hastas, sed clavas. Ligneas enim clavas habentes sectabantur eum a tergo. Qui simul cum Pisistrato insurgentes arcem occuparunt: et inde Atheniensium imperio potitus, nullis qui tum erant magistratibus perturbatis, neque legibus mutatis, sed priore statu integro administravit urbem bene ac pulchre exornans. Sed non multo post tempore factio Megaclis et Lycurgi concordibus animis eum eiecit.

60. Hunc igitur in modum Pisistratus primum oblinuit Athenas, et tyrannidem nondum valde stabilitam habens amisit; cuius eiectores denuo inter se seditionem red-

integrarunt. In qua obsessus Megacles, Pisistratum misso caduceatore invitat, nunquid velit sibi filiam capere uxorem sub tyrannidis praemio. Accipiente vero sermonem et condicente hanc conditionem Pisistrato, machinantur ad illius reditum, rem, ut ego comperio, longe stultissimam: quandoquidem iam olim separatum fuit a barbarico genere Graecum quippe dexterius et a fatuitate stolida magis abhorrens; si etiam isti in Atheniensibus, qui inter Graecos feruntur sapientia primi; talia machinantur. Erat in populo Paeaniensi mulier nomine Phya, tribus digitis minus statura quatuor cubitorum: et praesertim formosa. Hanc mulierem plena armatura quum instruxissent, in currumque sustulissent, compositam in eum habitum: quo venustissima apparitura esset, in urbem agunt, praemissis qui praecurrerent praeconibus, qui quum in urbem venissent, haec mandata pronunciarent, dicentes: „Athenienses, bona mente excipite Pisistratum, quem Minerva ipsa praecipuo inter homines honore prosequuta, in suam reducit arcem.“ Isti igitur passim euntes talia praedicaverunt: et statim rumor in populos emanavit, Pisistratum a Minerva reduci. Qui vero in urbe erant, persuasi hanc mulierem esse deam ipsam, feminae supplicarunt pariter, et Pisistratum acceperunt.

61. Hunc in modum, quem diximus, recuperata tyrannide, Pisistratus, ex pactione quam inierat cum Megacle, filiam Megaclis ducit uxorem. Verum quum et filii essent ei adolescentes, et Alcmaeonidae dicerentur obnoxii esse piaculo, nolens ex novo coniugio liberos tollere, haud legitime coibat cum uxore. Quam rem quum primo mulier occultasset, postea sive inquisivisset seu non, matri suae aperuit. Mater viro indicavit. Iste vero inique ferens se a Pisistrato contumelia affici, ut erat iratus, positis inimicitiis in gratiam rediit cum seditiosis. Quae fieri Pisistratus contra se animadvertens, regione prorsus abscedit: et ubi Eretriam pervenit, una cum filiis deliberat. Quum autem sententia Hippiae praevaluisset de tyrannide rursus recuperanda, ibi tum munera collegerunt ex civitatibus, quae ipsis nonnullam ante reverentiam debebant. Et cum multi magnas contulerunt pecunias, tum vero Thebani liberalitate superaverunt. Post haec ut brevi sermone dicam, tempus exortum est, et omnia ad reditum eis expedita fuerunt. Nam et ex Peloponneso Argivi aderant mercede conducti, et Naxius quidam, nomine Lygdamis, voluntarius ipsis adveniens, multum alacritatis addidit, allatis et pecuniis et viris.

62. Profecti autem Eretria, anno undecimo vertente

redierunt, et primum in Attica Marathonem occuparunt. Ad quos interea ibi castra habentes, cum factiosi ex urbe se conferebant, tum alii ex populis affluebant, quibus erat tyrannis quam libertas optabilior: atque ita hi quidem congregabantur. Ceterum quamdiu Pisistratus pecuniam cogebat, et postea Marathonem tenebat, Athenienses qui intra urbem degebant, rem nihili fecerunt: sed ubi acceperunt eum ex Marathone urbem versus movere, ita demum auxilia adversus eum comparant. Isti igitur cum omnibus copiis infesti in illos redeuntes tendebant; et Pisistratus cum suis, postquam e Marathone digressi, simul uno agmine ad urbem venissent, accedunt ad Minervae Pallenidis fanum, et castra ex adverso posuerunt. Hic divino instinctu fungens Amphilytus Acarnan, ariolus, Pisistrato adfuit, eumque accedens hexametro carmine vaticinatur, inquiens:

Lapsus abit iam iactus, et est quoque rete repansum.
Nocte aderunt thynni claro sub sidere lunae.

63. Hoc ille oraculum isti divinitus reddidit. Pisistratus vero, eo percepto, et se divinam vocem accipere affirmavit, et copias adduxit. Athenienses autem urbani tunc ad prandium se converterant, et post prandium partim ad tesseras, partim ad somnum. In hos igitur impetu facto, qui cum Pisistrato erant, eos in fugam vertunt. Ipsis autem fugientibus solertissimum ibi consilium Pisistratus excogitat, ut Athenienses nec amplius recolligerentur, et dissipati manerent. Pueros impositos equis praemisit, qui assequuti fugientes, mandata Pisistrati dicerent, iuberentque eos bono animo esse, et ad sua quemque abire.

64. Ita parentibus dicto Atheniensibus, Pisistratus tertio potitus Athenis, tyrannidem stabilivit, tum adiutoribus multis, tum pecuniarum proventibus, partim indidem, partim a flumine Strymone comparatis. Filios quoque eorum Atheniensium qui perstiterant, nec e vestigio fugam fecerant, pro obsidibus sumptos, in Naxum transtulit. Hanc enim insulam bello subegerat, Lygdamique permiserat, quum antehac etiam Delum insulam ex oraculis expiasset. Expiavit autem ita, quatenus prospectus a templo ferebatur, eatenus ex omni loco cadaveribus effossis, et in alium eiusdem insulae locum translatis. Itaque Pisistratus tyrannide potitus est Atheniensium, eorum aliis in proelio caesis, aliis una cum Alcmaeonida e patria profugis.

65. Talem itaque statum Atheniensium esse ea tempestate Croesus audiebat: Lacedaemonios quoque magnis

e cladibus ereptos, et iam Tegeatis bello superiores esse. — Quippe Leonte Spartae regnante et Hegesicle, Lacedaemonii quum cetera bella prospere gessissent, adversus solos Tegeatas cladem acceperant. Et antea fere ex omnibus Graecis utebantur pessimis legibus et circa sese ipsos, tum etiam peregrinis intolerabiles, quae instituta in melius ita mutavere. Lycurgo, viro inter Spartiatas probato, Delphos ad oraculum profecto, simulatque in aedem ingressus es, Pythia haec statim inquit:

Ad mea venisti praepinguia templa, Lycurge,
Grate Jovi et cunctis qui tecta tuentur Olympi.
Ambigo tene deum jam nunc hominemne salutem.
Sed multo magis esse deum te credo, Lycurge.

Nonnulli praeter haec aiunt Pythiam ei exposuisse instituta quae nunc a Spartiatis servantur. Ipsi tamen Lacedaemonii dicunt, Lycurgum, quum fuisset tutor filii fratris sui Leobotae, Spartiatarum regis, e Creta haec attulisse. Siquidem quum primum tutor factus est, omnia iura immutavit: deditque operam nequis ea transgrederetur: deinde vero quae ad bellum pertinent, enomotias, triacadas, et syssitia: super haec ephoros ac senatores instituit Lycurgus.

66. Ita illi ad rectum vitae genus translati sunt, et Lycurgum vita defunctum, delubro aedificato magnopere colunt. Ex quo cum bonitate soli, tum non exigua hominum copia, elevati sunt statim, ac bene floruerunt. Quin etiam non amplius suffecit illis pace et quiete frui, sed quum se Arcadibus praestantiores esse arbitrarentur, de omni Arcadum regione oraculum Delphis consuluerunt. — Quibus Pythia respondit:

Me petis Arcadiam? magnum petis: haud tibi tradam.
Multi apud Arcadiam vescentes glande viri sunt.
Qui te reiicient. Tibi ego haud invidero quicquam,
Saltandam Tegeam planta plaudente daturus:
Utque queas campum metiri fune feracem.

Haec responsa ubi accepere Lacedaemonii, a ceteris Arcadibus abstinentes, bellum intulere Tegeatis, ferentes compedes: videlicet captioso freti oraculo tanquam redacturi Tegeatas in servitutem. Verum congressi proelio ac fugati, quicunque eorum vivi sunt capti, eisdem quas ipsi attulerunt compedibus inclusi, et campum Tegeatem mensi fune in eo opus fecerunt. Compedes autem quibus vincti fuerant, ad meam usque aetatem servatae fuerunt in Tegea circa templum Minervae Aleae suspensae.

67. Et primore quidem bello adversus Tegeatas assi-

vidue semper male pugnaverant: Croesi tamen aetate et Anaxandrida ac Aristone regnantibus Lacedaemone, iam longe superiores Spartiatae bello exstiterunt, hunc in modum tales effecti. Quum semper in bello a Tegeatis superarentur, missis Delphos consultoribus, oraculum sunt sciscitati, quemnam deorum placarent ut Tegeatarum victores existerent. His Pythia respondit, id fore, si ossa Orestis filii Agamemnonis referrent. Cuius loculum quum nequirent invenire, rursus ad deum mittunt de loco sciscitatum in quo situs Orestes esset. Haec nunciis interrogantibus, ita Pythia inquit:

Est quaedam Arcadiae Tegea, in regione patenti:
Hic duo flant venti vi pervehemente coacti,
Forma hostis formae, et noxae superindita noxa;
Hic Agamemnoides terra omniparente tenetur,
Quo tu sublato Tegeae sperabere victor.

Ubi haec quoque adierunt Lacedaemonii, nihilo minus inventione abstinuerunt omnia disquirentes: donec Lichas, unus Spartiatarum eorum, qui benemeriti vocantur, comperit. Sunt autem benemeriti, in civibus semper ex militia equestri egressi maxime senes, quinque quotannis, quos quo anno ex equitibus exeunt, oportet a Spartiatarum communi missos alios alio non cessare.

68. Ex his Lichas quum esset, rem illam apud Tegeam adinvenit, fortuna pariter atque solertia usus. Nam quum cum Tegeatis hoc tempore ius commercii esset, et iste in ferrariam officinam venisset, intuebatur mirabundus ferrum dum procudebatur. Quo in spectaculo admirari eum animadvertens faber ferrarius, intermisso opere: „Certe magis, ô Lacon hospes," inquit, „admirarere, si idem quod ego tu nosses, qui tantopere admiraris ferri opificium. In hac enim corte puteum facere quum vellem, fodiens incidi in loculum septem cubitorum: et quia incredulus eram, omnino fuisse maiores quam nunc sunt homines, aperui eum, et vidi cadaver eiusdem loculo longitudinis: quam ubi mensus sum, iterum obrui." Haec illo referente quae viderat, Lichas considerans, coniectabat hunc ex oraculo esse Orestem, hac utens coniectura: duos quidem quos cernebat fabri ferrarii folles, totidem comperit esse ventos: incudem vero et malleum, formam et formae repercussionem: ferrum vero quod cuderetur, noxam superinditam noxae: hac ratione id coniectans, quod in noxam hominis ferrum inventum sit. — Haec itaque cum coniectavisset, Spartam regressus, rem omnem Lacedaemoniis refert. Illi ex composito et ficto sermone hominem iudicio aggredien-

tes, exilio damnant. Qui Tegeam profectus, et calamitatem suam referens fabro ferrario, conducebat ab eo detrectante elocare cortem. Verum aliquanto post ubi persuasit, ibi domum habuit. Sic effoso sepulchro ossa collegit, eaque portans Spartam rediit. Quo ex tempore quoties se invicem experti sunt, longe superiores bello exstitere Lacedaemonii: praeterea vero magna etiam pars Peloponnesi iam eis parebat.

69. Haec itaque omnia Croesus audiens, misit nuncios Spartam cum muneribus, ad rogandam belli societatem, et mandatis quae dicere oporteret. Ii postquam pervenerunt, „Nos," aiunt, „Croesus misit, Lydorum aliarumque gentium rex, ita inquiens, O Lacedaemonii, quoniam deus oraculum reddidit, ut Graecum mihi amicum adsciscerem, et vos inter Graecos antecellere audio, vos igitur ex oraculo advoco, cupiens amicus esse et socius, citra dolum fraudemque." Croesus haec per legatos nunciavit. — Quorum adventu Lacedaemonii, qui et ipsi oraculum Croeso datum audierant, gavisi foedus hospitii societatisque inierunt. Etenim iam antea intercedebant nonnulla Croesi in Lacedaemonios beneficia. Nam quum illi misissent Sardes ad aurum coëmendum, quo usuri erant in id simulacrum Apollinis, quod nunc positum est in Thornace Laconicae, eo auro sunt a Croeso donati.

70. Qua de re Lacedaemonii, quodque se amicos ille prae omnibus Graecis delegisset, societatem admiserunt. — Et partim quidem denuncianti sese paratos exhibuerunt; partim fabricatum craterem aheneum circa labia extrinsecus frequentibus animalium caelaturis ornatum, et trecentarum amphorarum capacem avexerunt, hoc dono volentes Croesum remunerari: sed ille Sardes non pervenit, propter alterutram harum quae feruntur causarum. Lacedaemonii quidem aiunt hunc craterem, quum veheretur Sardes, et prope Samum venisset, a Samiis fuisse interceptum; qui, cognita re, navibus istum longis aggressi fuere. Ipsi vero Samii aiunt, Lacedaemonios, qui craterem portabant, sero venientes, quum audissent Croesum captum esse cum Sardibus, illum in Samo vendidisse viris privatis, qui eum Iunonis templo dedicavere: forsan autem et illi, qui vendiderunt, Spartam reversi dixerint a Samiis sibi fuisse ereptum. Ac de cratere ita res se habet.

71. Croesus autem aberrans in oraculo, adversus Cappadociam exercitus comparabat, spe et Cyrum et potentiam Persarum evertendi. Cui in hac apparanda expeditione occupato, Lydus quidam, nomine Sandanis, et

antehac pro sapiente habitus, et ab hac sententia plus nominis apud Lydos consequutus, hunc in modum Croeso consuluit; „Adversus tales viros expeditionem paras, ô rex, qui e corio quidem subligacula, etiam e corio reliquam vestem ferunt: qui non quibus volunt cibis vescuntur, sed quos habent, utpote regionem asperam incolentes. Ad haec, potu non vini utuntur, sed aquae: non ficos ad comedendum, nec aliud quicquam boni habent. — Hinc si vinces, quid illis eripias, quibus nihil est? sin victus fueris, animadverte quot bona amittes. Ubi gustaverint illi nostra bona, ea valde cupient, nec abigi poterunt. Equidem diis habeo gratiam, qui non inducunt in animum Persis, ut Lydos bello invaderent." Haec loquutus, non tamen Croesum flexit. Etenim Persis, antequam Lydos subigerent, nihil erat neque lautum neque opiparum.

72. Porro Cappadoces a Graecis Syrii nominantur: et erant hi Syrii, antequam Persae imperitarent, ditionis Medorum, tunc autem Cyro parebant. Siquidem imperium Medicum ac Lydium disterminabat fluvius Halys, qui ex Armenio monte fluit per Cilicas, dehinc ita fluens Matienos habet ad dextram, et Phrygas ad laevam; quos praeterlapsus et boream versus sursum tendens hinc quidem Syrios Cappadocas includit, ab laevo autem Paphlagonas. Ita fluvius Halys cuncta fere inferiora Asiae, a mari quod Cypro obiectum est, ad Euxinum usque Pontum dirimit. Est autem cervix haec totius huius regionis; longitudinem itineris quod attinet, quinque dies viro expedito insumuntur.

73. Itaque adversus Cappadociam Croesus cum exercitu profectus est, tum cupiditate regionis, volens hanc partem suae adiicere, tum vel magis fiducia oraculi, et Cyrum ulcisci annitens propter Astyagem. Quippe hunc Astyagem Cyaxaris filium, Medorum regem, affinem Croesi, Cyrus Cambysis filius bello victum ceperat. Erat autem Croeso Astyages hunc in modum affinis. Apud Scythas Nomadas quum esset seditio, caterva virorum clam excessit in terram Medicam, qua tempestate Medorum tyrannus erat Cyaxares, Phraortis filius, Deiocis nepos; qui Scythas hos, utpote supplices, initio benigne excepit, et quum plurimi eos faceret, pueros eis tradidit imbuendos et lingua Scythica, et artificio sagittandi. Interiecto deinde tempore, quum Scythae venatum assidue irent et semper aliquid afferrent, nonnunquam tamen contingebat ut nihil caperent. Quos ita revertentes manibus inanibus Cyaxares (erat enim, ut monstravit, irae non imperans) aspere admodum cum contumelia

insectabatur. Id illi, ut se indignum, a Cyaxare pati non ferentes, consilio habito decreverunt aliquem eorum puerorum quos docerent, concidere; apparatumque ut feras apparare consueverant, Cyaxari offerre, perinde ac ferinam: idque quum obtulissent, quam celerrime se ad Alyattem Sadyattis filium Sardes conferrent. — Quod et factum est. Nam et Cyaxares et qui aderant convivae ex his carnibus gustaverunt: et Scythae perpetrato hoc, Alyatti se supplices praebuerunt.

74. Quos postea reposcenti Cyaxari quod Alyattes reddere abnuerat, bellum inter Lydos Medosque quinquennale conflatum est. Quo in bello saepe Medi, saepe Lydi victores exstiterunt, et nocturnum quoddam proelium fecerunt. Quum vero pari fortuna hoc bellum utrisque cederet, sexto anno signis collatis, contigit, ut in medio pugnae repente dies nox efficeretur. Quam immutationem diei futuram Thales Milesius Ionibus praedixerat, hunc ipsum annum praefiniens quo immutatio facta est. Lydi ac Medi ubi diem noctescere viderunt, a pugnando destiterunt: eoque propensius utrique ad pacem inter se constituendam festinaverunt; auctoribus conventionis Syennesi Cilice et Labyneto Babylonio: qui ut et foedus intercederet et matrimonii commercium fieret, enisi sunt; decernentes ab Alyatte Aryenim filiam Astyagi Cyaxaris filio nuptum dari: quoniam sine vehementi necessitudine conventiones stabiles servari non queunt. Ineunt autem hae gentes foedera cum cetero ritu Graecorum, tum insecando brachia summa in cute, ac mutuum sanguinem delingendo.

75. Hunc igitur Astyagem avum suum maternum Cyrus bello victum tenebat, ob eam quam in sequentibus indicabo causam. Quo nomine Croesus ei infensus, nunquid inferret Persis bellum, ad oracula miserat. Et quum responsum venisset haud sincerum, sibi favere interpretatus, expeditionem iniit adversus Persarum terram. Atque ubi ad Halym flumen pervenit, tunc, ut ego quidem narro, pontibus ibi sitis copias traduxit; ut autem Graeci plurimi dictitant, Thales Milesius traduxit ei. Nam quum incertus animi Croesus foret, qua parte fluminis traiiceret exercitum, (nullosdum enim ex illis pontibus ea tempestate fuisse) fertur Thalen, qui in his castris aderat, fecisse, ut fluvius qui ad laevam exercitus fluebat, flueret etiam ad dextram. Fecisse autem hunc in modum. Fossam altam, exorsus superiore loco, quam erant castra, ductam in speciem lunae, depressit, quae castra, ut erant metata, a tergo amplecteretur: illac per fossam quum traduxisset ex pristino alveo flu-

vium, iterum eum, ubi castra praeterisset, in suum alveum refunderet; ita ut quum divisus esset, celerrime fluvius utrinque permeabilis effectus sit. Quidam vero aiunt, veterem etiam omnino exaruisse alveum. Cui rei equidem non accedo. Quo enim modo qui rursum redierunt, illum transiverunt?

76. Croesus igitur exercitu traiecto, venit in Cappadociae regionem, quae dicitur Pteria, omnium eius plagae tutissima, iuxta urbem Sinopen ad pontum Euxinum fere sitam. Hic stativa habens, praedia Syriorum vastat, et urbem Pteriorum expugnat diripitque. Cepit quoque cunctas circum sitas urbes, Syriosque ipsos nihil commeritos exterminavit. Hinc Cyrus coacto suo exercitu, adsumptisque omnibus, qui in medio incolebant, obviam pergit: missis tamen, antequam exercitum educere conaretur, caduceatoribus ad Ionas tentandos ut ad se a Croeso deficerent. Illis abnuentibus, profectus castra Croeso opposuit: ibidemque in regione Pteria pro viribus se invicem lacessere. Commissaque acri pugna, et multis utrinque cadentibus, ad extremum noctis interventu dirimuntur, neutri victores. Atque hunc in modum duo exercitus dimicaverunt.

77. Croesus, reprehensus propter suas ipsius copias respectu multitudinis (nam exercitus eius qui conflixit, multo minor erat, quam Cyri), in hoc reprehensus, quum postero die Cyrus ipsum supersederet invadere, regressus est Sardes, habens in animo evocare Aegyptios ex foedere; quorum, cum rege Amasi, antequam cum Lacedaemoniis, societatem inierat: arcessere etiam Babylonios, cum quibus et ipsis societatem armorum pepigerat; erat autem Babyloniorum tyrannus ea tempestate Labynetus: denunciare item Lacedaemoniis ut ad dictam diem praesto essent: hisque et suis copiis coactis, ubi per hyemem quievisset, initio statim veris tendere adversus Persas. Haec destinans Croesus, abiit Sardes, dimisitque caduceatores ad belli socios, edicentes, uti ad quintum mensem Sardes convenirent. Exercitum vero qui aderat ex militibus conductis, qui cum Persis dimicaverat, missum fecit ac dissipavit: minime sperans unquam fore, ut Cyrus, qui sic aequo Marte pugnasset, Sardes copias promoveret.

78. Haec Croeso ratiocinante, omnia suburbana colubris impleta sunt: quos, ut apparuerunt, equi fastidientes pascua tondere comedebant. Id Croeso cernenti visum est, ut erat, esse portentum: ideoque e vestigio mittebat consultores ad coniectores Telmessenses. His ita profectis, ubi accepto responso ab Telmessensibus,

didicerunt quid vellet significare portentum, non contigit ut Croeso renunciarent. Nam priusquam retro Sardes renavigarent, Croesus est captus. Attamen Telmessenses ita responderant, exercitum externum Croeso illuc affuturum, qui quum advenisset, indigenas subigeret: quod dicerent anguem terrae prolem esse; equum, hostem et advenam. Haec Telmessenses Croeso sunt interpretati, sed iam capto; nondum tamen gnari eorum quae de Sardibus ac ipso Croeso agerentur.

79. Cyrus certior factus, Croesum, qui statim post proelium in Pteria gestum abscesserat, constituisse post abitum dispergere copias, consilio inito, comperiebat operae pretium esse quam celerrime posset, promovere exercitum Sardes, priusquam contraherentur iterum Lydorum copiae. Hoc ubi probavit, statim quoque exequutus est: propereque ducto in Lydiam exercitu, ipsemet nuncius Croeso advenit. Unde Croesus in magnam solicitudinem adductus, quod praeter opinionem praeterque expectationem suam se res haberent, tamen Lydos in proelium eduxit. Lydia vero gente in Asia nulla fuit ea tempestate nec fortior nec magis strenua: ex equisque illi pugnabant, hastasque longas gestabant, et erant equitandi sane periti.

80. Campus, in quo concursum est, ante urbem Sardianam iacet, magnus et nudus: quem cum alii amnes perfluentes, tum Hyllus, perrumpunt simul in omnium maximum, qui vocatur Hermus, qui e monte sacro Matris Dindymenae lapsus infunditur mari iuxta Phocaeam oppidum. Hic ubi vidit Lydos ad pugnandum instructos Cyrus, equitatum reformidans, constituit admonitu Harpagi Medi, ita faciendum: Coactis omnibus quae ipsius exercitum sequebantur camelis, vel frumentum vel vasa portantibus, sarcinas detraxit, et viros imposuit equestri veste indutos: quibus ornatis praecepit, ut praeirent ceteras copias adversus Croesi equitatum: peditatum, ut hanc cameli aciem subsequeretur, iussit. Post hunc collocavit omnem equitatum. Postquam omnes ordinati erant, imperat eis, ne cui ceterorum Lydorum parcerent, sed quemlibet occiderent obsistentem, praeter ipsum Croesum, ne si captus quidem repugnaret. Haec imperavit. Camelos vero contra equitatum instruxit, hac ratione quod camelum equus reformidat, adeo quidem ut nec speciem eius intueri nec odorem sentire sustineat. Id ideo commentus est, ut equitatum Croesi, quo ille se praevaliturum confidebat, inutilem redderet. Simulatque etiam in pugnam itum est, equi olfactis protinus conspectisque camelis, retro se aver-

tunt, unde spes Croesi interiit. Verum non protinus Lydi ob id exterriti sunt, sed cognita re, ab equis desiliunt, ac pedites cum Persis confligunt; sed tandem, multis utrinque cadentibus, vertuntur in fugam: ac repulsi intra muros, a Persis obsidebantur sic.

81. Quam obsidionem in longius processuram ratus Croesus, alios nuncios ex arce mittit ad socios. Nam qui antea dimissi erant, hi ad coëundum Sardes quintum mensem indixerant. At hos dimittebat, oratum, quam celerrima auxilia mitti sibi utique iam obsesso, et cum ad alias societates misit, tum vero Lacedaemona.

82. Ceterum per id ipsum tempus et ipsis Spartiatis inciderat cum Argivis contentio de loco, qui dicitur Thyrea. Quem locum, etsi terrae Argolidis partem, tamen Lacedaemonii abcisum tenebant. Etenim Argivorum etiam erat quidquid regionis Malea tenus ad occasum vergit, tum in continente, tum insulae et aliae, et Cytheria insula. Quum ergo Argivi suo territorio adempto auxilium ferrent, ibi ab utrisque in colloquium ventum est, pactique sunt, ut trecenteni utrinque dimicarent; et utri superiores extitissent, eorum regio foret: atque ambo exercitus in suam terram discederent, nec permanerent dum dimicaretur; ea scilicet causa, ne si adessent, parti succumbenti auxilium sui ferrent. His conventis, in diversa digrediuntur. Ex utrisque delecti viri qui relicti sunt conflixerunt: atque illis quidem ut aequo marte pugnantibus, ex sexcentis tres omnino reliqui fuerunt: idque noctis interventu. Ex Argivis duo, Alcenor et Chromius, qui tanquam victores cursu Argos contenderunt: ex Lacedaemoniis unus Othryades, qui spoliatis Argivorum cadaveribus, eorum arma ad sua castra detulit, et se in suo ordine tenuit. Secundo die utrique re audita adfuerunt, sibique victoriam vindicabant: Argivi quidem, quod suorum plures superfuisse dicerent: Lacedaemonii vero, quod qui eorum superfuerant, fugissent; suus autem perstitisset, et istorum cadavera spoliasset. Ex contentione tandem concurrentes pugnant: ac postquam permulti utrinque ceciderunt, Lacedaemonii vincunt. Quo ex tempore Argivi tonsis capitibus, quum antea necessario comati essent, legem condiderunt, se devoventes, ne prius comam aleret quisquam Argivorum, neve mulieres aurum ferrent, quam Thyreas recuperassent. His e diverso legem tulere Lacedaemonii, ut ab hoc tempore comati essent, quum antea non fuissent. Othryadem, qui unus e trecentis reliquus fuisset, aiunt pudore Spartam revertendi commi-

litonibus interfectis, illic apud Thyreas mortem sibi conscivisse.

83. Quum haec esset apud Spartiatas rerum conditio, advenit caduceator Sardianus precatum Croeso obsesso auxilia. Illi, caduceatore audito, statuerunt Croeso statim succurrendum. Quibus iam se apparantibus, ac navibus paratis, alius affertur nuncius, murum Lydorum expugnatum, Croesumque vivum esse captum. Sic Lacedaemonii magnitudine casus perculsi, supersederunt.

84. Sardes autem hunc in modum sunt expugnatae. Quartodecimo quam obsideri coeptae sunt die, Cyrus, missis passim equitibus, suis copiis edicit, se dona daturum ei qui primus murum conscendisset. Posteaquam id conato exercitu res non processit, ibi, quiescentibus ceteris, Mardus quidam, cui nomen erat Hyroeades, aggredi est ausus a parte arcis ubi nullus ad excubandum erat collocatus, quia illinc nequando arx caperetur haud suspectum erat, utpote loco praerupto atque inoppugnabili: quaque una parte Leonem Meles, qui antea fuerat Sardium rex, non circumtulerat, ex pellice sua genitum: qui Leo si murum circumlatus esset, Sardes inexpugnabiles fore Telmessenses iudicaverant. Eum Meles per ceteram partem muri circumduxit, quacunque poterat arx oppugnari: per hanc partem, tanquam inoppugnabilem atque praecisam, circumducere praetermisit, quae ad Tmolum vergit. Ab hac igitur parte ipse Hyroeades Mardus conspicatus quendam Lydum pridie descendisse ad galeam superne devolutam et recepisse, advertit animum, atque consideravit: dehinc et ipse tunc conscendit, et ad eius exemplum alii Persae subinde, atque alii frequentes. Ita urbs Sardes capta est, atque omnis direpta.

85. Ipsi autem Croeso haec contigerunt. Erat ei filius, cuius superius habui mentionem, habilis ad cetera, sed mutus. In priore igitur annorum felicitate ad vitium eius emendandum Croesus omnia fecerat, cum alia excogitando, tum vero Delphos mittendo ad oraculum sciscitandum: atque ei Pythia talibus respondit:

> Lyde genus, rex multorum, valde inscie Croese:
> Ne cura gnati exoptatam audisse loquentis
> Intra aedes vocem: sine qua potior tibi longe.
> Ille die quoniam primum infelice loquetur.

Porro captis moenibus quidam Persa in Croesum sibi ignotum ut occisurus vadebat. Quem invadentem se Croesus quum videret, tamen praesenti clade affectus de-

vitare negligebat, nihil putans differre an percussus oppeteret mortem. Filius eius mutus, ubi vidit Persam irruentem, prae metu et tanta aerumna, rupit vocem, inquiens, „ô homo, ne perimas Croesum.“ Atque hoc ille primum effatus, postmodum per omne vitae tempus loquens exstitit.

86. Persae et Sardibus potiti sunt, et ipso Croeso vivo, quum regnasset annos quatuordecim, totidemque dies fuisset obsessus, deleto magno suo imperio, ut ei fuerat responsum. Eum captum Persae ad Cyrum duxerunt: quem ille vinctum compedibus super ingentem quam struxerat lignorum struem imponit, circaque eum bis septem Lydorum filios: sive habens in animo primitias has alicui deo offerré, sive volens votum persolvere, sive cupidus sciendi, num quis daemonum liberaret Croesum, (quem religiosum esse audierat) quominus pyrae impositus vivus concremaretnr. Haec quidem Cyrum fecisse aiunt. Croeso autem super pyram stanti, etsi in tanta calamitate posito, tamen venisse in mentem Solonis, quod ab eo sibi nutu dei fuisset dictum, Ex viventibus beatum esse neminem. Quod dictum ubi subiit Croso, ferunt eum refectum et ingemiscentem ex vehemente taciturnitate ter Solon nominasse: et Cyrum, quum audisset, iussisse interpretes eum percontari quemnam istum invocaret. Illosque accedentes fuisse percontatos, et hunc interrogatum silentium tenuisse. Deinde qnum cogeretur, dixisse, „Illum, quem cum omnibus tyrannis colloqui ego, quam ingentem pecuniam praeoptassem.“ Eum non plane illis declarantem, rursus interrogant ea quae dicta erant. Efflagitantibus ac moleste urgentibus, inquit, quemadmodum Solon, domo Atheniensis, omnino venisset, et intuitus omnes eius opes coram, pro nihilo duxisset; talia scilicet loquutus, ut sibi ipsi omnia cesserint illuc, quo iste dixerat: neque haec magis de se ipso quam de omni hominum genere, et de iis praesertim qui sibi ipsis beati viderentur. Haec Croeso referente, iam pyra incensa, arsisse extrema: et Cyrum, auditis per interpretes quae Croesus dixisset, poenituisse: quum se quoque hominem esse cogitaret, qui alium hominem, qui se inferior non fuisset opibus, vivum igni traderet. Praeterea veritum ob id iram deorum, ac reputantem nihil esse in rebus humanis stabile, iussisse ignem celerrime exstingui iam ardentem, Croesumque deferri et qui cum eo erant. Verum eos qui iussi fuerant, non potuisse amplius vim ignis superare.

87. Ibi ferunt Lydi Croesum cognita Cyri senten-

tiae mutatione, quum cerneret unumquemque exstinguendo igni incumbentem, non tamen coërcere posse, exclamando invocasse Apollinem, ut ipsi adesset, siquod ab eo donum illi gratum fuisset oblatum, ipsumque praesenti malo liberaret. Ita cum lacrymis Croeso deum invocante, nubes repente, quum serenum ac tranquillum esset, contractas esse, et procellam erupisse, ac vehementissima aqua pluisse, et rogum extinctum fuisse. Ita Cyrum, cognito diis gratum ac bonum virum esse Croesum, e pyra deposuisse, atque hunc in modum interrogasse, „Croese, quisnam tibi hominum persuasit ut cum exercitu invaderes fines meos, ex amico factus hostis?" Cui Croesus, „Ego, inquit, ô rex, istud feci tuo prospero, meo infausto fato, Graecorum deo auctore, qui me ad bellum gerendum impulit. Neque enim quispiam ita amens est ut bellum quam pacem praeoptet. Nam in pace filii sepeliunt patres, in bello patres filios. Sed ut ista fierent, daemonibus cordi fuit."

88. Haec Croesus loquutus est: quem Cyrus solutum iuxta se collocavit, ac in multa sane observantia habebat, intuensque eum admirabatur, tam ipse quam omnis circa eum coetus. Ille cogitabundus silentium tenebat. Mox attendens, ac cernens Persas Lydorum diripientes urbem, „Utrum debeo, inquit, ô rex, tibi loqui quod sentio, an tacere hoc tempore?" Cyrus vero eum, quaecunque liberet, audacter proloqui iussit. Tunc ille Cyrum percontatur, „Ista, inquiens, tanta frequentia quid illa sic properat agere?" Cui Cyrus, „Tuam, inquit, urbem diripit, tuasque opes dissipat. Atqui, Croesus excipit, neque urbem meam diripit, neque meas opes. Nihil enim mihi iam cum istis rebus est: sed tua ferunt aguntque."

89. His verbis iniecta cura, Cyrus Croesum semotis arbitris interrogat quidnam in his, quae fierent, sibi constituendum censeret? Ad quem Croesus, „Quoniam, ait, me dii servum tibi tradiderunt, iure debeo, siquid amplius animadvertero, id tibi indicare. Persae natura proterva sunt, et iidem inopes. Quos si diripientes tu ac potientes magnis opibus negligis, id tibi ex his credibile est eventurum, ut quisque istorum plurimis opibus potietur, ita facillime in te rebellaturum, esse expectandum. Nunc igitur, si tibi placent haec quae ego dico, ita facito. Siste ad singulas portas aliquot ex tuis satellitibus custodes, qui auferentes vetent exportari opes, tanquam earum decimae Iovi necessario reddendae sint. Ita neque tu odium illorum contrahes, vi opes eripiendo; et ipsi agnoscentes te iusta agere, non inviti facient."

90. Haec audiens Cyrus, maiorem in modum gavisus est tali admonitu, eaque vehementer approbavit; et iussis satellibus id exsequi quod Croesus ipsi subiecisset, his verbis eum affatus est; „Croese, quandoquidem et facta et dicta tua prompta viri regis sunt, pete quid muneris a me velis impraesentiarum tibi dari.“ Ad quem Croesus, „O here, inquit, maxime gratum mihi facies, si siveris me deum Graecorum, quem ego maxime omnium veneratus sum, percontari missis ad eum his vinculis, nunquid ei fas sit bene de ipso merentes decipere.“ Et Cyro interroganti quidnam id esset, quod incusaret, altius repetens omnem suum aperuit animum, redditaque sibi oracula, et praecipue donaria sua, et quemadmodum excitus oraculo suscepisset adversus Persas expeditionem. Haec commemorando rediit rursus ad petendam veniam ista deo exprobrandi.“ Ad quem ridens Cyrus, „Et hoc, inquit, Croese, a me impetrabis, et quicquid aliud identidem tibi opus erit.“ Ubi haec audivit Croesus, Delphos misit quosdam Lydos, iussos, quum ad limen templi vincula posuissent, sciscitari deum nunquid eum puderet, per oracula qui Croesum induxisset ad bellum Persis inferendum, tanquam Cyri potentiam eversurum; unde tales primitiae ipsi offerrentur: compedes scilicet ostendendo; et sciscitari cum haec, tum nunquid Graecis diis foret fas esse ingratis.

91. Lydis illuc profectis, et haec mandata exsequutis, Pythia fertur ita respondisse: „Sortem fato destinatam defugere, deo quoque est impossibile. Croesus autem quinti procreatoris crimen luit, qui quum esset satelles Heraclidarum, mulieris dolo inductus, dominum interemit: illiusque dignitate potitus est, nihil ad ipsum pertinente. Verum Apollo, quum studuerit ut haec Sardium clades liberis Croesi, non ipsi Croeso contingeret, tamen transferre fata non potuit: sed quatenus illa permiserunt, annixus est, atque ei gratiam retulit, utpote dilata Sardium expugnatione tres annos. Et hoc Croesus discat, tot illis annis serius quam fata destinarant, se fuisse captum. Secundo loco, quod ipsi ardenti opem tulit. Nam quod ad oraculum pertinet, haud recte Croesus conqueritur; quoniam Apollo praedixit, eum esse magnum imperium, si bellum Persis inferret, eversurum: de qua re ipsum recte consultare volentem, decuerat mittere sciscitatum, utrum ipsius Apollo diceret imperium, an Cyri? Sed quod dictum erat, nec considerans, nec denuo interrogans, sibi ipsi acceptum referat. Quod autem ultimo responso ait Apollinem dixisse de mulo, ne hoc quidem discussit. Nam mulus hic, Cyrus erat: quippe qui duo-

bus diversarum gentium parentibus ortus sit, generosiore matre, patre tenuiore. Nam illa quidem, Meda erat, Astyagis Medorum regis filia; hic autem, Persa, et Medis subiectus: et licet omnium infimus, tamen dominam suam in matrimonium duxit." Haec Lydis Pythia respondit, quae illi Sardes reversi Croeso nunciarunt. Quibus auditis Croesus suam ipsius agnovit culpam esse, non dei. De Croesi igitur imperio et prima Ioniae subactione ita res se habent.

92. Porro Croesi non haec solum quae iam diximus, sed alia quoque permulta donaria in Graecia exstant. Siquidem apud Thebas Boeoticas tripus est aureus, quem illic Apollini nuncupavit Ismenio: apud Ephesum quoque buculae aureae, atque columnae pleraeque. — Quinetiam in Proneae templo apud Delphos clypeus aureus ingens. Atque haec etiamnum ad mea usque tempora supererant: nonnulla tamen interciderunt. Ac vero quae apud Branchidas Milesiorum a Croeso dedicata fuerunt, pondere, quantum intelligo, aequali et similia erant iis quae sunt Delphis. Ceterum ea quae tum Delphos, tum etiam ad Amphiarai misit templum, haec ibi, veluti domestica bona, paternarumque facultatum libamina, divis consecravit. Quandoquidem cetera donaria e facultatibus erant viri adversarii, qui Croeso, priusquam regnaret, repugnans, Pantaleontis partibus impense studens hunc in regni potestatem provehere conabatur. Pantaleon enim et ipse Alyattis filius erat, Croesi frater, at non ex eadem matre. Nam Croesus natus fuit Alyatti ex Carica uxore, Pantaleon ex Iade. Quum autem tradito a patre imperio Croesus potiretur, hominem illum qui sibi restiterat, in carduis fulloniis tractum interemit; bona autem eiusdem iam ante consecrata, tunc uti diximus iis locis dedicavit. Atque de donariis hactenus dictum sit.

93. Porro Lydia quae scribantur nulla sane miranda habet, prout aliae regiones, praeter auri ramenta e Tmolo deferri solita. Unum tamen nobis exhibet multo maximum praeter Aegyptiorum et Babyloniorum opera. Ibi enim est Alyattis Croesi parentis sepulcrum, cuius crepido e grandibus est lapidibus: reliqua sepulcri pars, aggestio terrae. Id construxerunt homines forenses atque operarii, et una cum his ad quaestum prostitutae puellae. Ceterum ad meam usque aetatem in summo tumulo quinque termini stabant, quibus literae insculptae indicant quae singuli elaboraverint: apparebatque ex mensura, puellarum opus esse maximum. Lydorum enim populi filiae omnes meretricantur, atque hoc quaestu tantisper dotem colligunt dum nupserint: se autem ipsaemet locant. Se-

pulcri huius ambitus, stadiorum est sex, et duorum arpendiorum: latitudo, arpendiorum tredecim. Confinis est eidem sepulcro lacus ingens, quem Lydi referunt esse perennem; vocatur autem Gygaeus. Atque hoc quidem sic habet.

94. Lydi legibus propemodum utuntur Graecorum similibus, nisi quod illi filias tradant vitae meretriciae. Primi eorum quos novimus, nummum aureum argenteumque ad utendum percusserunt, et primi caupones exstiterunt. Aiunt et ipsi se ludos invenisse, qui etiamnum apud Graecos et ipsos obtinent, simul autem haec in suis terris invenisse, et in Tyrrheniam colonos duxisse. Id quod hunc in modum accidisse referunt: tempore Atyis regis, Manis filii, annonae difficultatem per universam Lydiam acrem fuisse, et aliquamdiu quidem Lydos vitam assiduis laboribus tolerasse; postea vero, quum non cessaret, remedia quaesivisse, et alium aliud excogitasse. Tum igitur inventum ab iisdem et tesserarum et talorum ludum; et pilae, ceterorumque lusuum omnium genera, praeterquam calculorum. Horum enim inventionem sibi non vindicant Lydi. Porrò his inventis ad famem sic usos esse, alterum quidem dierum totum lusibus dedisse, ut videlicet cibos non quaererent: altero autem a lusibus abstinentes, vesci consuevisse. Atque hoc modó vixisse annos duodeviginti. Ubi autem malum non remitteret, sed magis etiam saeviret, tum regem universos Lydos bifariam divisos in sortem misisse, et hos quidem ut in sedibus suis manerent, illos vero ut exirent ex patria. Ac vero iis qui in sedibus suis mansionem sortiti essent, regem ipsum se addidisse: illis autem qui egrediebantur, filium suum, cui nomen Tyrrheno. Hos ex sortis casu e Lydia excedentes, descendisse Smyrnam: et mox fabricatis navigiis, quibus ea, quae ad supellectilem commoda habebant, imponerent, ad victum sedesque quaerendas oram solvisse; donec varias nationes praetervecti, ad Umbros pervenissent: ubi civitatibus constructis, ad hunc usque diem habitaverint, ac pro Lydis regii filii, qui eos deduxit, nomen mutavisse, ut huius appellatione quoque nominati fuerint Tyrrheni. Lydi itaque a Persis in servitutem redacti fuerunt.

95. Hinc iam nobis requirit oratio et Cyrum, quisnam fuerit ille, qui Croesi evertit imperium, et Persas, quomodo Asiae imperio potiti sint. Igitur quemadmodum quidam memorant Persarum, non qui res Cyri extollere, sed prout illa se habent referre student, ita ego conscribam; gnarus triplices alias esse de Cyro narrandi vias. Quum Assyrii annis quingentis viginti superiorem Asiam obtinuissent, primi Medi ab ipsis deficere coeperunt: qui

cum Assyriis pro libertate proeliati strenue se gesserunt, excussoque servitutis iugo libertatem obtinuerunt. Post quos et aliae nationes idem fecerunt quod et Medi.

96. Ceterum quum iam per continentem gentes omnes propriis viverent legibus, hac occassione rursus tyrannidi subiecti fuerunt. Fuit apud Medos vir sapiens, cui nomen erat Deioces, filius Phraortae, qui quum ad tyrannidem adspiraret, ita se gessit. Quum Medi per vicos habitarent, Deioces cum ante apud suos probatus, tum magis studiosiusque aequitatem colens exercebat, idque, quia videbat apud Medos universos magnam quandam legum infirmitatem, sat sciens aequitati iniquitatem esse inimicam. Medi vero qui eundem habitabant vicum, intuentes hominis mores, iudicem ipsum sibi constituunt. Hic, ut qui principatum ambiret, rectum se aequumque praebuit. Quae quum faceret, laudem apud populares obtinuit haudquaquam exiguam; adeo ut haec intelligentes ceterorum pagorum incolae, nempe Deiocem solum esse qui incorrupte iudicaret, prius iniquis sententiis adflicti, tunc postquam audiverunt, laeti affluerent ad Deiocem et ipsi litigaturi; postremo nulli alii id committerent.

97. Quum vero numerus accurrentium semper cresceret, utpote qui intelligerent sententias ex vero terminari, Deioces, animadvertens universa in se unum incumbere, neque amplius illic considere, ubi prius praesidens iudicaturum amplius dixit: siquidem non e re sua esse, si totum diem, rebus suis neglectis, dirimendis aliorum litibus impenderet. Quum igitur rapinae sceleraque passim per vicos multo etiam magis quam prius patrarentur, Medi convocato concilio, de communi rerum statu colloqui coeperunt. Et quantum mihi videtur, Deiocis amici maxime in hanc sententiam loquebantur; „Nequaquam praesenti modo viventes hanc nostram regionem possumus habitare; age, constituamus nobis ipsis regem, ut sic regio nostra bonis legibus administretur, et nos ad opera eamus, neque prae impunitate scelerum excidamus.“ Quae quum sic referrentur, consciscunt Medi ut regnentur.

98. Continuo ubi consultatum est quemnam regem crearent, Deioces adeo ab omnibus productus in medium et commendatus est, ut omnium suffragio rex comprobaretur. At ille iussit et aedificia sibi erig regno digna et stipatoribus se roborari. Huic Medi haec praestiterunt, eique aedificia ingentia probeque munita exstruxerunt in ea quam designaverat regione: permiserunt quoque satellites ex universis Medis sibi deligere. Deioces igitur imperio potitus, Medos compulit unum oppidum condere, ut hoc uno communito exornatoque, aliorum non ita magnam

coram haberent. Obsequentibus hac quoque in re Medis, moenia constituit ampla simul et valida, ea ipsa quae nunc Ecbatana appellantur, in quibus muri alter orbis, alteri inditus erat: sic nimirum constitutis moenibus, ut orbis alter altero solis pinnis foret excelsior. Adiuvabat huc loci ipsius commoditas, quum collis esset, ut talis fieret. Sed accessit etiam maius quiddam data opera factum; siquidem ambitus isti simul omnes numero sunt septem, in quorum postremo regia est et thesauri. Horum vero maximus murus magnitudine ferme illum Athenarum aequat ambitum. Ac primi quidem ambitus pinnae colore sunt albicanti, secundi nigro, tertii purpureo, quarti caeruleo, quinti sandaracino. Ita per cunctos ambitus pinnae fulserunt coloribus. Postremi vero duo, alter argentatas, alter inauratas habet pinnas.

99. Et haec quidem munimenta Deioces sibi struxit, et circa suam regiam; ac reliquum populum circumcirca habitare murum iussit. Ceterum universis constructis, ordinem hunc imposuit primus Deioces, ne cui ad regem ingredi liceret, sed per internuncios cuncta transigerentur, adeo ut nec conspiceretur rex a quoquam: ad haec, nec ridere, nec exspuere coram eo, quod et omnibus factu deforme esset. Haec ideo circa se instituit gloriosa, ne videlicet eum cernentes aequales et una cum eo educati et ex domo orti non viliore, neque virtute ac beneficentia inferiores doleant atque insidientur; sed quidam diversus et alienus ipsis esse videatur non intuentibus.

100. Quibus quum sese Deioces iam adornasset, atque in imperio confirmasset, in exercenda iustitia valde severum se praebuit. Etenim litigantes causas suas conscriptas intro per internuncios ad eum mittebant, quas ille decisas remittebat. Et haec quidem in iudiciis factitabat. Ceteris autem in rebus hunc ordinem instituerat: si quem intellexisset iniuriam cuipiam facere, hunc ad se arcessitum, indicta pro delicti cuiusque modo poena mulctabat: in quem usum exploratores auscultatoresque per universam regionem habebat.

101. Deioces igitur solam Medicam contraxit in unam nationem, eique imperavit. Cuius nationis tot numero gentes sunt, Busae, Paretaceni, Struchates, Arizanti, Budii, Magi. Hae sunt tot Medorum gentes.

102. Deioce defuncto, qui annos tres et quinquaginta regnavit, filius eius Phraortes suscepit imperium. Qui solo imperio Medorum non contentus, bellum ante omnes intulit Persis, eosque primos in potestatem Medorum redegit. Quibus duabus nationibus potitus, va-

lida utraque mox Asiam subegit, aliam deinceps atque aliam invadendo gentem: donec ad Assyrios oppugnandos pervenit, et quidem ad eos Assyriorum qui Ninum incolebant quondam omnium principes, sed tunc a sociis per defectionem desertos, alioqui per se bene habentes. Adversus hos expeditione suscepta Phraortes, secundo ac vicesimo quam regno potitus est anno, cum pleraque exercitus parte periit.

103. Post obitum eius, Cyaxares Phraortae filius, Deiocis nepos, successit: qui dicitur multo maioribus suis fortior fuisse, et primus Asiaticos populos per corpora ad militiam distinxisse, primusque in suum quosque ordinem distribuisse, hastatos, equites, sagittarios: quum prius omnia promiscue pariter fuissent confusa. Hic est qui cum Lydis bellum gessit; quo tempore in ipsa pugna dies in noctem est conversus: quique tota supra Halyn flumen Asia sibi conciliata, collecti suis omnibus, copias duxit adversus Ninum, simul et patrem ulturus, et civitatem volens exscindere. Ipsi porro, Assyriis proelio superatis, Ninum obsidenti ingruit ingens Scytharum exercitus, duce Scytharum rege Madye Protothyae filio, qui Cimmeriis ex Europa eiectis in Asiam eruperunt: et dum illos fugientes persequuntur, ita in Mediam penetrarunt.

104. Est autem a lacu Maeoti ad Phasim usque et in Colchos, expedito viatori iter triginta dierum: e Colchis vero non ita longo itinere perveniri potest in Mediam: sed una duntaxat natio interiecta est, Saspires: quos ubi transieris, continuo occurrit Media. Scythae tamen hac non irruperunt, sed alia via superiore et multo longiore deflectentes, Caucaso monte ad dextram relicto. Hic Medi cum Scythis congressi, proelioque fusi, Asiae imperium amiserunt.

105. Porro Scythae universa Asia potiti, hinc recta in Aegyptum contendunt. Quibus iam Syriam Palaestinam ingressis Psammitichus occurrens Aegypti rex, muneribus precibusque effecit ne ulterius progrederentur. Scythae, ubi regredientes venerunt in urbem Syriae Ascalonem, maxima parte Scytharum praetergressa sine maleficio, pauci aliquot eorum relicti Veneris Coelestis fanum despoliarunt. Est vero illud, quantum sciscitans intelligo, inter omnia huius deae fana vetustissimum. Siquidem quod in Cypro est fanum, hinc prodiit; quod ipsi etiam Cyprii referunt. Quinetiam illud in Cytheris delubrum, Phoenices ex hac Syriae regione orti condiderunt. Ac vero Scythis templi Ascalonensis spoliatoribus eorumque semper posteris numen morbum immisit

femineum: quemadmodum et ipsi fatentur Scythae se videlicet illo morbo ob id laborare; et illos, qui veniunt in Scythiam, videre quomodo constituti sint, quos Enareas appellant Scythae.

106 Postquam vero iam octo et viginti annis Asiae imperium Scythae obtinuissent, omniaque iam paene ex lascivia et negligentia eversa essent, (nam praeter tributa exigebant ab singulis, quod singulis imponerent; et praeter hoc tributum rapiebant circumcingentes id ipsum quod singuli possidebant) tandem horum potiorem partem Cyaxares atque Medi hospitio acceptam inebriatamque interemerunt. Et sic Medi recuperarunt imperium, ac possederunt ea quibus prius potiebantur, et Ninum expugnaverunt: (ut autem ceperint, in aliis scriptis indicabo) Assyriosque, excepta Babylonica portione, subegerunt. Post haec Cyaxares, ubi quadraginta annis, in quibus sunt et illi, per quos Scythae dominati sint, imperasset, vita functus est.

107. Cuius regnum suscepit Astyages filius. Hic filiam sustulit, appellavitque eam Mandanen: quae visa est ei per quietem tantum urinae fundere ut omnem ipsius urbem oppleret, atque universam Asiam inundaret. Quod somnium quum magis somniorum interpretibus exposuisset, conterritus est, singula quaeque ab illis edoctus: postea vero Mandanen iam viro maturam, nulli Medorum suorum, qui ea dignus esset, tradendam statuit, visum hoc reformidans. Immo ille iungit Persae cuidam nomine Cambysi, quem compertum habebat familia quidem bona ortum, ceterum ingenio quieto, existimans eum multo infra mediocris Medi statum.

108. Primo post Cambysi collocatam filiam anno, visum alterum vidit: videbatur ei ex genitalibus filiae vitis enasci, quae omnem occuparet Asiam. Quod visum quum retulisset ad interpretes somniorum, filiam iam partui vicinam ex Persis arcessit, eique, quum venisset, custodiam apponit, volens quod illa peperisset interimere. Etenim magi somniorum interpretes visum illud portendere dicebant Astyagi, prolem filiae ipsius pro ipso regnaturam. Hoc igitur cavens Astyages, ubi genitus est Cyrus accito Harpago, familiari viro, et inter Medos fidissimo, atque omnium rerum suarum procuratori, haec inquit; „Harpage, negotio quod tibi iniungo cave abutaris, neque vel me reiicias, vel alios sumens, postea tibi ipsi perniciem crees. Capito quem Mandane peperit puerum, in domumque tuam ferens, occidito: postmodum quoquo modo voles ipse sepelito. Cui respondit ille, „O rex, neque alias unquam huic viro advertisti ali-

quid ingratum; cavebimus vero et in posterum nequid in te delinquamus. Quod si tibi cordi est hoc ita fieri, oportet pro mea virili parte id industrie exsequi."

109. Haec quum respondisset Harpagus, eique puerulus ornatus esset traditus ad necem, contulit se domum flens: adiensque uxorem, refert omnem habitum ab Astyage sermonem. Ad quem uxor, „Quid igitur, inquit, facere tibi in animo est? Ego vero, respondet vir, non sicut Astyages mandavit, neque si desipiet, peiusque insaniet quam nunc insanit, non tamen huic voluntati parebo, neque ad hanc necem obsequar: multisque de causis eum non occidam, tum quod puer ipsi mihi cognatus est, tum quod Astyages grandis natu est, et virili prole orbus: quo defuncto, si tyrannis ad hanc eius perventura est filiam, cuius nunc filium per me interimit, quid aliud restat hinc mihi quam periculum maximum? Enim vero securitatis meae causa expedit hunc puerum interire, sed per aliquem ipsius Astyagis, non per aliquem meorum."

110. Haec loquutus, e vestigio nuncium mittit ad bubulcum Astyagis, quem norat pascua maxime idonea pascere, et montes feris frequentissimos: cui nomen erat Mitradates: cuius contubernalis erat conserva nomine Cyno, Graeca lingua; Medica, Spaco; nam canem Medi Spaca appellant. Locus ubi boum pascua ille bubulcus habebat, montium radices erant, ad ventum boream Ecbatanorum, et ad pontum Euxinum. Hoc enim tractu ad Saspires vergente, Media valde montosa est et edita, ac nemoribus frequens, reliqua vero Media tota admodum plana. Hic itaque arcessitus propere quum venisset, inquit ad eum Harpagus; „Jubet te Astyages hunc capere infantem, quem in desertissimo montium exponas, ut celerrime pereat, et haec ut tibi dicerem mihi iniunxit; nisi hunc interemeris, sed aliquo pacto servaveris, pessimo exitio te occisum iri; expositum inspicere mihi iniunctum est."

111. Haec ubi audivit bubulcus, sumpto infante, rediit eadem qua venerat via ad tugurium suum. Ei autem uxor sua, cuius partus in dies exspectabatur, tunc divinitus enititur filium, quum bubulcus in urbem iret. Ergo utrique mutua tenebantur solicitudine; hic quidem uxori parturienti metuens, illa vicissim marito timens, propterea quod praeter consuetudinem ab Harpago arcessitus esset. Ubi autem reversus affuit, eum uxor, utpote ex improviso cernens, prior interrogavit quid ita studiose ipsum Harpagus arcessivisset. Cui ille, „Uxor, inquit, ubi in urbem veni, et vidi et audivi

quod nec visum oportuit nec agi circa dominos nostros. Harpagi domus omnis luctu tenebatur: in quam ego perterrefactus simul atque introii, video puerulum in medio positum palpitantem vagientemque, auro ac versicolori veste ornatum. Eum Harpagus, ubi me vidit, iussit celerrime sumere, atque exponendum asportare in montanum locum, quam maxime feris abundantem: dicens Astyagem esse qui haec mihi iniungeret; magnopere minatus, nisi ea facerem. Ego acceptum puerum attuli, ratus alicuius illum domesticorum esse; nunquam enim cogitassem, unde erat. Terrebar tamen, quod viderem auro vestibusque ornatum: praeterea quod planctus manifestus fiebat in Harpagi domo. Atqui statim in via rescisco omnem sermonem ex ministro, qui extra urbem deducens, mihi infantem tradidit, eum Mandanes Astyagis natae et Cambysis Cyro geniti esse filium, et ab Astyage iuberi interfici: atque is hic est."

112. Haec loquens bubulcus, puerum deiectum ostendit: quem illa intuita magnum ac speciosum, genua viri cum lacrymis amplexa, obsecrat ne qua ratione puerum exponat. Hic negare aliter ista fieri posse: superventuros enim ab Harpago speculatores ad rem explorandam; seque, nisi ista exsequutus fuerit, miserrime periturum. Mulier ubi viro non persuadet, secunda haec addit; „Quandoquidem te nequeo inducere, ut non exponas, tu vero id facito, si utique necessitas prorsus est aspici puerum expositum. Quoniam ego quoque peperi, peperi autem mortuum; ablatum hunc in vicem expone, et istum ex filia Astyagis, tanquam ex nobis genitum, alamus. Ita neque tu iniurius in dominos esse deprehenderis, neque nobis male consuluerimus. Nam et hic qui obiit, regale sepulchrum nanciscetur, et iste qui superest, animam non amittet."

113. Sanequam commode visa est bubulco mulier loqui ad praesens tempus: atque ita continuo fecit. Quem puerum necaturus attulerat, eum uxori suae tradidit: suum autem, qui mortuus erat, acceptum collocavit in eo vase, in quo alterum portaverat; omnique alterius pueri cultu ornatum, in desertissimo montium exposuit, triduoque post pueri expositionem, relicto quodam pecuariorum illic eius custode, in urbem se contulit, et ad domum Harpagi: aitque esse paratum illi ostendere pueruli cadaver. Harpagus, missis suorum satellitum fidelissimis, rem per eos inspexit, ac bubulci filiolum sepelivit. Et hic quidem humatus est: alterum vero, qui postea Cyrus appellatus est, uxor bubulci adsumptum nutrivit, imposito illi alio quopiam ac non Cyri nomine.

114. Qui posteaquam decennis fuit, eum res ista, quae illi talis contigit, palam fecit. Ludebat in pago ubi etiam armenta illa erant, et ludebat cum aliis aequalibus in via; et colludentes pueri elegerunt suum regem esse hunc cognominatum bubulci filium. Ipse igitur ordinabat eos; ut alii domos struerent: alii satellites forent: aliquem quoque eorum, ut oculus regis esset: alii, ut internuncius esset eorum, quae ad aulam adferebantur, tanquam unicuique munus assignans. Horum puerorum quidam collusor Artembaris filius erat, viri inter Medos clari, quem Cyrus, quod imperata non fecisset, iussit ab aliis pueris apprehendi: et quum illi paruissent, aspere admodum verberibus affecit. Quae puer tanquam se indigna passus, iniquissimo animo ferens, ubi primum dimissus est, in urbem reversus ad patrem, ea quae a Cyro pertulisset deploravit: non tamen Cyrum nominans (nondum enim eius hoc erat nomen,) sed a filio bubulci Astyagis. Artembares, ut erat ira percitus, ad Astyagem ducens filium secum contendit: et rem intolerandam passum esse inquiens, eiusque humeros ostendens, „O rex, sic insultatur (ait) nobis ab servo tuo, eiusque bubulci filio.“

115. Audiens haec atque cernens Astyages, volens Artembaris honoris gratia ulcisci puerum, iussit arcessi bubulcum et filium. Qui quum ambo adfuissent, intuens in Cyrum Astyages. „Tune, inquit, hoc tali patre genitus, ausus es huius filium, viri apud me primarii, tam indignis concidere verberibus?“ Cui vicissim ille, „Istud, inquit, ô here, huic ego iure feci. Pueri enim ex hoc pago, quorum hic unus erat, me regem suum ludentes constituerant: quippe qui videbar eis ad hoc maxime esse idoneus. At iste, quum ceteri omnes pueri iussis obtemperarent, audiens dicto esse nolebat, ac nihili faciebat: propter quod poenas dedit. Quod si ego propterea ullo malo sum dignus, hic tibi praesto sum.“

116. Haec loquente puero, subiit Astyagi recognitio eius, visaque ipsi est figura oris admoveri ad se et responsio esse liberalior, et tempus expositionis cum pueri aetate congruere. Hic perculsus Astyages, aliquamdiu sine voce mansit: vixque tandem ad se reversus, volens a se Artembarem dimittere, ut bubulcum submotis arbitris rimaretur, „Ego, inquit, Artembares, efficiam ut tu et filius tuus ob hoc nihil conqueramini.“ Dimisso igitur Artembare, et regis iussu per famulos Cyro introducto, bubulcum, qui solus erat relictus, ipse solum percontatur, unde puerum accepisset, quisve ei tradidisset? Ille ex se genitum respondere, et genitricem eius apud se

etiamnum esse. Astyages dicere, non bene sibi illum consulere, qui cuperet ad ingentes devenire necessitates. Simulque haec dicens, satellitibus innuit ut prehenderent ipsum. Hic autem ad tormenta dum ducitur, ita demum rem ut erat patefecit: ab initioque exorsus, vera referendo, descendit ad preces et petendam sibi veniam.

117. Bubulco veritatem eloquuto, Astyages minorem quoque iam eius curam habuit; sed Harpagum, cui valde succensebat, vocari a satellitibus iussit. Quem, ubi adfuit, percontatur Astyages, „Harpage, qua nece interemisti quem tibi tradidi puerum e filia mea genitum?“ Harpagus, ut vidit bubulcum intus esse, noluit tergiversari mendacio, ne argumentis convinceretur: sed ita respondit; „Ego posteaquam infantem accepi, rex, cogitavi quo pacto voluntati tuae satisfacerem; et tamen, quum ad te delicti insons exstitissem, ne forem aut filiae tuae aut tibi ipsi carnifex; ideoque ita statui agendum: arcessito huic bubulco infantem tradidi, inquiens te esse, qui iuberes illum interficere. In quo dicendo mentitus non sum; tu enim ita praeceperas. Nihilominus huic puerum trado hac lege: iussi exponere eum in diserto monte, et perstare observantem tantisper dum exspirasset: comminatus isti extrema quaeque, nisi haec effecta reddidisset. Ubi hic fecit imperata, et infans obiit, missis eunuchorum fidissimis, per eosdem vidi et eum sepelivi. Ita res habet, ô rex: atque hac morte defunctus est puer.“

118. Et Harpagus quidem rectam habuit orationem, Astyages autem dissimulata, qua illi infensus erat bile ob id quod contigerat, primum rem ei vicissem enarrat quemadmodum ipse ex bubulco audierat: deinde narratione sic repetita, illuc devenit ut diceret, „Puer vivit, et quod accidit, bene habet. De eo enim, inquit, quod in hoc puero factum esset, valde laborabam, et a filia mea insimulatus, haud leviter ferebam. Igitur in bonum conversa fortuna, tum filium tuum mitte ad puerum hunc qui recens venit: tum vero ad coenam mihi adesto; siquidem constitui pro salvo puero diis, quibus honor hic convenit, sacrificare.“

119. Harpagus quidem, quum haec audisset, adorato rege, ac sibi maiorem in modum gratulatus, quod peccatum suum commode cessisset, et propter sortem prosperam ad convivium vocaretur, domum abiit. Quam ingressus, properanter filium, qui ipsi unus solus erat tredecim circiter natus annos, eum emittit, iubens ire ad regiam Astyagis, et exsequi quodcunque ille imperaret. Ipse gestiens, quid sibi evenisset uxori exponit. Eius porro filium, ubi advenit, Astyages iugulatum membra-

tim concidens partem carnium torruit, partem elixavit, et probe apparatas in promptu habuit. Dehinc sub horam coenae, postquam adfuerunt cum ceteri convivae, tum vero Harpagus; convivis quidem aliis atque ipsi Astyagi mensae appositae sunt ovilla refertae carne: Harpago autem, praeter caput et manus extremas ac pedes, reliquis omnibus filii sui partibus; nam illa in canistro bene operta, separatim reposita erant. Eum autem, postquam satis pastus illo cibo videbatur, Astyages interrogat, nunquid sit illis oblectatus epulis? Se vero valde oblectatum dicenti Harpago, ii quibus negotium erat datum, adferunt caput filii cum extremis manibus ac pedibus tectum: et adstantes iubent eum detegere, ac sumere quod vellet ex iis. Harpagus obtemperans, ubi detexit, cernit reliquias filii; non tamen eo spectaculo consternatus est, et sui compos mansit. Sed percontanti Astyagi nunquid agnosceret cuius ferae carne pastus esset, se agnoscere respondit, et quicquid rex ageret, placere. Hoc reddito responso, receptisque reliquiis carnium, domum abiit, eas, ut ego opinor, illic collectas humaturus.

120. Et Harpagum quidem hac ultione Astyages insequutus est. De Cyro autem deliberans, eosdem ex magis arcessivit, qui fuerant ipsius somnium sic interpretati. Postquam venerunt, sciscitatur eos, quomodo sibi visum illud essent interpretati? Illi iuxta eandem sententiam affirmarunt dicentes, „Puerum illum debere regnare, si superstes esset, nec prius obiisset.“ Atqui puer et vivit et incolumis est, Astyages excepit, et quum ipsum ruri agentem pueri eius pagi delegissent regem, quae fiunt ab iustis regibus, ea omnia hic perfecit. Nam satellitibus, ianitoribus, internunciis, ac ceteris officiis institutis, imperium exercuit: quae vobis quo nunc videntur spectare? Siquidem superest puer, magi respondent, atque regnavit non ex aliqua industria, confidito ob id, ac bono esto animo. Non enim adhuc regnabit iterum. Nam quaedam vaticinia nobis in exigua cesserunt, et ipsa insomnia etiam prorsus imbecillum deveniunt. Ego, inquit Astyages respondens, istius, ô magi, prorsus sum sententiae, puero rege nominato fidem somnii impletam esse nihilque mihi amplius eum puerum esse reformidandum. Vos tamen probe circumspicientes, quaenam futura sint et meae domui et vobis tutissima, consulite.“ Ad haec magi, „Nostra etiam, ô rex, inquiunt, magni interest, tuum stare principatum: alioquin enim alienatur ad hunc puerum, qui Persa est, transgressus; et nos quoque qui Medi sumus, in servitutem redigemur, et quum simus extranei, nullius erimus apud Persas pretii: te autem regnante, qui

popularis noster es, tum ex parte imperamus, tum magnos abs te honores obtinemus. Quo magis omnino per nos et tibi et regno tuo prospiciendum est, et nunc, si quid cerneremus timendum, universum tibi ante aperiremus: verum quum in rem frivolam nunc evaserit somnium, et ipsi confidimus, et te itidem alia haec hortamur, ut hunc ableges puerum ab oculis tuis in Persidem ad parentes."

121. His auditis Astyages gavisus est: accitoque Cyro haec inquit, „O puer, quum ego propter quandam haud perfectam somnii visionem in te fuissem iniurius, tuo tamen ipsius fato superstes es. Nunc itaque laetus ad Persas ito cum iis quos ad te deducendum mittam. Eo perveniens, parentes tuos offendes; nequaquam similes sorti, quae est Mitradatis bubulci, et uxoris eius."

122. Haec loquutus Astyages, Cyrum dimittit. Quem ad domum Cambysis reversum acceperunt sui parentes, et audita re vehementer amplexati sunt, ut quem statim mortem obiisse sciebant. Sciscitabantur igitur quonam modo superstes esset. Hic vero ait illis, narrans se antea non novisse, et in plurimo errore versatum fuisse: inter viam tamen omne suum infortunium audisse; credidisse enim se bubulci Astyagis esse filium: verum in illo itinere omnem rem gestam, ab iis qui ipsum deduxerant accepisse. — Commemorabat autem se ab uxore bubulci fuisse educatum, semper eam laudibns prosequens, ita ut in eius sermone primas ferret Cyno. Quod nomen accipientes eius parentes, ut magis divinitus videretur Persis filius fuisse ipsis servatus, divulgarunt, a cane Cyrum, quum esset expositus, fuisse educatum; unde haec opinio emanavit.

123. Ubi Cyrus in virilem adolevit aetatem, et inter aequales robustissimus evasit et amoenissimus, urgebat eum Harpagus dona mittendo, Astyagis ulciscendi cupidus. Nam ab sese, qui privatus esset, non videbat futuram in Astyage vindictam: sed Cyrum cernens adultum, cuius casus suis assimilabat, socium comparabat. Sed et aliquo ante tempore haec ab eo facta erant. Quum esset acerbus Astyages in Medos, Harpagus singulis quibnsque eorum insinuans primoribus, persuadebat, oportere Astyagem a regno summoveri, Cyro delecto. Harpagus, his transactis ac paratis, ita demum volens Cyro apud Persas agenti suam aperire sententiam, quum aliter non posset, utpote itineribus custoditis, huiusmodi rem comminiscitur. Leporem artificiose tractans rescidit eius ventrem; et nihil avellens, prout erat, indidit libellum in quo quae libuit conscripserat: et rursus consuto ventre, lepo-

rem una cum retibus tradidit venatori cuidam, quippe servorum fidissimo: misitque in Persas, praecipiens dicendo, quum daret leporem Cyro, insuper diceret ut ipse suis manibus aperiret, idque sine arbitris faceret.

124. Haec exsequuto nuncio, Cyrus acceptum leporem rescidit, inventumqne libellum qui in eo inerat, adeptus legit, in haec verba: „O fili Cambysis, dii certe te respiciunt; nam aliter nunquam in tantum fortunae pervenisses: ulciscere nunc Astyagem tuae necis auctorem; quoniam ex huius tu quidem studio perieras, deorum tamen beneficio et meo snperstes es. Quae omnia quemadmodum circa te ipsum gesta sint, opinor te olim iam rescivisse: et item qualia ego ab Astyage passus sim, quod te non occiderim, sed bubulco tradiderim, Nunc, si mihi auscultare vis, omni tu cui Astyages imperat regioni imperabis. Quum enim Persis, ut deficiant persuaseris, expeditionem adversus Medos suscipe: et sive ego dux ab Astyage ad tibi occurrendum creatus fuero, adsunt, quae tu optes, sive alius quispiam Medorum illustrium. Primi enim isti ab illo deficientes, et a te stantes Astyagem conabuntur evertere, Tanquam igitur tibi sit quodcunque hic in expedito, ista exsequere, et exsequere sine mora.

125. Cyrus, his auditis, considerabat qnonam solertissimo modo Persas induceret ad rebellandum. Cogitando tandem comperit haec esse maxime apposita, ut ita faceret: Scripto libello de iis quae volebat, concilium Persarum coegit. Deinde resignato libello atque lecto, ducem se inquit Persarnm ab Astyage esse designatum. „Et nunc, ô Persae, ait, edico vobis ut praesto mihi sitis cum singulis falcibus.“ Hoc Cyrus Persis praecepit: quorum complura sunt genera. Eorum quaedam Cyrus congregavit et ad deficiendum a Medis induxit. Sunt autem haec, ex quibus alii omnes pendent Persae, Pasargadae, Maraphii, Maspii. Sed horum Pasargadae sunt praestantissimi, in quibus et Achaemenidae sunt sodalitium, unde reges Persidae sunt oriundi. Alii Persae hi sunt, Panthialaei, Derusiaei, Germanii: hi quidem omnes aratores. Alii vero pecuarii, Dai, Mardi, Dropici, Sagartii.

126. Ubi cuncti adfuerunt habentes quod erat praeceptum, ibi Cyrus iubet locum quendam dumosum (erat enim in Perside is locus circiter octo et decem stadiorum aut viginti) totum prorsns detergant intra diem. Quo labore perfunctis Persis, iterum praecipit in posterum diem ut lauti adsint. Interim coactos in unum caprarum, ovium, boum greges omnes patris sui mactat atque apparat, tanquam Persarum exercitum excepturus vinoque ac cibariis

quam lautissimis. Postero die ubi convenerunt Persae, iubet eos discumbere in prato atque epulari. Deinde coenatos interrogat, utrum pridianam an praesentem conditionem praeoptarent. Illis respondentibus, multum esse inter haec duo intervalli: pridianam enim omnia mala habuisse, praesentem vero omnia bona habere: excepit Cyrus hoc responsum, et omnem rem denudavit, inquiens; „Viri Persae, ita res vestrae habent: volentibus vobis mihi obtemperare, et haec et alia infinita commoda sunt sine ullo servili labore: nolentibus vero, innumerabiles, similes hesternis, aerumnae. Nunc itaque obtemperando mihi estote liberi; nam et divina quadam sorte ipse genitus haec bona videor in manus vestras adferre, et vos arbitror viros esse non inferiores Medis, cum in aliis, tum vero in bellicis rebus. Quae quum ita sint, desciscite quam primum ab Astyage."

127. Persae, ut qui iampridem dedignarentur parere Medis, nacti ducem, libenter in libertatem vindicabantur. Haec moliri Cyrum Astyages quum accepisset, misso nuncio eum arcessivit. Iste nuncium iubet renunciare, se ad illum prius venturum quam Astyages ipse velit. His auditis, Astyages Medos cunctos armat, hisque utpote lymphatus Harpagum praeficit, oblitus eorum quae illi fecisset. Comparato exercitu, ubi Medorum copiae cum Persicis proelium conseruerunt, quicunque eorum consilii erant expertes, proeliabantur; alii vero ad Persas transibant. Plerique de industria ignaviter agebant, fugiebantque.

128. Dilapso turpiter Medico exercitu, Astyages ut primum rem cognovit, minitans Cyro, inquit; „Ne sic quidem Cyrus gaudebit." Haec loquutus, ante omnia eos magos somniorum interpretes, qui suasissent ipsi Cyrum dimittere, patibulis affigit. Deinde reliquos Medorum qui in urbe erant, adolescentes pariter et senes, armat. Quibus eductis, cum Persis confligens fugatur; vivusque ipse capitur, amissis quos eduxerat Medis.

128. Ei captivo adstans Harpagus insultavit, eumque dicteriis lacessivit, cum alia quae animo eius dolorem darent dicens, tum vero etiam rogavit eum de coena sua, in qua ille ipsum carnibus filii pavisset, quale eius servitus pro regno foret? Eum intuens Astyages vicissim interrogat, numquid suum faceret Cyri opus? Harpagus vero, suum esse dicere, idque merito, quoniam ipse ad Cyrum scripsisset. Tum Astyages eum consilii levissimum atque iniquissimum omnium hominum demonstravit: levissimum quidem quod, si facultas ei aderat ut rex

fieret; alteri tribuerit imperium, si modo illa per ipsum gesta essent: iniquissimnm vero, quod coenae causa Medos in servitutem redegisset. Si enim oportebat omnino eum comparare alteri regnum, nec sibi habere, iustius futurum fuisse Medorum alicui id bonum comparare, quam Persarum. Nunc Medos, qui huius facinoris affines non exstitissent, ex dominis factos esse servos: et Persas qui fuissent antea Medorum servi, nunc dominos evasisse.

130. Hunc in modum Astyages, quum quinque et triginta regnasset annos. regno excidit; ob cuius acerbitatem Medi succubuernnt Persis, centum ac duodetriginta annos, omni supra Halym fluvium Asiae dominati, excepto tempore quo Scythae regnaverunt. Eosdem tamen sequenti tempore horum factorum poenituit, ita ut a Dario defecerint: sed post defectionem proelio victi, iterum subacti sunt. Tunc autem regnante Astyage Persae cum Cyro quum adversus Medos rebellavissent, deinceps Asiae imperitaverunt. Cyrus nullo alio malo afficiens Astyagem, penes se habuit quoad vita excessit. Ita Cyrus genitus educatusque, regno potitus est. Et post haec Croesum iniuriae auctorem subegit, quemadmodum a me superius memoratum est. Quo subacto, ita omnem Asiam adeptus est.

131. Porro ritus quibus utuntur Persae, tales esse comperi. Neque statuas, neque templa, neque aras ponere et consecrare fas putant, quinimmo hoc facientibus insaniae vituperium inferunt, ob id, ut mea fert opinio, quod non, quemadmodum Graeci, sentiunt deos ex hominibus ortos esse. Moris habent, editissimis conscensis montibus, Iovi facere sacra, omnem gyrum coeli, Iovem appellantes. Soli lunaequae sacrificant, et telluri, igni, aquae atque ventis: hisque solis sacra faciunt iam inde ab initio. Sed praeterea quoque addidicerunt Uraniae sacrificare, ab Assyriis Arabibusque edocti. Vocant autem Assyrii Venerem Mylitta, Arabes eandem Alitta appellant, Persae veso Mitran.

132. Sacrorum autem ritum circa hos modo dictos deos hunc ex instituto habent Persae, ut sacrificaturi, nec aras erigant, neque ignem incendant, sed neque libamentis utantur, neque tibiis, non infulis, non molis: verum, ut quis horum unicuiqne sacra facere statuit, in locum mundum victimam ducens, deum illum implorat, myrto maxime cinctam gestans tiaram. Saorificanti autem, non licet pro se solo privatim vota nuncupare; immo

ille communiter universis Persis bene precatur et regi: quippe inter Persas omnes et ipse comprehenditur. Ubi vero iam in minutas portiones hostiam concidit, carnibus elixis herbam substernit quam mollissimam, maxime trifolium. In hac igitur dispositis omnibus carnibus, magus vir astans, theogoniam accinit; siquidem hanc illi dicunt esse incantationem. Citraque magum illis nullum fit legitimum sacrificium. Brevi spatio interposito ille, qui mactavit, sublatis carnibus utitur in quemcunque usum illi fert animus.

133. Ex omnibus diebus praecipue colendum censent suum quique natalem: unde hoc die plus aliis aequum censent ciborum proponere. Et beatiores, integrum bovem, equum, camelum, asinum, in fornacibus tostos, isto die proponunt; pauperes vero eorum ex pecoribus tenuiora proponunt. Cibis autem utuntur paucis, bellariis multis, neque iis confertis. Hinc est quod Persae dicunt, Graecos in vescendo desinere esurire, quoniam ipsis a coena adfertur nihil pretii ullius, et siquid adferatur non desinere edere. Vino largius adhaerent. Eisdem nec vomere nec urinam facere coram alio licet: quae nunc quidem ita observantur. Potu impleti de rebus maxime seriis consultare consueverunt: quod autem placuerit ipsis consultantibus, id postera die sobriis proponit is, qui aedibus illis in quibus forte consultatur praeest: et, si placuerit etiam sobriis, utuntur ipso; sin minus, deserunt; etiam de quibus ieiuni ante deliberaverunt, de eisdem poti insuper cognoscunt.

134. Quum in via invicem sibi occurrunt, ex hoc quis cognoscat an pares sint: nam salutationis loco mutuo ora osculantur. Quod si alter fuerit inferior paulo, malas osculantur: sin autem alter fuerit multo ignobilior, prostratus adorat alterum. In primis autem illos observant reverenter qui proxime habitant, attamen post se ipsos: secundas tribuunt iis qui a primis proximi: atque sic deinceps ratione habita progredientes; minime autem honorant longissime ab se habitantes. Sic enim existimant, se hominum omnia longe optimos esse: alios vero, eadem ratione, hactenus ut dicatur, virtuti studere: eos autem, qui remotissimi ab ipsis vivant, esse pessimos. Sub Medis imperium obtinentibus, nationes quoque sibi imperitabant: omnibus quidem simul praeerant Medi, et iis, qui proxime ipsos vivebant; isti autem etiam vicinis; illi maxime affinibus. Ad eandem etiam rationem Persae colunt: namque illa gens imperitans et quasi tutelam gerens longe procedebat.

135. Externos autem mores Persae facillime hominum admittunt: nam et Medicam vestem propria elegantiorem arbitrantes, gestant: et in pugnis utuntur thoracibus Aegyptiis. Quin voluptatibus etiam omnis generis quas rescire potuerunt, frui student. A Graecis edocti, pueris miscentur. Unusquisque eorum virgines multas ducit uxores; sed multo plures pallacas habent.

136. Virilis praestantia haec declaratur post bellicam fortitudinem, si quis numerosam subolem procreaverit: et illi qui liberos plurimos ostenderit, rex singulis annis munera mittit. Quod multum est, credunt robustum esse. Liberos suos, a quinto anno incipientes usque ad vicesimum, tribus duntaxat instituunt, equitare, sagittare et vera loqui. Ante quinquennium filius in conspectum patri non venit, sed apud feminas degit. Quod ea gratia sic fit, ut si inter nutrimenta decedat, nullam patri afferat molestiam.

137. Equidem hunc morem laudo: laudo item illum, ne ob unam tantum culpam liceat vel ipsi regi occidere quempiam, neque cuiquam aliorum Persarum atrocius aliquid in familiam suam consulere ob unum solum delictum; sed expendere iubetur quisque, si plura ac maiora comperiat esse delicta quam obsequia, tum demum ira utatur. Suum autem patrem aut matrem aiunt a nemine unquam fuisse occisos, verum quotquot talia forte acciderunt, dicunt omnino necese esse, ut bene hi excussi tandem deprehensi fuerint aut subdititii, aut spurii. Quippe verisimile nequaquam videri aiunt, ut is qui verus parens sit, a proprio filio interimatur.

138. Quaecunque illis facere non licet, ea nec dicere. Turpissimum apud eos ducitur mentiri: secundo loco, aes alienum debere, quum ob alias multas causas, tum maxime quod necesse esse aiunt eum qui debet, mendacio quoque obnoxium esse. Siquis e civibus lepra aut vitiligine infectus sit, hic in civitatem non accedit, neque cum aliis Persis consuetudinem habet. Dicunt enim hos morbos illi immissos, quod in solem peccaverit. Externum vero qui iisdem correptus fuerit, e regione sua multi exigunt: prout etiam albas columbas ob eandem causam. In flumen nec immeiunt, nec inspuunt, nec manus abluunt, nec alium ista facientem negligunt, sed flumina religiosissime colunt.

139. Hoc quoque Persis accidit peculiare, quod quanquam illos lateat, nobis tamen minime est obscurum: nempe quaecunque apud illos nomina vel corporibus vel magnificentiae sunt similia, ea omnia in eadem terminari

litera, quam Dorienses San appellant, Iones Sigma. Et, si animadvertas attentius, deprehendes nomina Persarum non quaedam, sed omnia similiter claudi.

140. Equidem haec probe sciens de Persis possum indubitato affirmare. Nihilominus ista tanquam abscondita referuntur, neque perinde certo, nempe de mortuo; cadaver defuncti Persae non prius humatur quam aut ab alite aut cane tractum sit. Magos enim quidem certe scio haec factitare: quippe in aperto faciunt. Persae igitur cadaver postquam cera obleverunt terra condunt. Magi vero multum cum ab aliis hominibus, tum a sacerdotibus Aegyptiis differunt. Siquidem hi puros se et castos statuunt, si nullum animal occiderint praeter ea duntaxat quae immolant: magi suis ipsorum manibus, excepto cane atque homine, quidvis occidunt; immo hoc palmarii loco ducunt, si pari modo formicas serpentesque, et alia reptilia atque volatilia necaverint. Atque de hoc quidem ritu hunc in modum dictum sit, prout omnino constitutus est: nos ad priorem narrationem recurrimus.

141. Porro Iones atque Aeolenses, postquam Lydi a Persis subversi sunt, celerrime legatos Sardes miserunt ad Cyrum, volentes iisdem conditionibus parere Cyro, quibus etiam paruerant Croeso. Verum Cyrus auditis quae proferebant, tali narratione iis respondit; Tibicinem inquiens quendam, ubi pisces in mari conspexisset, canere tibia, existimantem eos in terram egressuros: at spe sua frustratum, sumpto verriculo, et ingentem piscium vim complexum esse, et extraxisse; et quum palpitantes cerneret, utique dixisse ipsum piscibus; „Temperate mihi a saltando, quando non libuit vobis me canente egredi saltando.“ Hanc narrationem Cyrus Ionibus Aeolensibusque ideo dixit, quod Iones prius ipso Cyro per legatos petente, ut a Croeso deficerent, recusaverant: ac tum demum, rebus perfectis, parati essent Cyro imperata facere. Sic quidem ille ira commotus, hoc responsum eis dedit. Iones his auditis, quum ad suas civitates ea relata essent, tum moenia communiunt singuli, tum congregabantur in Panionium alii omnes, praeter Milesios; quippe cum his solis foedus inierat Cyrus, iisdem conditionibus quibus et Lydus. Porro reliqui Iones communi nomine decreverunt legatos Spartam mittere, qui rogarent Ionibus auxilio venire.

142. Iones vero illi ad quos Panionium quoque pertinet, urbes habent cum coeli bonitate, tum montium commoditate pulcherrime sitas prae omnibus gentibus quas nos novimus, adeo ut neque superior regio, neque infe-

rior, neque ea quae in orientem nec quae in occidentem vergit plaga, Ioniam hac in parte aemulari possit. Siquidem haec vel frigore vel aquis premitur: illa rursus calore ac situ squalet. Lingua utuntur non eadem, sed quatuor derivationum modis. Miletus prima earum urbs ad meridiem iacet. Post hanc Myus et Priene: hae in Caria sitae sunt, eadem inter se lingua utentes. Illae vero in Lydia, Ephesus, Colophon, Lebedus, Teos, Clazomenae, Phocaea, quae cum iam dictis urbibus, quantum ad linguam attinet, nullo genere conveniunt, inter se tamen eadem sonant lingua. Reliquae sunt tres urbes Ionicae, quarum duae insulas habitant, Samum et Chium; una in continenti sita, Erythrae. Ex his Chii et Erythraei eandem sermonis proprietatem exercent: Samii vero ab his discrepantes, propriam quandam receperunt loquendi formam. Atque hunc in modum quatuor omnino linguarum fiunt proprietates.

143. Ac horum Ionum Milesii erant, qui in obtegendo metu foedus pepigerant. Insularibus autem horum nihildum gravius fuit metuendum, quod Persis Phoenices nondum essent subiecti, et ipsi Persae navalem usum non haberent. Porro hi non aliam ob causam ab Ionibus erant resecti, quam quod cum imbecilles essent omnes alii Graeci, tum Iones oppido quam infirmissimi, et minimi momenti. Siquidem praeter unas Athenas, nulla urbs alia insignis erat; unde alii Iones et Athenienses, Ionum nomen refugerant, nolentes appellari Iones. Quinetiam nunc plerosque ex illis apparet nominis istius pudere. Ceterum duodecim istae civitates nomine ipso gloriabantur, et fanum sibi construxerunt, cui nomen ex se posuerunt Panionium; cuius nullos alios Ionas participes facere decreverant: nec erant qui postularent participes fieri, nisi Smyrnaei.

144. Tale quippiam Doriensibus accidit, qui Pentapolin nunc regionem incolunt, quae eadem ante Hexapolis vocabatur; nam et hi cavent ne quem e finitimis Doriensibus ad Triopicum sacrum admittant: adeo ut etiam ex popularibus suis, qui sacri legem transgressi essent, a communicatione excluserint. Nam in certamine Apollinis Triopii tripodes victoribus constituebantur olim aerei: quos acceptos non e sacro efferre, sed deo dicare ibidem oportebat. At vir quidam Halicarnassensis, nomine Agasicles, victoria potitus, sustinuit legem hanc violare, tripodemque domum suam ferens clavo affigere. Propter quod commissum, quinque hae civitates, Lindus, Ialysus, Camirus, Cos atque Cnidus, sextam civitatem Hali-

carnassum a sacrorum participatione removerunt; hac videlicet poena Halicarnasseos castigantes.

145. Atqui mihi sane videntur Iones duodecim fecisse civitates, nec voluisse plures recipere, propterea quod eorundem etiam Peloponnesum habitantium totidem fuerint partes: quemadmodum nunc quoque Achaeorum, qui Ionas e sedibus suis exegerunt, duodecim sunt partes. Nempe prima prope Sicyonem est Pellena, deinde Aegira et Aegae, in qua est Crathis fluvius perennis, a quo et Italicus ille vocatus est: et Bura et Helice, in quam ab Achaeis bello fracti Iones confugerunt; et Aegion, et Rhypes, et Patrenses, et Pharenses, atque Olenus, ubi Pirus ingens fluvius est. Postea Dyma et Tritaeenses, qui soli mediterranea colunt.

146. Hae nunc sunt duodecim Achaeorum portiones, quae tum quoque Ionum erant, et propterea Ionibus duodecim civitates constituere placuit. Nam istos esse aliquid amplius prae aliis Ionibus, aut praestantiore genere ortos, magna insania est asseverare: quum in his Abantes sint Euboeae haud minima portio, qui tamen nec cum Ionia nec cum nomine quicquam habent commune: et Minyae Orchomeniis sint admixti, et Cadmei, et Dryopes, et Phocenses a popularibus avulsi, et Molossi, et Arcades Pelasgi, et Dorienses Epidaurii, atque aliae multae nationes inter se commixtae sint. Horum illi ex Atheniensium Prytaneo progressi et nobilissimos se Ionum existimantes, hi vero non duxerunt uxores in coloniam, sed habuerunt Caricas, quarum interemerant parentes. Propter quam caedem mulieres illae legem tulerant, quam iureiurando inter se firmaverant, tradideruntque suis deinceps filiabus, cum maritis nunquam cibum sumere, neque nomine compellare suum virum; ideo quod earum patres, maritos atque filios trucidassent, et quum haec patrassent, secum matrimonia inirent. Haec Mileti fiebant.

147. Reges autem creaverant, partim Lycios, Glauco Hippolochi filio oriundos: partim Cauconas Pylios, Codro Melanthi progenie ortos: partim ex utrisque. Sed nomen tuentur acrius aliquanto quam ceteri Iones. Sint vero etiam illi veri atque genuini Iones: omnes tamen Iones sunt, quotquot Athenis oriundi Apaturia festum celebrant. Celebrant autem omnes, praeter Ephesios et Colophonios, qui soli ex Ionibus ab Apaturiis arcentur, iique ob caedis patratae causam.

148. Porro Panionium locus est Mycales sacer, ad septentrionem vergens, communiter ab universis Ionibus Neptuno Heliconio dicatus. Mycale autem promontorium

est continentis zephyro vento expositum, ad Samum pertinens. Ad hunc montem collecti ex urbibus Iones sacrificium celebrabant, quod Panionia vocant. Accidit hoc sane non Ionum sacris duntaxat, verum communiter omnia Graecorum omnium festa in eandem literam finiunt, perinde atque Persarum nomina.

149. Et hae quidem Ionicae sunt civitates. Aeolicae autem sunt, Cyme, quae Phriconis vocatur, Larissae, Novus murus, Temnus, Cilla, Notium, Aegiroessa, Pitana, Aegaeae, Myrina, Grynia. Atque hae XI. Aolensium priscae civitates. Una autem Smyrna hinc ab Ionibus dirempta fuit. Alioqui et hae duodecim erant numero, in continenti sitae. Isti vero Aeolenses regionem coluerunt praestantiorem, quam erat Ionum, ad coeli tamen temperiem nequaquam accedebat.

150. Smyrnam vero hac occasione amiserunt Aeolenses, quod Colophonios per seditionem inferiores et e patria submotos recepissent: qui postea Smyrnaeos observantes, dum extra urbem Bacchi festum celebrarent, occlusis portis urbem occuparunt. Succurrentibus autem Aeolensibus universis, sic inter eos transigebatur, ut, si Iones suppellectilem redderent, Aeolenses Smyrna cederent. Hanc conditionem quum Smyrnaei accepissent, illos distribuerunt inter se undecim civitates, suos quaeque constituens cives.

151. Hae itaque continentis sunt Aeolicae civitates, extra illas quae Idam habitabant: nam illae ad has non referuntur. Insulares vero quinque civitates Lesbum colunt; sextam enim in Lesbo Arisbam Methymnaei sibi subiecerant, licet consanguineam. In Tenedo autem una habitatur civitas, et altera quaedam in Centum appellatis insulis. Iam vero Lesbiis Tenediisque nihil grave, perinde atque Ionibus insulas tenentibus, erat metuendum: at reliquis civitatibus communiter placuit Iones sequi, quocunque illi duxissent.

152. Porro ubi Ionum Aeolensiumque legati Spartam appulissent, (id quod fiebat properanter) pro omnibus delegarunt verba facere Phocaeensem quendam, cui nomen Pythermo. Hic purpurea veste amictus, ut hoc resciscentes plurimi convenirent Spartiatae, processit: hortatusque est Lacedaemonios multis verbis ad suam defensionem. Sed Lacedaemonii nequaquam audiverunt, decretumque illis est auxilium Ionibus non ferre. Et hi quidem abierunt. Lacedaemonii, quamvis Ionum legatos repulissent, tamen pentecontero emiserunt viros, quan-

tum ego coniicio, qui res Cyri Ioniaeque explorarent. Hi Phocaeam appulsi, Sardes mittunt spectatissimum ipsorum, nomine Lacrinem, qui Cyro Lacedaemoniorum mandata perferret: nimirum, ne ulli terrae Graeciae civitati damnum inferret, utpote se id minime neglecturis.

153. Cyrus audiens quae Lacrines proferret, rogasse fertur circumstantes Graecos, quinam homines essent Lacedaemonii, et quam multi numero, talia sibi praescribentes? mox ubi haec cognovisset, ad Spartiatam praeconem dixisse; „Equidem non extimui unquam homines illos, quibus locus est in media urbe vacuus, in quem collecti mutuo ipsi sibi iurando imponunt. Atque his, si modo sim incolumis, non Ionum, sed propria sua incommoda erunt in circulis deploranda.“ Haec in universos Graecos verba detorsit Cyrus; quod fora ampla haberent emtioni et venditioni servientia; nam Persis fora non sunt in usu, neque illis ullum est forum. Post haec Sardes Tabalo homini Persae commisit: Croesi autem ceterorumque Lydorum aurum Pactyae, viro Lydo, tradidit curandum, ipse versus Agbatana contendit, Croesum una ducens: Ionum interim non magnam habendam rationem esse ex primo usu statuens: quandoquidem Babylon ei obstaculo erat, et Bactriana natio, item Sacae atque Aegyptii, in quos ipse expeditionem facere in animo habebat, contra Ionas autem alium ducem mittere.

154. Ubi vero Cyrus e Sardibus discessit, Lydos Pactyas a Tabalo atque Cyro desciscere impulit; et degressus ad mare, quippe Sardianum aurum omne in sua potestate habens, auxilia mercede conduxit, maritimisque hominibus persuasit ut secum militarent. Et apud Sardes castra metatus, Tabalum in arce conclusum obsedit.

155. Cyrus haec in itinere intelligens, Croesum ita alloquutus est, „Quisnam, inquit, Croese, finis erit eorum, quae mihi accidunt? non cessabunt Lydi, ut videntur, et sibi et mihi negotium facessere. Delibero, an non optimum sit eos in servitutem redigere. Videor equidem nunc mihi perinde fecisse, atque is, qui occiso patre filiis pepercerit: sicut quidem ego te, qui plus aliquid quam Lydorum pater eras, captum duco; ipsis autem Lydis urbem tradidi: et deinde miror eos a me deficere? Quum hanc suam sententiam Cyrus exposuisset, Croesus excepit, veritus ne Sardes funditus everteret; „O rex, inquit, probabilia dixisti, tu tamen ne per

omnia indulgeas irae, neque antiquam civitatem excideris, quae cum superiorum, tum eorum, quae nunc acciderunt, rea non est: nam priorum ego auctor fui, id quod meopte hoc capite pendo: praesens factum Pactyas admisit, cui tu Sardes commisisti; hic tibi poenas det: Lydis autem veniam dans, haec illis impera, ne vel defectionem meditari ausint, vel timendi esse possint. Interdicito illis per legatum, ne arma bellica possideant, iubetoque tunicas sub palliis gestare, subligare item cothurnos. Adhaec impera ut liberos citharam pulsare, et psallere, et cauponari doceant: et celeriter, ô rex, viros in mulieres videbis degenerasse, nihilque erit metuendum, ne rebelles unquam a te desciscant."

156. Haec ideo Croesus suggessit, quod optabiliora haec Lydis esse existimaret, quam subactos eos venundari: sat sciens se, nisi praetextum idoneum comminisceretur, non persuasurum illi ut institutum desereret. Adde etiam quod formidabat, ne in posterum aliquando Lydi, si imminentem calamitatem effugissent, rebellantes a Persis funditus exstinguerentur. Cyrus hac Croesi admonitione gavisus, remissaque iracundia, respondit ei se pariturum. Arcessitoque Mazare, homine Medo, eadem illi praecepit, quae Croesus suggesserat, Lydis imperanda. Atque praeter haec mandavit, illos omnes in servitutem redigi, quotquot una cum Lydis Sardes oppugnassent: Pactyam autem prorsus vivum ad se perduci.

157. Et ista quidem ex itinere quum praecepisset, profectus est ad Persarum sedes. Pactyas vero intelligens exercitum contra se non procul abesse, conterritus fugit Cymen. Mazares vero nihil cunctatus, Cyri mandatis obsecundare. Et ex huius mandato Lydi omnem vitae rationem commutarunt. Deinde Mazares nuncios Cymen misit, iubens Pactyam dedi. Sed Cymaei consilio inito statuerunt ad deum in Branchidis referendum quid facto opus esset. Erat enim illic oraculum pervetustum, quo Iones universi et Aeolenses uti consueverant. Oraculum hoc in Milesio agro est supra Panormum portum.

158. Missis igitur ad Branchidas consultoribus, rogabant circa Pactyam, quidnam facientes deis gratificaturi essent? Consulentibus talia respondebatur, Pactyam Persis dedere. Quae quum relata audirent Cymaei, putaverunt dedendum. Ceterum quum huc multitudo propensa esset, Aristodicus, Heraclidis filius, vir inter ceteros cives spectatus, oraculo parum fidens, et

ipsos consultores responsum non ex vero proferre existimans, tenuit quominus id facerent; donec iterum de Pactya interrogaturi alii mitterentur consultores, inter quos Aristodicus quoque erat.

159. Hi quum ad Branchidas pervenissent, unus ex omnibus Aristodicus consulebat oraculum, sciscitans in haec verba, „O rex, venit ad nos supplex Pactyas Lydus, mortem fugiens violentam a Persis. Hi eundem exposcentes, iubent Cymaeos hominem dimittere. Nos Persarum potentiam formidantes, tamen supplicem nondum reddere ausi sumus, donec indubitato intelligeremus ex te, quid facere nos conveniret" Hunc in modum sciscitanti Aristodico, idem rursus respondebatur, nempe Pactyam Persis dedendum. Post haec Aristodicus tale quippiam de industria aggreditur: Templum circumiens, passeres aliasque aviculas, quae forte in templo istic nidulabantur, e nidis exemit. Quae quum ille faceret, memorant vocem ex adyto auditam, quae ad Aristodicum ferretur, atque huiusmodi quaedam sonaret, „Hominum scelestissime, quaenam audacia te incessit, ut ex templo meos supplices diripias?" Aristodicum nihil dubitasse ad hunc modum respondere, „Tune, ô rex, sic auxilium fers supplicibus, et Cymaeos iubes supplicem tradere?" Et deum vicissim edidisse ista, „Equidem iubeo, ut impii male citius pereatis, ne deinde oraculum de dedendis supplicibus lacessatis."

160. Porro ubi haec relata audiverunt Cymaei, neque volentes dedendo supplice iram divinam in se concitari, et perire, neque eundem penes se detinendo, oppugnari. hominem ablegant Mytilenam. Mytilenaei, quum Mazares subinde per nuncios Pactyam flagitaret, paciscuntur pro certa mercede, quod tamen non ausim liquide asseverare, quandoquidem non fuit res perfecta, Cymaei enim cognoscentes ea, quae a Mitylenaeis gererentur, misso Lesbum navigio, Pactyam deportant in Chium. Indidem vero ex Minervae tutelaris deae templo abstractus, a Chiis traditus fuit. Tradiderunt autem Chii pro Atarnei mercede. Atarneus autem locus est Mysiae, e regione Lesbi situs. Et sic quidem compotes facti Persae in custodia habebant Pactyam, ut Cyro illum monstrarent. Atque multo exinde tempore, Chiorum nullus ex Atarneo neque molis libabat hordeaceis deo cuiquam, neque bellaria fructus inde decerpti pinsebantur, et ex omnium templorum usu removebantur, quae ex agro illo provenirent.

161. Ab Chiis igitur Pactyas traditus fuit; Mazares mox in illos castra promovit, qui una Tabalum oppugnassent: et partim Prienenses subigens pro mancipiis vendidit, partim Maeandri campum universum incursavit, praedam militibus permittens; Magnesiam etiam pari modo. Post id Mazares repentino morbo correptus, vita defungitur.

162. Hoc mortuo suffectus successor imperii Harpagus ad mare descendit et ipse Medus; quem Medorum rex Astyages impiis epulis exceperat, quique Cyri adiutor fuerat in regno occupando. Hic, inquam, a Cyro tunc institutus dux, simulatque in Ioniam venit, urbes ductis aggeribus cepit. Nam ubi cives moenibus claussisset, aggeribus mox ad muros obiectis expugnabat: atque sic Phocaeam primam Ionum civitatem aggressus est.

163. Hi Phocaeenses, primi Graecorum longis navigationibus usi sunt: Adriamque simul et Tyrrheniam, Iberiam atque Tartessum hi sunt qui ostenderunt. Navigiis autem utebantur non rotundis, sed penteconteris. Hi quum Tartessum venirent, grati admodum fuerunt regi, cui nomen erat Arganthonio, quique iam octoginta annis Tartessiorum regno praefuerat: vixit autem totos annos centum viginti. Atque Phocaeenses Arganthonio ista occasione sic sunt conciliati, ut prime quidem eos post Ioniam relictam iusserit in sua regione sedes deligere, ubicunque illis liberet. Verum quum hoc non persuasisset Phocaeensibus, intelligeretque ex eis interim Medum quemadmodum cresceret, pecunias illis dedit ad urbi murum circumdandum. Dedit autem non parce. Siquidem ipsius muri ambitus non paucorum est stadiorum, totusque maiusculis lapidibus, iisque affabre concinnatis.

164. Et murus quidem ille a Phocaeensibus hoc pacto fuit constructus. Porro Harpagus exercitum admovens, urbem oppugnabat: quum obtulisset illis verba, tanquam sibi sat esset, si vellent Phocaeenses unum duntaxat muri propugnaculum demoliri, et unam habitationem consecrare. Phocaeenses servitutem aversantes, responderunt diem unum se velle consultare; et dein responsuros: sed interim dum consultarent, illum iubebant exercitum ab urbe abducere. Harpagus autem quanquam se scire diceret quid facturi essent, tamen se illis, ut consultarent, permittere. Isto igitur tempore, quo ab muro ille exercitum abduxit, Phocaeenses usi sunt in penteconteris deducendis, quibus liberos una cum uxori-

bus atque supellectile universa imponerent: ad haec statuas quoque ex templis et cetera donaria, nisi quae vel ferrea vel lapidea aut denique picta essent, et reliqua omnia imposuerunt; mox et ipsi conscendentes, navigarunt in Chium. Phocaeam sic desertam incolis occupaverunt Persae.

165. Phocaeenses autem, quum ipsis Chii insulas, quae Oenussae vocantur, licitantibus vendere nollent, metuentes, ne illuc emporium transferretur, obque hanc causam eorum insula excluderetur, concesserunt Phocaeenses in Cyrnum. In hac enim insula ante viginti annos civitatem ex vaticinio condiderant, nomine Alaliam. Interea autem Arganthonius fatis concesserat. Porro Cyrnum traiecturi Phocaeenses, prius reverterunt Phocaeam, praesidiaque illic Persarum, quae ab Harpago custodiae causa relicta fuerant, trucidarunt. Quibus patratis, diras atroces imprecati sunt unicuique suorum classem deserenti. Praeter has ferri quoque massam candentem in mare demergunt, iurantque, non prius se Phocaeam reversuros quam massa ista rursus appareret. Sic autem quum navigarent in Cyrnum, plusquam dimidiam illorum partem desiderium cepit et miseratio urbis et sedium illius regionis; atque etiam violato iureiurando renavigarunt Phocaeam: qui autem eorum iuriiurando inhaeserunt solventes ex Oenussis Cyrnum navigarunt.

166. Quo quum appulissent communiter habitarunt una cum superioris temporis colonis, per annos quinque, sacraque erexerunt. Ceterum, quum iam vicinos *omnes* hostili more popularentur, communi sententia bellum in eos adornant Tyrrheni atque Carthaginienses, utrique sexaginta navibus: Phocaeenses ex adverso sexaginta et ipsi naves milite implent, obviamque illis procedunt in mare, quod appellatur Sardonium. Commissa navali pugna, Phocaeensibus Cadmea quaedam contigit victoria: nam quadraginta illis naves perierunt, reliquae viginti detortis rostris factae inutiles. Reversi igitur Alaliam, sumptis liberis uxoribusque atque reliquis facultatibus, quantas ferre ipsis naves poterant, relicta Cyrno navigarunt Rhegium.

167. Verum e navibus illis, quae perierant, captos viros Carthaginienses et Tyrrheni, acceperant autem eorum plurimos sorte, et hos productos lapidibus obruerunt. Deinceps vero quaecunque ex Agyllensium vel pecoribus vel iumentis atque hominibus locum illum accedebant, ubi Phocaeenses lapidati iacebant, continuo

distorta fiebant, aut mutila aut remisso corpore. Quare Agyllenses Delphos miserunt, volentes admissum illud expiare. Pythia haec ipsos iussit facere, quae etiam nunc ab Agyllaeis obſervantur; nam et iusta illis persolvunt magnifice, et gymnicum celebrant ac equestre certamen. Et haec Phocaeensium portio quidem huiusmodi fato usa fuit. Qui autem illorum Rhegium confugerant, hinc progressi civitatem possederunt in agro Oenotriae, quae nunc appellatur Hyela. Eam autem condiderunt, ab viro Posidoniate edocti, Pythiae oraculo iussos fuisse Cyrnum condere, qui heros esset, non insulam. Atque Phocaeae quidem in Ionia res sic habent.

168. Simile quiddam accidit Teiis, quorum murum simulatque per aggerem cepisset Harpagus, omnes conscensis navibus traiecerunt in Thraciam, ibidemque urbem condiderunt Abdera, cuius fundamenta prius iecerat Timesius Clazomenius: sed qui nullum inde fructum tulit, sed a Thracibus expulsus nunc a Teiis apud Abdera ut heros colitur.

169. Hi igitur Ionum soli servitutem non ferentes, patrium solum reliquere. Verum alii Iones, praeter Milesios, proeliati quidem sunt contra Harpagum, perinde atque illi qui exierunt, virosque se strenuos declararunt, de sua patria quique pugnantes. Superati autem et capti in sua quique patria remanserunt, eaque quae imperabantur subibant. Milesii, qui iam cum ipso Cyro foedus fecerant, sicut superius a me dictum est, quietem agebant. Sic Ionia secundo serva facta est. Porro quum Ionibus iis potitus esset Harpagus qui continentem habitabant, insulani horum exemplo conterriti, ultro sese dediderunt Cyro.

170. Iam vero Ionibus, etiamsi afflictis, nihilominus ad Panionium convenientibus, audio Biantem Prienensem dedisse saluberrimum illis consilium: cui si obtemperassent, licuisset Graecorum omnium felicissimos vivere. Siquidem ille suadebat, ut communi classe solventes Sardiniam peterent, et ibi unam civitatem omnium Ionum construerent. Hoc enim pacto eos servitute liberatos feliciter esse victuros, omnium insularum maximam incolentes, et ceterarum imperio potientes. Sin autem manerent in Ionia, nullam inquit sibi apparere libertatis spem. Haec Biantis Prienensis sententia de Ionibus in statu perdito fuit. Verum Thaletis quoque Milesii, sed genus trahentis ex Phoenice, salubre fuit illud consilium, iam ante sic corruptam Ioniam datum, qui iusserit Ionas unam quandam curiam

habere, eamque esse in Teo: propterea quod Teos media esset Ioniae: ceteras autem civitates habitatas, nihilominus legibus suis usuras, ac si forent populi. Atque hi quidem huiusmodi consilia illis declaraverunt.

171. Harpagus, subacta Ionia, exercitum traduxit in Caras, et Caunios atque Lycios, una ducens Ionas atque Aeolenses. In his Cares quidem ex insulis transierunt in continentem. Olim enim Minoi parebant, appellatique Leleges, insulas habitabant, tributum quidem nullum pendentes, quantumcunque ego possum ad longissima audiendo venire. Illi vero, quum Minos flagitabat, naves ei implebant. Quum autem ille subiecisset sibi magnum dominium et felix belli forst, Carica gens, omnium, quae illo tempore simul claruerunt, ingeniosissima et quidem maximopere exstitit: eiusque memorantur tria inventa, quibus et Graeci fuerunt usi; quippe galeis cristas adalligare ostenderunt Cares, et clypeis signa adiungere; et lora clypeis qui primi fecerunt, hi sunt; antea namque citra haberas gestabant clypeos, quotquot clypeis uti solebant, balteis duntaxat coriaceis gubernantes, collo sinistroque humero circumpositos habentes. Deinde vero Caras, longo tempore succedente, Dorienses atque Iones ex insulis eiecerunt, et sic in continenti sedes posuerunt. Hunc in modum Cretenses de Caribus referunt. Quamquam his non assentiuntur ipsi Cares, qui se aborigines atque indigenas continentis esse memorant, eodemque nomine semper usos quo cummaxime; atque apud Mylassa Iovis Carii delubrum ostentant vetustum, cuius etiam participes sunt Mysi atque Lydi, ut qui Caribus sint germani. Quippe Lydum et Mysum Caris fratres esse dicunt, atque ob id eodem utuntur fano: at quotquot alterius gentis, Carum lingua utuntur, non tamen sacrum participant.

172. Caunii vero, quantum mihi videtur, indigenae sunt: etsi ipsi se e Creta oriundos affirmant. Linguam sane aut ipsi ad Caricum populum accommodaverunt, aut Cares ad Caunicum; id quod liquide decernere nequeo. At legibus utuntur multum diversis cum ab aliis gentibus, tum a Caribus. Nam apud illos laudatissimum habetur, pro discrimine aetatum et amicitiae catervatim ad compotationes convenire tam viros quam mulieres atque pueros. Sacra quum ipsis constituta essent externa, eorum postea pertaesi, quum patriis duntaxat videretur utendum diis, Caunii omnis aetatis sumptis armis ad Calyndicos usque fines persequebantur, hastis

aera caedentes, exclamantesque externos se exigere deos. Et huiusmodi moribus illi utuntur.

173. Lycii autem e Creta ab initio originem traxerunt. Cretam enim primum universam barbari incolebant: deinde contendentibus de imperio filiis Europae Sarpedone atque Minoe, Minos per factionem superior factus expulit Sarpedonem eiusque partium socios. Hi expulsi in Asiae regionem venerunt Milyada. Quam enim nunc Lycii incolunt, olim erat Milyas: at Milyae tunc appellabantur Solymi. Olim quidem ipsis imperitavit Sarpedon, et illo ipso quod attulerant nomine vocabantur, et nunc adhuc Lycii vocantur a vicinis Termilae. Quum vero Lycus Pandionis filius, et ipse a fratre Aegeo Athenis pulsus, ad Sarpedonem in Termilas abiisset, factum est temporis progressu ut de Lyci nomine Lycii vocarentur. Legibus utuntur partim Creticis, partim Caricis. Hoc tamen unum pro lege habent peculiare, et cum nullis aliis hominum conveniunt, quod a matribus nomina sibi induunt, non a patribus: et si quis prope stantem percontetur quis sit, quave familia ortus? describet se ab matre, et matris avias protinus memorabit. Adde quod siqua urbana servo nupserit, liberi qui ex his suscipiuntur, ingenui existimabuntur: sin autem vir civis, et quidem inter eos primarius uxorem duxerit externam aut pallacam, suscepti ex iis liberi reputabuntur remoti ab honoribus.

174. Enimvero huius tempestatis Cares nullo praeclaro facinore edito, ab Harpago subacti sunt. Nec Cares tantum nullum ediderunt, sed nec Graeci quotquot illam regionem tenent. Tenent autem cum alii, tum Lacedaemoniorum coloni Cnidii, quorum regio declinat ad mare, quae appellatur Triopium. Nam quum initium ex Bybassia peninsula sumat, et praeter exiguum quid Cnidia omnis sit circumflua: (eam enim partem qua boream spectat, Ceramicus coercet sinus, australem vero mare, in quo est Syme ac Rhodus) istud igitur exiguum, circiter quinque stadiorum, Cnidii fodiebant, interea dum Harpagus Ioniam everteret, volentes suam regionem in insulae formam redigere. Intus vero universa illis erat; nam Cnidia regio, qua parte in continentem finitur, illic isthmus est, quem fodiebant. Et sane multa manu operantibus Cnidiis, amplius humano et divinius videbantur vulnerari operarii, quam solet in talibus fieri, cum alias corporis partes, tum praecipue oculos incisa et vulnerata petra: Delphos miserunt consultores oraculi, qui sciscitarentur quidnam esset quod tantopere adversare-

tur. Pythia, ut ipsi referunt Cnidii, senario versu respondit talia:

> Nec aggerate, nec vel Isthmum fodite:
> Nam, si placuisset, insulam dederat Deus.

Quum talia respondisset Pythia, Cnidii a fodiendo destiterunt, et invadenti cum exercitu Harpago, ultro sese sine proelio dediderunt.

175. Pedasenses erant qui mediterraneam supra Halicarnassum colunt; quibus quum incommodum aliquod eventurum est, ipsis seu eorum vicinis, sacerdos Palladis magnam barbam accipit; id quod ter illis accidit. Hi soli in Caria virorum Harpago aliquamdiu reluctati sunt, plurimumque negotii exhibuerunt, montem muniendo cui nomen Lida. Tandem tamen et ipsi expugnati fuerunt.

176. Ceterum ubi in Xanthium campum exercitum duxit Harpagus, Lycii contra procedentes, paucique cum multis confligentes, strenue sese gesserunt. Superati autem proelio fugatique in urbem, uxores, liberos atque pecunias una cum familiis in arcem congregaverunt, admotoque mox igne arcem universam istam incenderunt. Quae ubi fecissent, ipsi et iureiurando atroci adstricti et clam egressi, pugnando Xanthii omnes oppetierunt. Ex Lyciis autem, qui Xanthios nunc dicunt se esse, hi omnes praeter octoginta familias sunt convenae. Nam octoginta istae familiae tunc peregrinabantur, ideoque superstites remanserunt. Xanthum quidem igitur hunc in modum obtinuit Harpagus: pari modo Caunum. Nam Caunii Lycios imitabantur magna ex parte.

177. Tum igitur inferiorem Asiam Harpagus evertebat, superiorem ipse Cyrus, unamquamque gentem subigens nullamque praetermittens. At nos in praesentia illorum plura omittemus, ea duntaxat narraturi, quae illi quamplurimo constiterunt labore, suntque memoratu dignissima. Quum igitur Cyrus continentem universam suae ditionis fecisset, Assyriis imminebat.

178. Assyriae autem cum alia multa sunt magna oppida, tum vero celeberrimi nominis ac validissimum est Babylon, ubi ipsis post eversam Ninum regia erat, quae urbs talis est. In magno campo illa sita est, quod ad magnitudinem, unamquamque frontem habens centum et viginti stadiorum; est enim quadrata. Ita stadia quadringenta et octoginta circuitus urbis colliguntur omnia. Tanta quidem igitur est Babylonicae urbis magnitudo; quae sic exornata est, ut aliud nullum ex oppidis quae nos novimus. Iam primum fossa ambit alta atque lata et aquae

plena. Deinde murus quinquaginta cubitorum regiorum crassitudine, ducentorum celsitudine. Est autem regius cubitus, quam is, quo pro mensura utimur, tribus digitis maior.

179. Oportet certe me praeter haec disserere, ubi sit consumpta terra, quae ex fossa fuerat egesta, et murus quomodo fuerit exstructus. Simul fodientes fossam, terram egestam ex isto opere formabant in lateres: quorum postquam magnam vim traxerant, eos in fornacibus coquebant. Postea pro coeno vel calce utentes bitumine ferventi, et per tricesimas latericias compages constipantes crates arundinum, struxerunt primum labra fossae, deinde ipsum murum ad eundem modum. Super hunc murum circa oras exstruxerunt domunculas unius membri ad se invicem versas; inter quas tantum intercapedinis medium relinquebatur, ut quadriga circumagi posset. Eius muri per ambitum centum portae stabant, aereae omnes, cum cardinibus itidem et superliminibus. Babylone octo dierum itinere abest alia urbs nomine Is, ubi fluvius est haud magnus, etiam eiusdem urbi nominis, qui se devolvit in flumen Euphratem. Hic itaque fluvius Is, una cum aqua multos reddit bituminis grumos; unde bitumen ad murum Babylonis portatum fuit.

180. Hunc igitur in modum Babylon munita est. Eius duae sunt plagae, quoniam illam mediam separat fluvius nomine Euphrates, qui magnus et altus et celer, ex Armeniis in Rubrum mare decurrit. In hunc fluvium uterque murus cubitos exporrigit; inde vero curvaturae per labrum utrumque fluminis, coctilium laterum maceria, praetenduntur. Ipsa urbs plena domibus ternarum quaternarumque contignationum secta est in vias, cum rectas alias, tum etiam transversas, quae ad flumen tendunt; ad quarum quamque viam in maceria, quae praeter flumen ducebatur, portulae factae sunt pro numero vicorum et ipsae aereae, et ad flumen idem ferentes.

181. Et hic quidem murus Iorica est. Alius vero intus murus non multo quam hic debilior circumtegit, sed angustior: inque utraque civitatis plaga per medium iste est erectus, quorum hic regiam comprehendit ambitu praegrandi atque valido: in altero vero Iovis Beli templum aereis portis, id quod mea etiam nunc aetate existit, duorum undecunque stadiorum amplitudine, quum sit quadratum. In templi medio turris solida, stadii longitudine simul et latitudine, cui alia superimposita turris et huic subinde alia, ad octavam usque. Adscensus in eos forinsecus per orbem circa singulas turres tendens factus

est. Adscendenti per eum in medio est diversorium, sellaeque ad quiescendum factae, in quibus adscendentes sedent ac conquiescunt. In postrema turri templum est magnum, in quo lectus est magnus splendide stratus, et apposita illi mensa aurea. Statua tamen ibi nulla est posita: neque hic noctu cubat hominum aliquis, praeter mulierem solam ex indigenis, quam ex omnibus deus delegerit, uti narrant Chaldaei huius dei sacerdotes.

182. Narrant autem ipsi illi, mihi quidem non credibilia referentes, deum ipsum et venire in templum, et in lecto conquiescere, perinde atque Thebis Aegyptiis, eodem modo quo ferunt Aegyptii. Nam et ibi in Thebaeensis Iovis fano mulier cubat; quarum mulierum utraque cum nullis viris putatur habere consuetudinem: sicut etiam dei antistita Pataris Lyciae civitate, quando adest numen. Neque enim oraculum ibi viget perpetuo: ubi autem fuerit, tunc antistita noctu intus in templum concluditur.

183. Porro in Babylonis templo aliud etiam est sacellum inferius, ubi magna inest Iovis statua aurea sedens; eique mensa magna aurea apposita, simul et gradus et thronus aureus: adeo ut Chaldaei octingentorum talentorum auri opus aestimarent. Extra sacellum altare est aureum: atque praeter hoc, aliud altare ingens, in quo integrae aetatis pecudes immolantur: nam supra aureum illud non licet adolere, praeterquam solas lactentes. Insuper in hoc maiusculo altari Chaldaei quotannis mille talenta thuris adolent tunc, quando festum huic deo celebrant. Eratque in hoc templo etiamdum illo tempore statua duodecim cubitorum e solido auro: quanquam ego hanc non viderim; sed ea refero, quae a Chaldaeis referuntur. Hanc statuam quidem Darius Hystaspis filius insidiose captans, non ausus tamen fuit auferre: sed eam postea Xerxes Darii filius abstulit, sacrifico, qui prohibuerat statuam loco movere, interemto. Atque illud templum hoc pacto fuit ornatum, etiamsi sint peculiaria multa donaria.

184. Huius Babylonis multi quoque et alii quondam reges exstitere, quorum in exponendis rebus Assyriis mentionem faciam, qui et muros amplius ornaverunt et templa: et inter eos duae feminae. Harum prior, quae quinque aetatibus ante posteriorem regnavit, vocata est Semiramis. Haec per campum aggeres excitavit spectatu dignos, quum antehac flumen per eum omnem restagnare solitum esset.

185. Secunda post hanc regina, Nitocris nomine, exstitit superiore solertior; cuius quum alia monumenta exstiterunt, quae ego memorabo, tum vero hoc; quod animadvertens imperium Medorum ingens ac non quiescens, subactaque ab his alia oppida, et inter haec Ninum, praemunivit se omnibus quam potuit maxime. Ante omnia fluvium Euphratem, qui antea fluebat rectus, mediam ipsorum urbem interfluens, tortuosum reddidit, fossis superius depressis, adeo ut quendam Assyriae pagum, nomine Ardericca, ter influat, et qui nunc e mari hoc per Euphratem Babylonem versus subvehuntur, ter ad hunc eundem pagum applicent, idque triduo. Et hoc quidem tale reddidit. Aggerem vero in utroque fluminis labro aggeravit visu mirandum: tantae est et magnitudinis et sublimitatis. Multo supra Babylonem, exiguum quid deflectens a flumine, fodit paludi eluviem, profunditate quidem ad aquam usque semper effodiens, latitudine vero eius ad circuitum sumta quadringentorum viginti stadiorum. Huius cavernae fossitia humus per fluminis labra aggerendo impensa est. Quem locum ubi depressit, crepidinem ambitus eius lapidibus advectis duxit. Haec duo, ut flumen flexuosum et tota fossa esset lacuna, ideo fecit ut fluvius per multas flexuras fractus, tardior mearet, et navigationes Babylonem versus essent tortuosae, et ex ipsis navigationibus longus ambitus lacunae exciperet. In ea vero parte regionis fecit haec opera, ubi erant introitus in eam, et compendia ex Medis viae, ne Medi commercio negotia sua cognoscerent.

186. Et haec quidem ex profundo circumiecit. Ceterum ex eis tale fecit additamentum. Quum sit urbs in duas diremta regiones, fluvio medium tenente, quoties aliquis ex altera in alteram regionem transire volebat sub regibus superioribus, is necesse habebat navigio transire: quod erat, ut reor, molestum. Huic autem etiam rei ista prospexit; siquidem ubi effodit effluvium paludi, aliud istud ex opere eodem monumentum reliquit. Lapides praelongos excidit; qui ubi parati fuerunt, et locus effossus, in locum ipsum quem effoderat, omnem fluminis cursum avertit. Qui locus effosus dum impleretur, interea pristino alveo arefacto, partim labia fluminis intra urbem, ac descensus, qui ex portulis ad flumen ferunt, eduxit coctis lateribus, eadem qua murum ratione; partim exstruxit, circa mediam ferme urbem, pontem iis quos foderat lapidibus, ferro eos ac plumbo devinciens. Per hunc pontem sublices quadratas, per

quas Babylonii transirent, interdiu extendebat, easdem noctu tollebant; hac videlicet causa, ne per noctem transeuntes mutua furta exercerent. Ubi porro id quod effossum erat, facta fuit palus repleta ex flumine, et opus pontis exornatum, tunc fluvium Euphratem ex palude in pristinum alveum revocavit: atque ita palus quam effoderat, visa est decenter et utiliter facta, et pons in usum civium exstructus.

187. Haec eadem ipsa regina hunc etiam machinata est dolum: supra porta urbis celeberrima, loco edito atque in superficie istius portae, sepulcrum sibi exstruxit, atque literas haec significantes insculpsit: si cui regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniae penuria, aperto sepulcro sumito quantumcunque libuerit pecuniae. Ne tamen non indigens temere aperito. Non enim id melius. Hoc sepulcrum tamdiu fuit immotum, dum regnum pervenit ad Darium. Is indignum etiam esse ratus neque uti quippiam hac porta, neque sumere pecunias ibi positas, et eas quidem ipsas invocantes. Ideo autem non utebatur porta illa, quod supra caput ipsi transeunti mortuus esset. Hinc reseravit monumentum; in quo non quidem pecunias invenit, sed cadaver et literas haec dicentes: nisi pecuniae esses inexplebilis et turpis lucri cupidus, defunctorum loculos non aperuisses. Talis exstitisse haec regina memoratur.

188. Adversus cuius filium Labynitum, patris nomen et Assyriae imperium habentem, Cyrus exercitum duxit. Ducit autem rex magnus exercitum probe domi comparata re cibaria atque pecuaria. Portatur etiam aqua ex flumine Choaspe, Susa praeterfluente, ex quo uno rex potat et non ex alio flumine. Cuius Choaspis aquam decoctam, et in argentea vasa diffusam, ferentia permulta plaustra quatuor rotarum, mulis trahentibus, assidue comitantur, quocunque ille proficiscitur.

189. Cyrus igitur Babylonem tendens, ubi venit ad ad Gynden amnem (qui in Matienis ortus montibus, per Dardaneos fluens in Tigrim alterum amnem exit, qui Opin urbem praeterlabens, Rubro infunditur mari) conabatur hunc traiicere, quum non posset nisi navibus traiici. Interim ei quidam e sacris equis candidis lascive ingressus fluvium transire conabatur. Hunc fluvius contorquens, submersum abripuit. Cyrus autem perquam aegre ferens hanc fluminis contumeliam, illi comminatus est, se sic redditurum eum tenuem, ut in posterum facile vel a mulieribus transiri posset, ne genua quidem tingentibus. Haec minatus, expeditione in Ba-

bylonem intermissa, copias suas bifariam divisit. Dehinc alveos ad funem designavit centenos et octogenos, utrinque ad Gyndis labra omnimodo conversos; quos distributis copiis effodi iussit. Et opus quidem, ut quod a tanta multitudine fieret, perficiebatur; tamen istic in eo faciendo illam aestatem universam triverunt.

190. Cyrus ergo quum Gyndem mulctasset in trecentas et sexaginta fossas diductum, et alterum ver alluxisset, ita porro ire Babylonem pergit, Babyloniis eum educto exercitu praestolantibus. Qui, ubi propius urbem ille promovit, cum eo conflixerunt, praelioque fugati, in oppidum compulsi fuerunt. Ii tamen, quia Cyrum iampridem animadverterant inquietum esse, viderantque omnes pariter gentes aggredientem, comportaverant permultorum annorum commeatus: ideoque tunc obsidionem nihili faciebant. Et Cyrus, quum iam longo tempore peracto, nihil admodum res ipsius proficerent, inops consilii erat.

191. Tandem, sive alius ei anxio suggessit, sive ipsi in mentem venit, quid in rem esset, sic statuit faciendum: instructis universis copiis, partim qua fluvius urbem ingreditur, partim a tergo qua egreditur, praecipit, ut, quum cernerent alveum posse transiri, illac urbem invaderent. Ita instructis atque formatis suis, cum inutiliori exercitus parte abiit ad paludem. Eo ubi pervenit, quae Babyloniorum regina fecerat circa flumen et circa paludem, eadem alia et ipse fecit. Nam fluvio per fossam inducto in paludem, quae erat stagnum, alveum eius pristinum pervium reddidit subsidente aqua fluvii. Quod quum ita contingeret, Persae, qui ad hoc ipsum instructi erant, per alveum, unde fluvius Euphrates abscesserat, ita ut vix medium femur transeuntis madefaceret, illac Babylonem introierunt. Quos Babylonii, si factum Cyri aut prius audissent aut sensissent, neque contemnentes Persarum ingressum, pessimo exitio affecissent. Nam obseratis omnibus, quae ad flumen ferunt, portulis, conscensisque maceriis, quae erant per labra fluvii ductae, ipsi illos progressos veluti in nassa excepissent. Nunc ex inopinato eis Persae astiterunt: et quum capti essent, qui extrema urbis incolebant Babylonii, propter eius tamen magnitudinem non sentiebant (ut fertur ab illis, qui istic habitabant) hi, qui circa medium habitabant, eos captos esse. Sed quod forte dies festus eis esset, exercendis choreis atque oblectationibus operam dabant, donec plane etiam hoc resciverunt. Atque ita primo tunc capta est Babylon.

192. Cuius civitatis quanta sit potentia, quum ex aliis multis declarabo, tum vero ex hoc. Quum regi magno omnis plaga, cui imperat, sit distributa in ipsius atque exercitus eius alimentum, praeter tributa, ex duodecim, quibus annus constat mensibus, per quatuor menses regio Babylonica, octo reliquis eum omnis Asia alit. Ita huius regionis potentia tertiam Asiae alterius partem aequiparat, et eius praefectura, quam Satrapiam Persae vocant, omnium Satrapiarum longe est optima, adeo ut Tritantaechmae Artabazi filio, qui ab rege praefecturam hanc habebat, singulis diebus singulae argenti plenae artabae penderentur. Artaba autem mensura Persica capit, quam Attica medimnus, amplius tribus choenicibus Atticis. Ad haec erant ei peculiares equi, praeter bello destinatos, admissarii octingenti. cum equarum, a quibus admittebantur, sexdecim millibus; nam singuli mares a vicenis admittebantur. Praeterea canum *Indicorum* tanta alebatur multitudo, ut ad praebenda eis cibaria, quatuor in eadem planitie magni vici attributi essent, aliorum tributorum immunes. Atque haec praesidi Babylonis eveniebant.

193. Porro in Assyriorum terra parum pluit, et hoc est, quo enutritur radix frumenti, irrigatum quidem ex fluvio, et arvum fit pingue, provenitque frumentum, non sicut in Aegypto, flumine ipso in arva ascendente, sed manibus atque tollenonibus irrigatum. Etenim Babylonica regio omnis, quemadmodum Aegyptiaca, dissecta est in fossas, quarum maxima navibus traiici potest, ad solem hibernum vergens; tendit autem ex Euphrate in alterum flumen, in Tigrim, ad quem urbs Ninus sita erat. Haec regio omnium, quas nos vidimus, longe optima est, duntaxat ferendo frumento. Nam alias arbores ferre, ficum, vitem, oleam, omnino ne conatur quidem; Cereris autem fructu proferendo tam commoda est, ut nusquam non ad ducena reddat: ubi autem bonitate sese ipsa vincit, etiam ad tricena efferat. Quaternum autem digitorum commode latitudo est tritici illic atque hordei foliis. Ex milio autem ac sesamo quantae proceritatis arbor surgat, etsi mihi comperta, tamen memorare supersedeo, probe sciens, iis qui nunquam Babylonicam regionem adierunt, quae de frugiferis dicta sunt, perquam incredibilia visum iri. Oleo autem non utuntur nisi quod ex sesamis faciunt. Nascuntur eis per campum omnem palmae, pleraeque fructiferae; ex quibus et panes et vinum et mel conficiunt, easque colunt ficuum more et

tum in aliis, tum palmarum, quas Graeci masculas vocant, quarum fructum circumligant iis palmis, quae dactylos ferunt, ut illis maturet dactylum culex intrans, et non decidat fructus palmae. Masculae enim in fructu ferunt culices, quemadmodum caprifici.

194. Venio ad id, quod ex omnibus, quae sunt in ea regione, secundum ipsam urbem, mihi summo miraculo est, differendum. Navigia illorum secundo flumine commeantia Babylonem, sunt orbiculata atque omnia coriacea. Nam postquam in Armeniis, qui supra Assyrios incolunt, ex caesis salicibus costas fecerunt, obducunt illis pelles tectorias extrinsecus in modum pavimenti, neque puppe discreta, neque prora acuminata, sed in speciem clypei orbiculata. Tale navigium omne stramento replentes fluvio deferendum permittunt, oneratum mercibus: sed maxime dolia ex palmis vino onusta deferunt, dirigentibus illud duobus plectris vel palis, totidemque viris rectis stantibus; quorum alter introrsus palum trahit, alter extra pellit. Fiunt autem navigia haec et magna admodum et minora: quorum maxima ferunt quoque pondus quinque millium talentorum, singula singulos asinos vivos habentia, maiora etiam plures. Postquam igitur navigantes Babylonem pervenerunt, onusque distraxerunt, costas quidem navigii atque omnia stramenta venundant, sed pelles asinis imponunt, eosque in Armeniam agitant; adverso enim flumine navigari prae illius rapiditate nullo pacto potest. Propterea enim quoque non ex lignis, sed ex pellibus navigia fiunt. Iidem, ubi asinos agitando in Armeniam redierunt, alia ad eumdem modum navigia consuunt. Et naves quidem eorum tales sunt.

195. Amictu autem tali utuntur: duabus amiciuntur tunicis, una linea usque ad pedes demissa, cui alteram laneam superinduit: postremo candidam paenulam circumiicientes, calceos gerunt gentis more, soleis Thebanis paene similes. Capita habentes comata, mitris rediminut, unguentis toto corpore delibuti. Annulum signatorium quisque gestat, et baculum manu factum, cui adest politum aut malum, aut rosa, aut lilium, aut aquila, aut aliud quid: nam absque insigni gestare sceptrum ipsis nefas. Atque hic eorum corporis est cultus.

196. Leges vero constitutae ipsis hae sunt: una quidem prudentissima, quantum ego sentio, qua Enetos, qui sunt ex Illyriis, audio uti. Per singulos pagos semel quotannis ista fiebant. Ubi virgines effectae essent

nubiles, eas quum congregassent universas, unum in locum sic iunctas recipiebant, quas circumsistente virorum frequentia, surgens preco singulatim vendebat: primum quidem pulcherrimam omnium; secundum hanc, postquam illa multo vendita esset auro, aliam proclamabat, quae post illam esset speciosissima. Vendebantur autem in connubium. Babylonii igitur, qui locupletes et iidem maturi nuptiis erant, licitando quisque alterum superantes mercabantur pulcerrimas quasque. At iis ex plebe qui essent parati ad nuptias, his non opus erat pulchra forma: immo isti pecunias simulque foediores virgines accipiebant. Nam preco, ubi virginum speciosissimarum peregisset venditionem, excitabat deformissimam, aut siqua illarum esset mutila, eamque proclamabat dicens: quisquis vellet quamminimo auri accepto eam in matrimonio habere, donec illi, qui minimo contentus esset, addiceretur. Aurum vero istud ex speciosis virginibus conficiebatur, et sic speciosae elocabant deformes ac mutilas. Elocare vero filiam suam cui quisque vellet, non licebat, nec cuiquam emtori fas erat sine fideiussoribus abducere puellam, sed datis fideiussoribus, certe se ducturum illam uxorem, ita demum abducere; si de hoc non conveniebat, lex erat ut aurum redhiberet. Quinetiam ex alio pago venienti licebat mercari si vellet. Haec apud eos honestissima lex erat, quae tamen ad hoc tempus non perseveravit. Sed novissime aliud quiddam excogitaverunt, ne quis feminas iniuria afficiat, neve quis aliam in urbem abducat. Nam posteaquam expugnati male accepti sunt, et res domi fuit perdita, unusquisque plebeius, qui victus inopia premitur, filias suas adigit ad quaestum corpore faciendum.

197. Alteram item sapienter constitutam habent legem, qua aegrotos efferunt in forum: neque enim medicis utuntur; ut eum adeuntes, de languore consulant, siquis et ipse eundem habuit morbum, aut alium vidit correptum. Haec illi qui illuc adeunt consulunt, hortanturque ad ea, quae ipse faciendo effugerit similem morbum, aut alium noverit effugisse. Nec fas est cuiquam aegrotantem praeterire silentio, nec antequam exploraverit quonam ille morbo laboret.

198. Sepulturae eisdem in melle; luctus funebres Aegyptiacis persimiles. Quoties autem cum uxore miscetur vir Babylonius, suffitui consecrato assidet, et ex altera parte mulier idem facit. Sub diluculum etiam ab-

luuntur ambo; nullum quippe vas priusquam se abluerint tangent. Eadem haec et Arabes faciunt.

199. Una iisdem Babyloniis lex est omnibus modis foeda; nempe quamque mulierem indigenam oportet semel in vita ad Veneris templum desidentem, cum externo viro consuetudinem habere. Ceterum multae et dedignantes aliarum consortia, utpote divitiis tumentes, hae iumentis in camaris vehentes, ad templum stant, sequuta interim a tergo magna famulitii turba. Pleraeque etiam sic faciunt. In fano Veneris sedent coronam funiculi in capitibus gerentes multae mulieres, e quibus aliae accedunt, aliae discedunt. Nam diverticula undecunque funiculis distincta viam praebent externis per mulieres illas, quas transeuntes deligunt. Porro quum illic consederit femina, non prius domum regreditur, quam externorum aliquis pecuniam in genua illi iniecerit, et cum eadem extra fanum abducta rem habuerit; illum autem qui iniicit, dicere oportet; „Ego tibi deam Mylitta imploro." Mylitta enim Assyrii Venerem appellant; pecunia vero pretio est quantulacunque; non enim reiiciet; nec enim fas est, siquidem in sacrum convertitur; quicunque pecuniam obiecerit primus, hunc illa sequitur, neque quenquam repudiat: ubi congressa fuerit deae conciliata domum revertitur; et ab hoc tempore haud ita magnum illi dederis, ut eam nanciscaris. Iam, quotquot forma et proceritate eminent, cito discedunt: quae vero deformes, diutius desident, quia nequeunt legi facere satis. Fitque interdum ut nonnullas etiam triennio atque quadriennio exspectare oporteat. Alicubi quoque in Cypro similis quaedam lex est.

200. Haec sunt Babyloniorum instituta; quorum tres sunt tribus, quae nullo alio nisi piscibus victitant; quos captos ubi arefecerunt ad solem, hoc faciunt. In pilam coniiciunt, ac pistillis mitigatos per sindonem incernunt, unde quisquis illorum vult, velut placentam confectam habet; alius vero in modum panis torret.

201. Cyro, post hanc quoque gentem subactam, incessit cupido Massagetas in suam potestatem redigendi. Quae gens fertur et magna esse et strenua, ad auroram solisque ortus sita, trans Araxem fluvium e regione Issedonum. Sunt etiam qui eam Scythicam nationem esse dicant.

202. Araxes Istro maior et idem minor esse memoratur; et in eo frequentes insulae Lesbo fere pares magnitudine: et homines qui illas incolunt, aestate vesci radicibus quibuslibet, quas ipsi fodiunt; arborum autem

fructus, quos maturos comperiunt, in cibum reponere, quo per hyemem vescantur. Ab illis inventas etiam esse arbores talem fructum ferentes, qui coniiciatur ab illis in ignem, quem catervatim collecti accenderint: illi vero circumquaque adsidentes et olfacientes cremantem fructum perinde inebriantur odore isto ac vino Graeci: et eo vehementius, quo plus eius fructus fuerit iniectum, donec ad tripudiandum exsurgant et ad cantus veniant. Atque haec fertur eorum ese vivendi consuetudo. Araxes porro fluvius a Matienis quidem, unde et Gyndes, quem Cyrus in trecentos ac sexaginta diduxit rivos, fluit; sed per quadraginta ora erumpens, quae omnia, uno excepto, in paludes eluviesque evolvuntur; ubi feruntur homines habitare, qui crudis victitent piscibus, et pro vestibus utantur phocarum pellibus. Reliquum illud inter ostia Araxis per purum et solidum fluit in mare Caspium, quod mare per sese est, nec cum alio mari commiscetur. Nam illud, quod Graeci pernavigant omne, et id quod extra columnas est, Atlanticum dictum et Rubrum, idem est mare.

203. Caspium vero est alterum, seorsum in seipso, longitudinis quindecim dierum, cursui navis quae remis utatur: latitudinis, ubi spatiosissimum est, octo dierum. Est autem, qua ex parte ad vesperum vergit, Caucaso praetentum monte, cuius quum maxima vastitas, tum summa est altitudo, multasque gentes atque omnigenas habet, ac plerasque omnes ab agresti materia victitantes: ubi arbores folia talis naturae proferentes dicuntur esse, quibus tritis et aqua dilutis illi animalia sibi in veste pingunt; eaque animalia non elui, sed perinde prorsus ac si essent intexta, sic cum reliqua lana veterascere. Horum quoque hominum concubitus, sicuti pecoribus, in propatulo esse.

204. Et huius quidem maris quod Caspium vocatur, partem, quae ad vesperam vergit, Caucasus disterminat: qua vero parte vergit ad auroram orientemque solem, planities excipit prospectu immensae magnitudinis. Huius spatiosae planitiei non minimam partem Massagetae possident, quibus bellum Cyrus inferre cupiebat, quum multa eum ac magna extollerent incitarentque. Primum sua nativitas et origo, quod videbatur maius quiddam homine esse: secundo loco, felicitas qua fuerat usus in bellis: quocunque enim se ad bellandum Cyrus direxerat, ea gens nullo pacto poterat evadere.

205. Erat autem Massagetarum regina, defuncti mariti vidua, Tomyris nomine. Hanc per legatos pro-

cabatur Cyrus verbo, volens eam habere uxorem; at illa animadvertens, non se ab eo coniugem peti, sed regnum Massagetarum, accessu Cyro interdicit. Postea Cyrus, quum dolus illi non procederet, progressus ad Araxem, aperte infesto cum exercitu in Massagetas tendens, tum flumen pontibus iungit, quibus copias traiiciat, tum in navibus ad transvehendum flumen turres aedificat.

206. Ad quem in hoc labore occupatum, Tomyris caduceatorem misit, qui diceret: „o rex Medorum, desine incumbere in quae incumbis, nescius an ista, quae constituisti, tibi conducibilia erunt. Omisso incepto in tuis regna, et nos sine finium quorum sumus principes esse. Verum tu admonitionibus his uti noles, et omnia males quam quietem. Quod si tantopere affectas experiri Massagetas, age, quam sustines aerumnam in iungendo fluvio, omitte: quin tu nobis tridui itinere ab fluvio digressis, traiicito in nostram regionem: aut, si mavis, nos excipere in vestram, tu hoc idem facito.“ Haec ubi Cyrus audivit, accitis Persarum primoribus coactisque, in medium rem proponit, consulens utrum ageret. Illorum in idem convenere sententiae, iubentium, recipi in ipsorum regionem cum suo exercitu Tomyrin.

207. Quam sententiam Croesus Lydus, quum adesset, improbabat, contrarium disserens his verbis, „Equidem tibi, o rex, etiam antea dixi, quandoquidem Iupiter tibi me tradidit, quicquid animadvertero offensae in tua domo, id omne me pro viribus aversurum; nam mei casus, ingrati illi, exstitere disciplinae. Si tibi esse videris immortalis, et eiusmodi exercitui praeesse, nihil est opus, ut tibi dicam sententias: sin vero te quoque agnoscis hominem esse, et aliis talibus praees, illud in primis discito, humanarum rerum orbem esse, qui, rotatus, semper eosdem fortunatos esse non sinit. Ideoque de hac quam proposuisti re, secus ego atque isti sentio. Si enim hostes in hanc terram volemus excipere, id tibi inde periculum erit, ne fugatus omne simul amittas imperium: quia haud dubie victores Massagetae, non se retro fuga recipient, sed tua regna adorientur. Victor autem tu non perinde proficis, quantum si traiectu in terram illorum facto, victoria Massagetarum potitus instabis fugientibus. Hoc ipsum enim illi opponam, ut victis hostibus, recta pergas ad Tomyris regnum. Ac praeter istud, quod est memoratum, turpe est atque intolerabile, Cyrum, Cambysis filium mulieri cedentem cessisse regione. Nunc igitur mihi placet, traiectis copiis procedere tantum, quantum

illi processerint: atque dehinc ista faciendo, dare operam ut illos superemus. Namque, ut ego audio, Massagetae bonorum sunt Persicorum insueti, et magnorum commodorum expertes, his ergo talibus viris propone in nostris castris lautam instructarum epularum copiam, magna vi pecorum mactata, cum crateribus etiam effuse vini meri, atque omnis cibariorum generis. Hoc ubi fecerimus, vilissimis quibusque militum ibi relictis, cum reliquis retro ad flumen nos recipiamus. Multis enim bonis conspectis illi, nisi me fallit opinio, se ad ea convertent: unde nobis supererit oportunitas egregiorum facinorum.

208. Atque hae quidem in medium venere sententiae. Cyrus autem, priore repudiata, Croesique probata sententia, indixit Tomyri ut retrocederet, utpote se ad illam traiecturo. Illa, quemadmodum primo spoponderat, retrocessit. Cyrus in Cambysis filii sui, cui regnum tradebat, manus praebuit Croesum, ac maiorem in modum ut hominem honore beneficiisque prosequeretur, praecepit, si sua adversus Massagetas traiectio non recte cederet. Haec ubi praecepit, eosque remisit in Persidem, ipse cum copiis suis flumen traiecit.

209. Transmisso Araxe ubi nox advenit, vidit per quietem in terra Massagetide talem visionem; videbatur Cyrus in somno cernere maximum natu filiorum Hystaspis, habentem in humeris alas, quarum altera Asiam, altera Europam inumbraret. Hystaspi (qui Achaemenides erat, Arsamis filius) erat ex liberis natu maximus Darius, tunc ferme vicesimum aetatis annum agens, in Perside relictus, quod non maturus militiae esset. Experrectus Cyrus de visu apud se cogitabat: qui quum ei magni momenti videretur, vocato Hystaspi remotis arbitris, inquit; Filius tuus, Hystaspes, mihi atque regno meo insidiari deprehensus est: hoc unde clare certeque noverim, ego indicabo. Dii mei curam gerunt, et quaecunque eventura sunt, mihi ostendunt. Igitur proxima nocte in quiete vidi liberorum tuorum natu maximum, in humeris habentem alas, quarum altera Asiam, altera Europam inumbraret. Ex quo viso nulla dubitatio est, quin ab illo mihi tendantur insidiae. Quapropter tu quamprimum in Persidem revertere: facitoque ut quum ego subactis his illuc rediero, filium tuum mihi sistas ad causam dicendam.

210. Et Cyrus quidem haec loquutus est, sibi insidiari Darium suspicatus. At daemon huic ipsi portendebat illum ibi mortem oppetiturum, et eius regnum ad Darium esse perventurum. Respondens igitur illi Hysta-

spes; Absit, inquit, o rex, ut quispiam vir, genere Perses, tibi moliatur insidias: quod siquis sit, is primo quoque tempore morte mulctetur: tu enim Persas ex servis liberos effecisti; ex subiectis aliorum, omnibus imperantes. Quod siqua tibi visio filium meum indicat rebus novis contra te studere, ego tibi eum dedo pro tuo arbitratu tractandum. Hoc reddito responso, Hystaspes traiecto Araxe in Persidem contendit, Cyro filium suum Darium custoditurus.

211. Cyrus autem ab Araxe progressus diei iter, quae Croesus admonuerat exsequitur: relictaque illic inutili manu, mox cum integra et pura exercitus parte ad Araxem revertitur. Hos itaque relictos ex Cyri exercitu aggrediens tertia Massagetici exercitus pars, sese defensantes interimit. Eadem, conspecto epularum apparatu, post adversariorum caedem, ad epulandum discumbit; refertaque cibo ac vino soporatur. Persae supervenientes occidunt quidem multos horum, sed multo plures vivos capiunt, cum alios, tum vero ducem eorum, reginae Tomyris filium, cui nomen erat Spargapises.

212. Tomyris, cognito exercitus ac filii sui casu, misso ad Cyrum caduceatore, ita inquit; Inexplebilis cruore Cyre, ne spiritus tollas ex hoc quod actum est. Si fructu vitino, quo ipsi distenti adeo desipitis, ut descendente in corpus vino mox improbis vos verbis expleamini, tali veneno fallens filium meum vicisti, non proelio et viribus. Quare mei admitte consilium, bene nunc tibi consulentis: abi, reddito mihi filio, ex hac regione, ferens impune quod tertiae Massagetarum parti insultavisti. Quae nisi feceris, per Solem iuro Massagetarum dominum, fore ut ego te, etsi insatiabilem, cruore tamen satiem.

213. Haec verba ad se perlata Cyrus pro nihilo habuit. Filius reginae Tomyris Spargapises; ubi a vino relaxatus, didicit quo in malo esset, exoravit Cyrum, ut vinculis solveretur; statimque quum solutus est ac manuum compos effectus, seipsum interimit; atque hic quidem talem obit mortem.

214. Tomyris autem, quum Cyrus ipsi non auscultaret, contractis omnibus suis copiis ita conflixit cum Cyro, ut hanc pugnam ex omnibus, quae a barbaris viris editae sunt pugnae, acerrimam censeam exstitisse. Eam autem ita gestam fuisse accipio: primum illos spatio distantes, sagittas in se invicem misisse: deinde sagittis absumtis concurrentes, lanceis et gladiis conflixisse, ac diu pugnantes confertim stetisse, neutris fugere volentibus: ad extremum Massagetae superaverunt; ibique cum permagna

exercitus Persici pars prostrata fuit; tum vero Cyrus ipse occumbit, quum undetriginta omnino regnasset annos. Cuius cadaver, inter caesorum Persarum stragem Tomyris perquisitum, quum invenisset, caput in utrem demisit, quem humano cruore compleverat: et cadaver mutilans inquit: Tu quidem me viventem et in pugna victricem tui perdidisti, dum dolo cepisti filium meum: at ego te, prout interminata sum, cruore saturabo. Haec de Cyri vitae exitu, de quo multa referuntur, mihi maxime verisimilis videtur narratio.

215. Massagetae et amictum gerunt et victum habent Scythico similem. Ex equis praeliantur, et pedites; utroque enim genere valent. Sagittarii item sunt atque hastati, sagares e more gestantes: in omnibus auro utentes et aere. Utuntur namque aere in omnibus, quae ad hastas, ad sagittarum aculeos ad secures pertinent: auro autem in cunctis, quae ad capitis, ad balteorum, ad axillarum ornamentum spectant. Equorum itidem pectoribus aereos thoraces circumdant: circa habenas frenaque et phaleras aurum adhibent, ferro atque argento nihil prorsus utentes: nam quum in eorum regione immensa sit auri atque aeris ocpia, ferri tamen atque argenti nihil est.

216. Moribus his utuntur: singuli quidem uxorem ducunt, sed ea communiter utuntur. Nam quod Graeci memorant facere Scythas, id non Scythae faciunt, sed Massagetae, siquidem vir Massageta quoties cupidine capitur mulieris, suspensa pro plaustro pharetra, sine metu concumbit. Terminus aetatis nullis eis propositus est: sed ubi quis admodum senuit, convenientes propinqui omnes eum immolant, et cum eo aliquot pecora; quas carnes, ubi coxerunt, epulantur, et haec quidem apud eos beatissima habentur: Languore et morbo exstinctum non edunt, sed terra operiunt, loco damni putantes, quod ad immolationem non pervenerit. Nihil omnino serunt: sed pecoribus victitant, piscatuque, quem eis abunde Araxes fluvius suppeditat: lac autem potitant. Ex diis unum Solem venerantur, cui equos immolant. Lex autem haec sacrificii; deorum pernicissimo e mortalibus omnibus pernicissimum mactant.

HERODOTI

HALICARNASSEI HISTORIARUM

LIBER SECUNDUS,

QUI INSCRIBITUR

EUTERPE.

Cyro vita functo, regnum suscepit Cambyses, eius et Cassandanae Pharnaspe genitae filius; quam ante virum defunctam Cyrus ingenti luctu et ipse prosequutus est, et ceteris, quibus imperabat, eam ingenti luctu prosequi praecepit. His parentibus ortus Cambyses, quum Iones et Aeolenses pro patriis servis haberet, adversus Aegyptios fecit expeditionem, comparato cum ex subiectis aliis, tum vero e Graecis, quibus dominabatur, exercitu.

2. Aegyptii autem, priusquam apud eos regnaret Psammetichus, omnium hominum se primos exstitisse arbitrabantur: verum Psammeticho regnum adepto, quem incessit cupido noscendi quinam primi hominum exstitissent, ex eo tempore putaverunt, Phrygas quam se priores exstitisse, se vero quam ceteros. Enimvero Psammetichus, quum sciscitando quinam primi hominum exstitissent, nullam viam huius curae invenire posset, huiusmodi rem machinatur: puerulos duos ex humilibus parentibus recens natos, tradit pastori inter pecora nutriendos hunc in modum: iubens neminem coram eis vocem ullam edere, sed in deserta casa ambos seorsum locari, eisdemque suo tempore capras adducere: ubi autem lacte expleti forent, alia administrari. Haec ideo faciebat iubebatque Psammetichus, quod quae vox prima ex his puerulis erumperet, ubi inarticulate vagire desissent, audire cuperet: prout et contigit. Biennii exacto tempore, pastori, qui haec administrabat, aperienti ianuam atque intranti, ambo pueruli porrectis manibus allabentes, becos clamabant. Quod primo audiens pastor obticuit: quum vero crebrius adeunti et curanti idem verbum frequentaretur, ita demum re domino indicata, iussus ab eo, puerulos attulit exhibuitque. Quos quum et ipse Psammetichus audisset, per-

contabatur, quinam homines becos quippiam appellarent? Haec percontans comperit Phrygas panem appellare. Tali modo quum rem ponderavissent, Aegyptii Phrygas se vetustiores esse concesserunt.

3. Quod ita actum esse ex sacerdotibus Vulcani in urbe Memphi audiebam. Graeci tamen cum alia multa inepta memorant, tum vero Psammetichum pueros nutriendos ita curasse apud mulieres, quarum linguas excidisset. Et talia de puerorum nutrimentis referebant. Alia quoque apud Memphin audivi ex Vulcani sacerdotibus, cum quibus in colloquium veni. Quin etiam harum ipsarum rerum gratia et Thebas et Heliopolin me contuli, animo cognoscendi, nunquid consentanea dicturi essent iis quae Memphi dicerentur. Nam Heliopolitani feruntur Aegyptiorum esse solertissimi. Quas vero narrationes ad divina pertinentes audivi, eas non libenter in publicum enunciaverim, nisi ipsorum tantummodo nomina; existimans omnes homines idem novisse de his; quorum quicquid commemorabo, id oratione coactus commemorabo.

4. Quae autem humana negotia sunt, haec ita referebant inter se convenientes. Omnium hominum primos Aegyptios annum reperisse, descriptis per eum duodecim temporum partibus. Et haec excogitavisse ex astris dicebant; tanto prudentius, me arbitro, hoc ducentes quam Graeci; quod Graeci quidem tertio quoque anno intercalarem adindunt, temporum gratia: Aegyptii vero tricenorum dierum tenentes duodecim menses, adiiciunt cuique anno quinos dies extra numerum, unde eis circulus temporum constat eodem rediens. Aegyptios quoque primos, duodecim deorum cognomina in usu habuisse, et ab illis Graecos fuisse mutuatos. Item primos ipsos diis et aras et simulacra et delubra statuisse: quinetiam animalia in saxis sculpsisse: quarum rerum pleraque sic effecta opere demonstrabant. Praeterea primum in Aegypto mortalium regnasse Mena, ac sub eo omnem Aegyptum, praeter Thebaicam praefecturam, paludem fuisse: ex eaque nihil eorum quae nunc sunt infra stagnum Moerios, eminuisse: in quod stagnum a mari per flumen septem diebus navigatur.

5. Atque de regione bene mihi dicere videbantur; manifestum enim est ei, qui, etsi antea non audierit, tamen inspexerit, modo sit solertia praeditus, Aegyptum in quam Graeci navigant, acquisitam Aegyptiis esse terram, ac fluminis donum: quinetiam loca quae supra stagnum hoc sunt, ad trium usque dierum navigationem; de qua non iam tale quicquam commemorabant. Est au-

tem aliud tale. Aegyptiacae regionis huiuscemodi natura est: Iam primum adhuc adnavigans et distans ab ea diurno cursu, demissa bolide coenum attolles et eris in undecim orgyiis vel profunditate quatuor et quadraginta cubitorum, quae res declarat eatenus esse profusionem telluris.

6. Porro autem ipsius Aegypti longitudo secundum mare est sexaginta schoenorum, quemadmodum nos Aegyptum esse distinguimus a sinu Plinthinete, usque ad paludem Serbonida, ad quam mons Casius se porrigit. Itaque ab hac sunt sexaginta schoeni. Etenim qui modicum terrae possident, mensi sunt illam per orgyias vel mensuram quatuor cubitorum: qui minus inopes terrae, stadiis: qui multum possident, parasangis: qui plurimum quantum, schoenis. Respondet autem parasanga tricenis stadiis: schoenus, mensura Aegyptiaca, sexagenis. Ita erat Aegyptus propter mare stadiorum trium millium sexcentorum.

7. Hinc quidem etiam ad Heliopolin mediterranea versus Aegyptus lata est, supina omnis et aquarum inops simul ac limosa. A mari autem versus Heliopolin adscendenti, iter est eiusdem spatii, cuius id quod ex Athenis ab ara duodecim deorum fert Pisam et ad delubrum Iovis Olympii: quae itinera siquis computet, inveniat parum quiddam differre, quominus sit par earum longitudo, non amplius quindecim stadiis. Nam viae quae ex Athenis Pisam fert, quindecim stadia desunt, ut sit mille et quingentorum stadiorum: at ea quae a mari ad Heliopolin ducit, hunc numerum complet.

8. Ab Heliopoli autem superiora petenti Aegyptus angusta est; nam ab una parte mons Arabiae praetentus est, ab aquilone ferens ad meridiem atque ad austrum, semper sursum tendens ad mare, quod rubrum vocatur. In eo sunt lapidicinae, ad pyramides, quae sunt apud Memphin, excisae. Ibi quidem desinens mons reflectit, in quae dictum est. Qua vero longissimus sui ipsius est, duorum ego audiebam id mensium itineris esse ab aurora ad vesperam; et eius extrema quae ad auroram vergunt, feracia thuris. Atque hic quidem mons talis est. Latus autem Aegypti versus Africam alius mons saxeus urget, in quo pyramides sunt, fabulo obvolutus, eodem modo porrectus, quo Arabici montis partes, quae ad meridiem ferunt. Quod igitur ab Heliopoli patet, non ampla regio est, ut sit Aegypti; sed Aegyptus est angusta, quatuor dierum navigationis. Horum quos dixi montium medium campestris est terra, stadiorum ferme, ut mihi videbatur, qua parte arctissima est, non amplius ducentorum, é

monte Arabico ad eum, qui dicitur Libycus. Illinc vero rursus Aegyptus laxa est.

9. Atque ita situs regionis huius natura comparatus est. Ab Heliopoli autem ad Thebas novem diebus sursum navigatur, spatio quatuor millium octingentorum et sexaginta stadiorum, hoc est, unius et octoginta schoenorum: quae Aegypti stadia composita, secundum quidem mare sunt, prout a me superius indicatum est, tria millia sexcenta: quantum vero a mari ad mediterranea usque Thebas sit, indicabo; sunt enim sex millia ac centum viginti stadia: a Thebis autem ad urbem nomine Elephantinam, octingenta et mille.

10. Huius igitur regionis, quae a me dicta est, pleraque pars, ut sacerdotes aiebant, etiam mihi ipsi esse videbatur acquisita Aegyptiis. Siquidem quod inter dictos montes, supra Memphin urbem positos, medium est, videbatur mihi sinus maris aliquando fuisse, quemadmodum ea quae sunt circa Ilium, et Teuthraniam, et Ephesum, et Maeandri campum, ut haec parva magnis comparare liceat: quoniam nullum eorum fluminum, quae has regiones oblimaverunt, dignum est comparari uni ex quinque ostiis Nili, respectu copiae et multitudinis aquarum. Sunt et alii fluvii nequaquam magnitudine, Nilum aequantes, qui magna opera ediderunt, quorum nomina possem referre; cum aliorum, tum vero non minimum Acheloi, qui per Acarnaniam fluens et emissus in mare Echinadum insularum dimidiam partem fecit iam continentem.

11. Est autem Arabicae regionis, non procul tamen ab Aegypto, sinus maris, invergens ex eo mari, quod rubrum vocatur, ita longus atque arctus, ut disserendo ostendam. Longitudo quidem, inchoanti pernavigare ex recessu in amplum aequor, consumit quadraginta dies, si remigatio usurpetur: latitudo vero, ubi sinus amplissimus est, dimidiatum diem navigationis. In quo sinu quotidie aestus et recessus est. Alium huiusmodi arbitror sinum etiam exstitisse Aegyptum; ex quibus ille quidem, a mari septentrionali sinus infundens Aethiopiam versus: alter vero Arabicus, de quo a me sermo instituetur, ab austrino Syriam versus tendit: qui prope sibi invicem suos recessus perforant, sed exiguo quodam terrae intervallo diremti. Quod si in hunc Arabicum sinum Nilus volet alveum suum convertere, quid eum prohibebit isto fluente utique intra viginti millia annorum oblimatum iri? Ego enim credo etiam intra decem millia aggeratum et oblimatum alicubi esse in eo tempore, quod ante me natum transiit. Et non

rursus oblimaretur sinus etiam, qui multo maior esset hoc Arabico, a tanto flumine atque ita operoso?

12. Itaque quae circa Aegyptum sunt, et dicentibus illa credo, et ipse ita habere valide existimo; quippe quum videam et Aegyptum procurrere extra vicinam regionem, et conchylia apparere in montibus, ac salsuginem efflorescere, ita ut etiam pyramides corrumpat: et hunc montem, qui in Aegypto est super Memphin, arenas solas habere. Praeterea autem regione nec Arabiae conterminae Aegyptum adsimilem esse, neque Africae, immo nec Syriae (etenim Arabiae maritimam oram Syrii incolunt) sed nigram terram et confractam, quippe quae sit limus et proluvies, ex Aethiopia delata ab flumine. Nam Africam scimus humum magis rubrum esse, et fere arenosiorem; Arabiam vero atque Syriam, argillosiorem ac suppetrosam.

13. Quin etiam hoc magnum huius regionis documentum mihi aiebant sacerdotes, sub rege Moeri fluvium, quoties octo minimum cubitos adscenderet, irrigasse Aegyptum quae infra Memphin est; necdum ab obitu Moerios nongenti erant anni, quum haec ego a sacerdotibus audiebam. At nunc, nisi ad sedecim aut minimum ad quindecim cubitos adscendat fluvius, in regionem non supergreditur. Quae regio, si proportione sic in altum surgat, et tantundem ad incrementum tendat, non restagnante in eam Nilo; videntur mihi Aegyptii, utique Aegyptiorum illi, qui infra paludem Moerin incolunt, cum alia loca, tum vero eum qui vocatur Delta, idem passuri omni futuro tempore Aegyptii, quod aiebant ipsi passuros aliquando Graecos. Nam quum audirent omnem Graecorum terram pluvia perfundi, non rigari fluminibus, ut suam, dicebant fore ut Graeci decepti aliquando magna spe, male esurirent. Qui sermo hoc dicere vult, Graecos, si nolit eis deus pluere, sed siccitatem immittere, fame exstinctum iri, utpote quibus nullum sit remedium aquae, nisi tantum a Iove.

14. Atque haec quidem ab Aegyptiis in Graecos recte perpensa dicuntur; age, nunc vicissim dicam quomodo res ipsis Aegyptiis se habeant. Si, ut superius dicebam, quae infra Memphin est regio, (haec enim est quae augescit) velit in altum crescere proportione praeteriti temporis aliud quam Aegyptiorum illi, qui istic incolunt esuriant, si neque pluviam accipiet regio, neque flumen exspatiari valebit super rura? Isti namque nunc tum ex aliis omnibus hominibus, tum ex reliquis Aegyptiis, maxime nullo partum labore percipiunt fructum, qui neque

aperiendis aratro sulcis operantur, neque subigendo solo, neque aliud quicquam operis faciendo, quod in arvo colendo caeteri mortales sustinent: sed postquam fluvius sua sponte superveniens irrigavit rura, irrigataque reliquit rursus, tunc in suum quisque rus iacto semine sues immittit, et satis conculcato a suibus semine, messem deinde exspectat: atque ubi suibus frumentum excusserit, ita demum percipit.

15. Quod si vellem de Aegypto Ionum uti sententiis, qui solum Delta Aegyptum esse aiunt, a Persei appellata specula, dicentes illius secundum mare esse ad Pelusiacas usque taricheas, ubi quadraginta schoeni sunt: partem vero a mari dicentium ad mediterranea pertinere usque ad Cercasorum urbem, iuxta quam scinditur Nilus in Pelusium fluens et in Canobum; cetera vero dicentium Aegypti, partim esse Africae, partim Arabiae: ostenderemus, hac ratione utentes, Aegyptiis primum non esse regionem. Iam quippe Delta eis, ut ipsi dicunt Aegyptii, et mihi videtur, fluctibus exposita est, et quae nuper, ut sic dicam, apparuit. Itaque si nulla eis terra erat, quid curiosi, erant putantes se primos homines exstitisse? neque in puerulorum oportuerat eos ire experimentum, quam primam linguam proderent. Ego certe Aegyptios opinor neque cum loco, quem Delta Iones vocant, pariter exstitisse, sed semper esse ex quo genus humanum fuit, progressaque terra multos ex eis relictos fuisse, multos vero paulatim descendisse. Ideoque olim Thebae Aegyptus vocabatur, cuius ambitus est stadiorum sex millium ac centum viginti.

16. Itaque si nos de eis recte sentimus, Iones non recte sentiunt de Aegypto: sin recte Iones sentiunt, ostendo Graecos et ipsos Iones ignaros computandi: qui aiunt tria membra totam esse terram, Europam, Asiam, Africam; quartum enim membrum annumerare debent Delta Aegypti, si non sit neque Asiae, neque Africae. Nam secundum hanc rationem non est Nilus, qui Asiam ab Africa disterminat: quippe circa acumen illius Delta circumfrangitur Nilus, adeoque in medio Asiae et Africae censenda erit.

17. Sed nos Ionum sententiam missam facientes, ita de his dicimus; Aegyptum quidem, eam omnem esse, quae ab Aegyptiis incolitur quemadmodum Ciliciam eam, quae a Cilicibus, et Assyriam, quae ab Assyriis. Sed Asiae et Africae scimus recta ratione nullum esse terminum nisi terminos Aegyptiorum. Si vero, quod Graecis persuasum est, sequemur, sentiemus omnem Aegyptum,

quae a Catadupis et Elephantina urbe incepit, bifariam dividi, et utrique cognomini adhaerere: aliam enim eius partem esse Africae, aliam Asiae. Quippe Nilus a Catadupis incipiens, mediam scindens Aegyptum, in mare fluit: usque ad Cercasorum quidem urbem fluit unus plane Nilus; inde autem scindit triplices vias. Et quae quidem ad auroram vergit, Pelusium ostium: altera via ad vesperam tendens, Canobicum ostium nominatum est. Recta autem viarum Nilo, talis est: Delatus ex superioribus, ad acumen Delta pervenit; dehinc medium Delta scindens, in mare exit: non minimam hanc aquae portionem praebens, nec minime celebrem. Sebennyticum ostium appellatur. A Sebennytico item duo alia divisa exstant ostia, in mare ferentia, quibus haec sunt imposita nomina, uni Saiticum, alteri Mendesium. Nam quod Bolbitinum et quod Bucolicum nominatur, non sunt nativa ostia, sed effossa.

18. Huic meae opinioni, tantam esse Aegyptum, quantam sermone demonstro, testimonium etiam dat oraculum, quod ab Hammone est redditum: quod ego posterius quam ita in animum induxeram circa Aegyptum audivi. Nam qui ex urbe Marea et Apie incolunt Aegypti partes Africae confines, qui et ipsi Afri, et non Aegyptii videntur, et perosi sacrorum ceremonias, etiam recusantes bobus feminis prohiberi, miserunt ad Hammonem, negantes quicquam cum Aegyptiis sibi esse commune. Habitare enim se extra Delta, nec esse eiusdem illis sententiae, ac velle sibi fas esse omnia gustare. Haec eos deus facere non permisit, inquiens Aegyptum esse eam, quam Nilus supergressus irriget: quique infra urbem Elephantinem incolentes, ex hoc flumine potarent, eos esse Aegyptios. Haec illis ita oraculo responso sunt.

19. Porro Nilus, ubi plurimus est, non modo Delta inundat, verum etiam aliquid eius plagae, quae dicitur Africana esse, et alicubi Arabicae: idque utrobique duorum dierum iter, et amplius adhuc eo vel minus. De cuius fluminis natura neque a sacerdotibus quippiam, neque ab alio ullo percipere potui, sed promtissimo fui animo haec ex illis cognoscere, cur Nilus aquis abundans defluat, inchoans ab aestivo solstitio, ad centum usque dies, et prope ad numerum horum dierum retrocedat, relinquens fluenta: ita ut per omnem hyemem tenuis esse perseveret ad solstitium rursus aestivum. De horum igitur nullo aliquid omnino potui percipere ab Aegyptiis sciscitando illos, quam vim Nilus habeat, ut

natura diversus esset ab ceteris fluviis. Haec ego quae celebrata sunt noscendi cupidus, eos interrogabam, et cur solus omnium amnium nullas efflantes auras praeberet.

20. De qua tamen aqua quidam Graecorum, quum insignes vellent haberi sapientia, trifariam disseruerunt; quarum opinionum duas ne mentione quidem dignas existimo, nisi eatenus, ut illas tantum velim significare. Earum una ait, ventos etesias esse in causa cur fluvius crescat, prohibentes Nilum effluere in mare. Atqui crebro etesiae non spiraverunt, et tamen Nilus idem agit. Ad haec si etesiae in causa forent, oporteret aliis quoque fluminibus, quaecunque etesiis adversa fluunt, similiter aliquid contingere, et idem quod Nilo, et eo adhuc magis, quo tenuiora quum sint, imbecilliores fluctus exhibent. Sunt autem multa in Syria, multa in Africa flumina, quae nihil tale patiuntur quale quid etiam Nilus.

21. Altera est insipientior quidem, quam haec quae dicta est; ut tamen dicatur, quod res est, admirabilior, quae ait illum, quod ab Oceano fluat, istud efficere; Oceanum vero circumfluere omnem terram.

22. Tertia opinio, ut multo modestissima, ita longe falsisima est: quippe quae et ipsa nihil dicit, inquiens e nive liquescente manare Nilum: qui quum ex Africa per medios Aethiopes fluens in Aegyptum evadat, ex locis calidissimis ad frigidiora, quomodo ab nive flueret? De quibus multa sane sunt, quae quis ad talia validus coniectare possit, non esse probabile, eum manare de nive: primum ac maximum testimonium perhibentibus ventis, qui ab his regionibus calidi spirant. Secundum, quod ea plaga sine imbribus et sine glacie perpetuo est; super nivem autem quae cecidit, necesse omnino est intra quinque dies pluere: quare si in his regionibus ningeret, etiam plueret. Tertium, homines ab aestu nigri; et milvi, atque hirundines illic perennare non desinunt; grues quoque, hyemem Scythicae plagae fugientes, ad haec loca se conferunt hybernatum. Si igitur vel quantulumcunque ningeret in ea plaga, per quam fluit et ex ea qua fluere incipit Nilus, profecto nihil horum esset, quemadmodum necessitas arguit.

23. At is qui de Oceano loquutus fuit, ad occultum deferens fabulam caret evictione. Neque enim ego ullum novi fluvium, qui sit Oceanus, sed hoc nomen opinor Homerum, aut aliquem antiquiorum poëtarum quum invenisset, in poëticum intulisse.

24. Quod si opiniones, quas proposui, improbantem me ipsum oportet de illis occultis ferre sententiam, dicam quare mihi videatur abundare Nilus aestate. Hyberno tempore sol depulsus a vetere meatu per hyemes incedit superiora Africae. Ut quidem ergo brevissime demonstrando, totum dictum est. Etenim deus hic cuicunque regioni proximus existat, et circa quamcunque, eam maxime sitire aquas credibile est, et scaturigines indigenas animum arescere.

25. Ut autem pluribus verbis demonstretur, ita habet. Sol Africae superiora permeans, ea efficit; nam quum per omne tempus sit serenus aër in istis regionibus, et ipsa regio calida, nec venti frigidi, peragrans facit, quale aestate facere consuevit means medium coeli: ad se enim trahit aquam, tractamque in superna abigit loca; quam suscipientes venti ac dissipantes liquefaciunt; et sunt probabiliter ab hac regione flantes, auster et africus, multo ventorum omnium pluviosissimi. Quanquam mihi videtur non omnem humorem annuum Nili sol demittere, sed et penes seipsum reservare. Idem, mitigata hyeme, rursus in medium coelum regreditur, atque illinc jam itidem ex cunctis fluminibus trahit; quae mox, multa illis pluviali aqua ex imbribus commixta, utpote terra per pluvias madefacta et lacunosa, magna fluunt: at aestate, quum destituantur ab imbribus, et a sole trahantur, imbecilla sunt. Nilus autem qui imbribus caret, sed qui trahitur a sole, merito solus fluviorum eo tempore fluit multo exilior quam per aestatem. Tunc enim peraeque trahitur atque omnes aquae, per hyemem vero solus urgetur. Ita solem censui harum rerum esse causam.

26. Idem iste, mea sententia, auctor est aëris sicci in ea regione, dum perurit transitum istius. Ita semper Africae superiora aestas obtinet. Quod si temporum statio immutaretur, et in qua coeli parte nunc aquilo situs est et hyems, ibi austri situs esset et meridiei: et ubi nunc auster locatus est, illic aquilo esset: si haec ita haberent, profecto sol amotus e medio coelo ab hyeme et aquilone, mearet superna Europae, quemadmodum nunc Africae: peragransque omnem Europam, faceret, opinor, eadem in Istro, quae nunc facit in Nilo.

27. De aura autem, quae nulla efflat, hoc mea fert opinio: valde consentaneum esse, e locis fervidis nihil exspirare aurae: quippe quae ab aliquo frigido flare gaudet.

28. Verum haec ita sint quemadmodum et sunt, et ab initio fuere; Nili tamen fontes nemo neque Aegyptiorum, neque Afrorum, neque Graecorum, qui in colloquium mecum venerunt, se nosse professus est, praeter scribam sacrarum Minervae rerum in Aegypto, in urbe Sai: qui mihi iocari videbatur, affirmans se id procul dubio nosse. Sic autem dicebat, geminos esse montes, cacuminibus in acutum tendentibus, in medio Syenes urbis positos Thebaidis, et Elephantinae: quorum uni nomen esset Crophi, alteri Mophi, et ex istorum montium medio Nili fontes abyssos, hoc est, sine fundo, fluere; cuius aquae dimidium Aegyptum versus et ventum aquilonem flueret, reliquum dimidium Aethiopiam versus atque austrum. Quod autem abyssi forent fontes, aiebat Psammetichum Aegypti regem periculum huius rei fecisse: nam fune mensurae, quae quatuor cubitorum est, millenas plurimas continente nexo, ibi eum demisisse, tamen ad fundum non devenisse. Sic quidem scriba hic, si modo haec, ut contingunt, dicebat, declarabat: ut ego opinor vortices quosdam illic esse validos, ac refluxum quippe aquae insultantis montibus, unde nequeat funis ad explorandum demissus ire in fundum. Aliud ab ullo quoquam audire non potui.

29. Sed tale quidem aliud ad longissimum indagavi usque ad Elephantinam urbem ipse ad inspiciendum profectus; quod inde alterius est, audiendo iam inquirens. Ab urbe Elephantina ad superiora eunti est locus acclivis, ubi necesse sit, navigio utrinque alligato, tanquam bove, pergere: et, si abrumpatur, abire navigium, raptum fluxus impetu. Abest autem hic locus quatuor dierum navigatione: estque ibi Nilus tortuosus veluti Maeander, et sunt hi duodecim schoeni, quos hunc in modum enavigare oportet, et postea pervenire planum in campum, ubi sit insula Nilo circumflua, nomine Tachompso. Ab Elephantina vero superiora iam Aethiopes incolunt et dimidium insulae: nam alterum dimidium Aegyptii. Insulae contingua est ingens palus, accolentibus circum Aethiopibus pastoribus: quam navigando traiiciens venies in Nili alveum, qui in paludem istam effunditur. Deinde egressus, itinere pedestri quadraginta dierum perges propter flumen; nam in Nilo acuti scopuli surgunt et saxa frequentia, per quae navigare non licet. Peragrato in quadraginta diebus eo loco, alterum rursus ingressus navigium, duodecim diebus subveheris, et postea venies in oppidum magnum nomine Meroën, quae urbs fertur aliorum Aethiopum esse me-

tropolis. Cuius incolae solos deorum colunt Iovem et Liberum, eosque magnopere venerantur. Iovis etiam illis adest oraculum, cuius Dei responsis, posteaquam iubentur, et quocunque iubentur eo sumunt expeditionem.

30. Ab hac urbe, per alterum tantum temporis, quo ad ipsam Aethiopum metropolin ex Elephantina pervenisti, navigando pervenies ad Automolos, quibus Automolis nomen est Asmach: quod verbum Graeca in lingua idem pollet, quod ab sinistra manu regi assistentes. Isti quum essent Aegyptii bellatores, ducenta et quadraginta millia, ad hos Aethiopas transiere hac de causa. Sub rege Psammeticho fuerant in praesidiis collocati, alii in urbe Elephantina adversus Aethiopas, et ad Daphnas Pelusias alii adversus Arabes et Syros, alii in Marea adversus Africam. Mea adhuc aetate etiam per eadem loca Persarum praesidia locantur, quemadmodum sub rege Psammeticho erant; nam et apud Elephantinam, et apud Daphnas Persae excubias agunt. Quum igitur triennium in praesidio fuissent Aegyptii, neque vices eorum aliqui exciperent, communi usi consilio, a Psammeticho ad Aethiopiam sibi transeundum omnes putaverunt. Quos, re audita, Psammetichus insequutus, et ubi est assequutus, multis verbis obsecrabat, dehortabaturque patrios deos ac liberos uxoresque deserere. Ibi quidam illorum fertur ostenso veretro dixisse, ubicunque id esset, illic etiam sibi uxores et liberos fore. Hi posteaquam in Aethiopiam profecti sunt, sese Aethiopum regi tradiderunt: quos ille ita remuneratus est. Erant ei nonnulli Aethiopum dissidentes, quos quum sustulissent, terram illorum iussit istos incolere. Aethiopes, his colonis inter se collocatis, facti sunt mansuetiores, moribus Aegyptiacis imbuti.

31. Ad quatuor igitur mensium partim navigationem, partem iter, cognoscitur Nilus, praeter id quo fluit per Aegyptum. Tot enim menses computanti reperiuntur impendi ab eo, qui ex Elephantina ad hos Automolos pergat. Fluit autem ab vespera et solis occasu: ultra quid sit, nemo potest pro comperto narrare: est enim deserta prae fervore ea regio.

32. Sed haec quidem accepi ex quibusdam Cyrenaeis, qui se ad Ammonis oraculum isse commemorabant, colloquutosque cum Etearcho Ammoniorum rege, et ex aliis sermonibus devenisse in confabulationem de Nilo, tanquam nemo nosceret eius fontes: Etearchumque narrasse, aliquando quosdam ad se venisse Nasa-

monas, quae gens est Africana, Syrtim incolens, et oram Syrtis, quae vergit ad auroram non multum. Eos, quum venissent, interrogarenturque nunquid amplius haberent referre de Africae desertis, retulisse, apud se fuisse quosdam virorum praepotentium filios petulantes: eos, quum in virilem aetatem adolevissent, cum alia supervacua fuisse machinatos, tum vero ex ipsis quinque sortito separavisse ad inspiciundas Africae solitudines, et siquid amplius visuri essent, quam ii qui longissima inspexissent. Oram enim Africae mari septentrionali obversam Libyes et Libyum multae gentes ab Aegypto incipientes omnem praetexunt usque ad promontorium Soloëntem, quod Africae extremum est, praeter id quod aut Graeci obtinent, aut Phoenices: at supra maritimam oram, et eos homines, qui ad mare pertinent, ab feris ulterior Africa habetur: at ultra plagam a feris insessam, arena est, vehementerque arida, ac prorsus vasta. Igitur eos iuvenes ab aequalibus dimissos, aquis atque cibariis probe instructos, primum per regionem ivisse habitatam; hanc permensos, in illam ferinam pervenisse; ex ea per solitudinem transivisse iter facientes ad ventum zephyrum; peragratoque multo spatio sabulosae regionis et pluribus sane diebus, aspexisse demum arbores in planitie natas, et ipsos accessisse, ac fructum qui inerat decerpsisse; eisque inter decerpendum supervenisse quosdam infra mediocrem virorum staturam pusillos, arreptosque duxisse illos, quorum linguam Nasamones non cognoscebant, ut neq Nasamonum illi qui ducebant: et ab his ductos fuisse per maximas paludes: atque illas transgressos pervenisse in urbem, in qua universi forent aequali statura illis, qui duxissent, colore nigro: eam urbem praeterlabi grande flumen, ab vespera ad orientem solem fluens, in quo conspicerentur crocodili.

33. Hactenus a me sermo Ammonii Etearchi commemoratus sit: nisi quod is aiebat Nasamonas, ut Cyrenaei referebant, revertisse, et eos homines, ad quos illi pervenissent, omnes esse praestigiatores. Flumen autem quod praeterfluebat, et Etearchus coniectabat Nilum esse, et ratio sic dictat. Ex Africa enim Nilus fluit, eamque mediam secat, et ut ego coniecto ex apertis ignota arguens, pari tractu atque Ister meat. Ister namque fluvius, incipiens a Celtis atque urbe Pyrene, mediam Europam scindit: Celtae autem sunt extra columnas Herculis, Cynesiis finitimi, omnium in Europa ad occasum habitantium ultimi: totamque Europam

permensus, qua Istriani Milesiorum colani incolunt, in mare Euxini ponti influens finitur.

34. Et Ister, fluit enim per terram habitatam, a multis cognoscitur: de Nili vero fontibus nemo habet quod referat, utpote Africa, per quam fluit, inhabitata ac deserta. De eius fluxu, quam potuit longissime inquirendo perveniri, dictum est; exit autem in Aegyptum. Porro Aegyptus montanae Ciliciae fere opposita iacet. Hinc ad Sinopen in ponto Euxino sitam, quinque dierum est rectum iter viro expedito. Sinope autem Istro mare irrumpenti ex adverso est sita. Ita Nilus totam permeans Africam, videtur mihi aequiparandus Istro. Hactenus de Nilo dictum sit.

35. Venio ad plura de Aegypto referenda; quoniam plurima mirabilia habet, quam alia omnis regio, et supra omnem regionem exhibet opera relatu maiora. Horum gratia plura de ea memorabuntur. Aegyptii pro coelo, quod apud eos est alterius modi, et flumine diversam ab aliis fluminibus naturam ostendente, ita ipsi, pleraque omnia a ceteris hominibus diversa constituerunt, seu mores seu iura respicias. Apud hos feminae quidem in foro agunt cauponanturque, viri autem intra domos texunt. Alii vero texentes villum subtegminis desuper tramant, Aegyptii subter. Onera viri capitibus, feminae humeris baiulant. Feminae erectae mingunt; viri sedentes. Domi ventrem exonerant, foris in viis comedunt: reddentes rationem, quae sunt turpia, sed necessaria, ea in occulto fieri debere; palam vero, quae non sunt turpia. Mulier neque dei neque deae ulla sacerdos est, sed viri deorum omnium et dearum. Alendi parentes filiis nulla, nolentibus; filiabus, etiamsi nolint, summa necessitas est.

36. Deorum sacerdotes alibi comati sunt, in Aegypto rasi. Apud alios ritus est, statim in funere capita tonsa geri ab illis, quos maxime tangit; Aegyptii sub mortes sinunt capitis crines immitti, tum in capite, tum in mento antea rasi. Apud ceteros mortales victus a ferarum secretus est consortio; Aegyptii cum feris vivunt. Alii tritico atque hordeo victitant: Aegyptio, qui ex iis vitam sectatur, maximo probro est; sed cibos e farre conficiunt, quos quidam siliginem appellant. Farinam aqua madefactam pedibus, lutum manibus subigunt et stercus tollunt. Virilia alii talia relinquunt prout nata erant, praeter eos qui ab istis didicerunt; Aegyptii circumcidunt. Viri binas vestes habent, feminae singulas. Alii velorum ansulas et funes extrinsecus assuunt;

Aegyptii intrinsecus. Graeci literas scribunt et calculis computant a sinistro in dextrum manum ferentes; Aegyptii a dextro in sinistrum; et hoc facientes aiunt se in dextrum, Graecos facere in sinistrum. Literis duplicibus utuntur, quarum unas sacras vocant, populares alteras.

37. In deos affatim supra omnes homines religiosi sunt, talibus moribus utentes; aheneis in poculis potant, singulis ea diebus extergentes, non hic neque ille, sed universi. Linea ferunt vestimenta semper recens lota, hanc rem praecipue curantes. Virilia circumcidunt munditiae gratia, pluris facientes se mundos esse quam decoros. Sacerdotes tertio quoque die totum corpus radunt, nequis pediculus deos colentibus aut aliud quid sordidum omnino adsit. Iidem vestem tantummodo lineam, calceos byblinos gestant: nec aliam vestem aut alios calceos sumere eis fas est. Lavantur quotidie bis frigida, item noctu bis. Alias praeterea ceremonias, ut ita dicam, infinitas exercent. Qui etiam non paucis afficiuntur commodis; nam neque e re domestica aliquid conterunt, neque impendunt, sed ipsis cibi sacri cocti praesto sunt, et carnis anserinae et bubulae copia quaedam ingens quotidie unicuique adest. Vinum quoque ex vite pressum illis datur. De piscibus gustare nefas est illis. Fabas Aegyptii in sua terra nec admodum serunt, nec eas, quae provenerint, aut crudas aut in aqua coctas, edunt. Sacerdotes vero ne aspicere quidem ea sustinent, arbitrantes haud mundum illud legumen esse. Sacerdos fit non unus cuiusque deorum, sed multi, quorum unus est maximus; ubi quis defunctus est, filius eius subrogatur.

38. Boves mares Epaphi esse statuunt; eaque de re hunc in modum eos explorant. Si pilum nigrum adesse vel unum viderit, nequaquam mundum esse censet. Explorat autem haec sacerdotum aliquis ad id constitutus, pecude cum stante erecta, tum etiam resupinata: lingua etiam exerta, an pura sit ab iis signis quae proposita sunt, quae ego alio referam in libro. Inspicit et caudae pilos, nunquid eos habeat secundum naturam procreatos. Eum, si fuerit his omnibus mundus, notat circumvolvens cornibus byblum; deinde adfingens terram sigillarem, anulum imprimit, et sic abducunt. Nam immolanti eo sigillo non notatam, poena mors sancita est. Et hunc quidem in modum pecus explorantur.

39. Sacrificandi autem is eis est ritus. Pecude, quae signata est, ad aram ubi immolant adducta, pyram in-

accendunt, deinde supra aram circa hostiam libato vino, ac deo invocato, mactant: mactatae caput amputant, et reliquum corpus excoriant. Capiti autem illi multa imprecati asportant illi, quibus ius est forum celebrare, et eis Graeci negotiatores adfuerint; illi igitur ferentes in forum vendunt: quibus si non adfuerint Graeci, in flumen abiiciunt. Execrantur autem capita in haec verba, ut siquid mali aut ipsis immolantibus aut universae Aegypto futurum sit, id in caput hoc vertatur. Eosdem porro hos ritus circa capita pecudum immolatarum, et vini libationem omnes pariter Aegyptii ad omnia sacra observant. Atque ex hoc ritu fit, ut nemo Aegyptiorum de capite ullius alterius animantis degustet.

40. At tamen sacrorum exemptio et crematio alia circa aliud sacrum ab eis instituta. Quam igitur deam maximam esse censent, et cui maximum festum celebrant, iam nunc dicam. Posteaquam ieiunio Isidis vacarunt et precati sunt, bovem immolant, detractoque corio, alvum illam totam extrahunt, viscera autem eius corpore adipemque linquunt, crura amputant, et extremam coxam armosque, ac cervicem. His actis, reliquum bovis corpus stipant panibus puris, et melle, et uvis passis, et ficis, et thure, et myrrha, atque aliis odoribus. Ubi haec infarserunt, adolent, multum olei adfundentes: ieiunio tamen ante servato sacrificant. Dum sacrificium ardet, omnes sese verberant. Posteaquam plangere desierunt, dapem ex sacrificii reliquiis proponunt.

41. Mundos quidem igitur mares boves, ac vitulos universi Aegyptii immolant: at feminas eis immolare non licet, utpote Isidi consecratas. Nam Isidis simulacrum muliebre bubulis praeditum est cornibus, quemadmodum Io Graeci pingunt; bovesque feminas similiter Aegyptii omnes venerantur ex omnibus pecudibus longe plurimum: ideoque nemo vir Aegyptius Aegyptiave mulier Graecum virum aut oro suavietur, aut cultro, vel verubus, vel olla illius utetur, aut puri bovis carnem Graeco cultro dissecti gustabit. Boves, qui demortui sunt, hunc in modum sepeliunt: Feminas quidem in flumen demittunt, masculos autem in suburbanis singuli defodiunt, uno cornu aut utroque extante, signi gratia. Ubi computruit, et statum tempus advenit, praesto est ad singulas urbes navis ex insula nominata Prosopitide, quae est in Delta, habetque novem schoenorum ambitum. In hac igitur Prosopitide insula cum aliae sunt frequentes urbes, tum ea unde proficiscuntur naves ad ossa

boum tollenda, nomine Atarbechis, ubi templum Veneris sanctum extructum est; ex qua urbe alii multi vagantur in alias urbes. Ubi autem effoderunt ossa, asportant, eaque uno in loco cuncti sepeliunt. Quem porro in modum boves, in eandem defuncta alia pecora sepeliunt; ita enim apud eos circa haec legibus comparatum est; nam ne haec quidem interimunt.

42. Ceterum qui Iovis Thebani templum incolunt, aut Thebanae praefecturae sunt, ii omnes ab ovibus abstinentes, capras immolant. Non enim eosdem deos similiter colunt universi Aegyptii, praeter Isin et Osirin, quem Bacchum esse aiunt; hos peraeque universi colunt. Qui vero Mendetis templum obtinent, sive Mendesiae praefecturae sunt, hi capris abstinentes, immolant oves. Itaque Thebani, et quicunque propter illos ovibus parcunt, aiunt ideo sibi conditam hanc legem, quod Iupiter, quum ab Hercule cernere eum volente, cerni nollet, tandem quia orando instabat Hercules, hoc commentus sit, ut amputato arietis capite, pelleque villosa quam illi detraxerat, induta sibi, ita sese Herculi ostenderit: et ob id Aegyptios instituisse Iovis simulacrum facere arietina facie: et ab Aegyptiis Ammonios accepisse, qui sunt Aegyptiorum atque Aethiopum coloni, et linguam ex utrisque mixtam usurpantes. Qui etiam mihi videntur nomen Ammonios ex hoc sibi pro cognomine posuisse, quod Aegyptii Iovem appellant Ammoun. Arietes vero non mactantur a Thebanis, sed eis ob hanc rem sacri sunt. Uno tantum die quotannis in festo Iovis, unum arietem obtruncant, cuius pellem detractam eundem in modum Iovis simulacro induunt: ad illudque deinde aliud adducunt Herculis simulacrum. Hoc acto, cuncti qui circa templum sunt, arietem verberant, deinde in sacro eundem loculo sepeliunt.

43. De Hercule autem hunc ego audivi sermonem, eum esse ex diis duodecim; nam de altero Hercule, quem Graeci norunt, nulla in parte Aegypti quippiam potui audire. Et sane eius nomen non Aegyptios a Graecis accepisse, sed Graecos potius ab Aegyptiis, et eos quidem Graecos, qui hoc nomen filio Amphitryonis imposuere, cum multa alia mihi indicia sunt id ita se habere, tum vero istud, quod huius Herculis uterque parens, Amphitryon et Alcmena, fuerunt olim ab Aegypto oriundi. et quod Aegyptii negant, se aut Neptuni aut Dioscurorum nomina nosse: neque hi dii inter ceteros ab illis admissi fuerunt. Quod si nomen daemonis alicuius a Graecis mutuati essent, non minime

imo vel maxime istorum memoriam fuissent habituri: si quidem etiam tunc navigationes exercebant, et nonnulli Graecorum navicularii erant, ut credo, et mea fert opinio: ut Aegyptii istorum potius deorum nomina quam Herculis percepissent. Atqui vetustus quidam deus est apud Aegyptios Hercules, et, ut ipsi aiunt, septem et decem annorum millia sunt ad Amasin regem, ex quo duodecim dii ex octo diis exstiterunt, quorum Herculem unum arbitrantur.

44 Quibus ego de rebus certior fieri annitens, a quibus possem, in Tyrum Phoenices urbem navigavi, quod ibi templum Herculis sanctum esse audirem: quod et vidi opulenter exornatum cum aliis multis donariis, tum vero duobus cippis, altero ex auro excocto, altero ex lapide smaragdo, maiorem in modum splendente per noctem: veniensque in colloquium cum dei sacerdotibus, percontabar quantum temporis foret, ex quo id templum fuisset extructum: sed comperi ne hos quidem congruere cum Graecis, quippe dicentes cum urbe condita fuisse dei templum pariter extructum: esse autem, a Tyro ab ipsis habitata, annorum duo millia ac trecentos. Vidi praeterea Tyri etiam aliud Herculis templum cognomine Thasii. Quinetiam in Thasum profectus sum, ubi inveni templum Herculis a Phoenicibus conditum, qui ad investigandam Europam navigantes, Thasum condiderunt: quod vel quinque virorum aetatibus prius fuit, quam Hercules Amphitryonis in Graecia existeret. Haec quidem igitur investigata plane declarant Herculem vetustum deum esse; eoque mihi videntur hi rectissime facere e Graecis, qui duplicia Herculi templa aedificata obtinent; uni quidem, ut immortali, cognomen Olympio, immolantes: alteri vero, ut heroi, parentantes.

45. Alia quoque multa inconsiderate Graeci loquuntur, quorum et haec inepta fabula est, quam de Hercule ferunt: Eum, quum in Aegyptum pervenisset, ab Aegyptiis redimitum, tanquam Iovi immolandum, cum pompa fuisse eductum, ac illum tantisper se continuisse; sed quum illi ad arma eum consecrarent, ibi ad vim conversum, omnes illos interemisse. Quae quum dicunt Graeci, videntur mihi se et naturae Aegyptiorum et morum ignaros prorsus ostendere. Quippe quibus nullam pecudem fas est immolare, praeter sues, praeterque boves mares, et vitulos, dummodo mundos, et anseres; ii qua ratione immolarent homines? aut quomodo Hercules, quum unus esset, et adhuc, ut aiunt, homo, par esset ad multa millia virorum interimenda? Haec tamen

tot quae de his diximus, sint et a diis et ab heroibus in bonam partem accepta.

46. Porro capras et hircos ea de causa ii, quos diximus, Aegyptiorum non mactant, quod Pana inter octo deos Mendesii numerant, quos octo aiunt priores duodecim diis extitisse. Panos autem simulacrum et pingunt et sculpunt pictores et statuarii, quemadmodum Graeci, caprina facie, hircinisque cruribus: haudquaquam existimantes eum esse talem, sed similem ceteris diis. Qua tamen eum causa talem pingant, non est mihi relatu iucundum. Verum Mendesii omnes capros venerantur, et acrius mares quam feminas. Et caprarii praecipuo honore afficiuntur, et ex capris unus maxime: qui quum decessit, ingens toti Mendesiae praefecturae luctus ponitur. Vocatur autem et hircus et Pan Aegyptiace, Mendes. In hac regione contigit hoc mea memoria prodigium: hircus cum muliere coiit propalam, quod in ostentationem hominum pervenit.

47. Suem autem Aegyptii spurcam belluam esse arbitrantur, unde ut siquis istorum eam vel transeundo contigerit, cum ipsis vestimentis demersit se abiens ad flumen; et ideo soli omnium subulci, Aegyptii indigenae, nullum in Aegypto ingrediuntur templum: nemoque aut filiam illis nuptum dare vult, aut cuiuspiam eorum filiam ducere: sed ipsi inter se subulci dant accipiuntque filias. Aliis diis immolare sues ius Aegyptiis non est, praeterquam Lunae et Baccho: quibus quum per tempus plenilunii sues immolarunt, carne vescuntur. Cur autem aliis diebus festis sues oderint, at in isto mactent, de hac re ab Aegyptiis est quidem narratio relata: sed quam mihi notam decorum magis est non referre. Sacrificium autem de suibus Lunae hunc in modum fit. Immolata sue, extremam eius caudam, et lienem, et omentum simul componens, adipe omni, qui circa alvum pecudis existat, ea operuit, ac deinde igni adolet: reliquis carnibus plenilunii die vescuntur, quo die sacra fecerint; alio die non amplius gustarent. Qui sunt ex eis inopes, propter tenuitatem victus fictas ex farina sues postquam coxerunt, immolant.

48. Baccho quoque in festi convivali coena porcum pro foribus mactans quisque auferendum praebet ipsi subulco, qui illum vendiderat. Reliquum festum Baccho, Aegyptii celebrant exceptis choris, fere per omnia eadem Graecis. Sed loco phallorum sunt ab eis excogitatae aliae statuae circiter cubitales nervis mobiles, quas feminae circumferunt per pagos, veretro nutante, quod non mul-

to minus est caetero corpore; et tibia praeeunte, quam feminae Bacchum canentes, sequuntur. Cur autem veretrum habeat maius et solum in corpore agitet, de eo est sacra narratio, quam habent.

49. Iam igitur Melampus Amytheonis filius non imperitus huius sacri, sed gnarus fuisse mihi videtur. Siquidem Melampus fuit, qui Graecis Bacchi, et nomen et sacrificium, et pompam phalli interpretatus fuit, non tamen omnem plane rationem complexus aperuit. Verum ii qui post hunc exstiterunt sapientes, rem magis explicaverunt. Itaque phallum, qui in pompa Bacchi exhibetur, Melampus induxit: a quo edocti Graeci faciunt ea quae faciunt. Ego quidem igitur Melampodem virum fuisse sapientem aio, artemque divinandi sibi comparasse, eundemque ab Aegypto accepta cum alia multa Graecis enarrasse, tum vero illa de Baccho pauca in illis mutantem. Neque enim dixerim, quae in Aegypto fiunt huic deo, casu congruere cum iis, quae in Graecia; nam simili modo ea fuissent Graecis, non autem recens inducta. Neque tamen dicam Aegyptios a Graecis fuisse mutuatos aut hoc aut aliud quippiam ad ritus pertinens. Videtur autem mihi Melampus, quae ad Bacchum pertinent, audisse ex Cadmo Tyrio et illis, qui cum eo e Phoenice venerunt in terram nunc Boeotiam appellatam.

50. Ac omnia fere deorum nomina ex Aegypto in Graeciam venerunt. Nam ex barbaris venisse sciscitatus ita esse comperio. Reor igitur ex Aegypto praecipue venisse. Nam praeter Neptuni, et Castorum, quemadmodum a me superius dictum est, et Iunonis, et Vestae, et Themidis, et Gratiarum, et Nereidum, nomina aliorum deorum fuerunt perpetuo Aegyptiis in regione. Dico autem quae ipsi dicunt Aegyptii. Quorum vero deorum negant se noscere nomina, isti videntur mihi a Pelasgis fuisse nominati, praeter Neptunum; hunc quippe Deum ab Afris audierunt. Etenim Neptuni ab initio nulli obtinuerunt nomen, nisi Afri, qui semper hunc deum in honore habent. Sed heroas Aegyptii nullo cultu prosequuntur.

51. Hos itaque ritus et alios praeterea, quos ego referam, Graeci sunt ab Aegyptiis mutuati. Sed ut Mercurii statuas facerent rectis cum veretris, non ab Aegyptiis, sed a Pelasgis didicerunt, primi quidem ex omnibus Graecis Athenienses nacti, et ab his alii. Nam Atheniensibus iam ea tempestate inter Graecos descriptis, contiguas domos in ea regione Pelasgi habuerunt,

unde etiam pro Graecis inceperunt existimari. Hoc quod dico, quisquis Cabirorum sacra initiatus est, quae Samothraces peragunt a Pelasgis accepta, novit. Nam Samothraciam prius incolebant hi Pelasgi, qui cum Atheniensibus habitaverunt, et ab illis orgia Samothraces accipiunt. Itaque primi e Graecis Athenienses a Pelasgis edocti, statuas Mercurii ut erecta pudenda haberent fecerunt. De qua re Pelasgi sacrum quendam sermonem retulerunt, qui in Samothraciae mysteriis declaratus est.

52. Isti Pelasgi antea diis vota facientes omnia immolabant, quemadmodum ego apud Dodonam audiendo cognovi; nulli autem eorum cognomen neque nomen imponebant, quippe non audierant uspiam. Deos autem cognominaverunt eos ob id, quod cum ornatu posuerint omnes res atque omnes distributiones. Multo deinde progressu temporis quum aliorum deorum nomina receperunt ex Aegypto digressa, post multo nomen Bacchi intellexerunt. Itemque aliquanto post de nominibus in Dodona oraculum petiverunt. Namque hoc oraculum ex eis, quae apud Graecos sunt, oraculorum vetustissimum esse existimatur, atque adeo solum erat ea tempestate. Consulentibus igitur Pelasgis apud Dodonam, numquid nomina, quae a barbaris advenirent, adsciscerent, oraculum redditum est, ut illis uterentur. Atque ita ex eo tempore sacrificaverunt, deorum nomina nuncupantes, et ea deinceps ab Pelasgis Graeci exceperunt.

53. Unde autem unusquisque deorum extiterit, an vero cuncti semper fuerint, aut qua specie, ignorarunt usque prius et heri, ut sic dicam. Nam Hesiodus atque Homerus, quos quadringentis, et non amplius, annis ante me opinor exstitisse, illi fuere qui Graecis theogoniam fecerunt, deisque et cognomina dederunt honoresque et artificia separaverunt, et figuras eorum designaverunt. Quibus viris qui poëtae feruntur exstitisse priores, posteriores, ut ego opinor, illis fuerunt. Et prima quidem illa Dodonides sacerdotes memorant; posteriora autem ad Hesiodum et Homerum spectantia, ego refero.

54. At de oraculis sive illo, quod habent Graeci, sive illo, quod in Africa est, talia Aegyptii commemorant. Narrabant sacerdotes Iovis Thebaeensis, duas feminas, quae essent sacerdotes, Thebis a Phoenicibus fuisse abductas: et se audisse harum unam in Africam fuisse venundatam, alteram in Graecos: atque has feminas esse, quae primae apud dictas gentes oracula constituissent. Percontantique mihi unde id commemorarent,

tanquam sic plane compertum habentes, ad haec responderunt, maiorem in modum se institisse vestigare de his mulieribus, nec tamen unquam invenire potuisse, sed postea haec quae dicebant de eis audisse.

55. Haec quidem igitur Thebis e sacerdotibus audivi. Antistites autem Dodonaeorum haec aiunt: Geminas Thebis Aegyptiis columbas evolantes, utramque nigram, unam quidem in Africam venisse, alteram ad ipsos: quae fago insidens humana voce eloquuta sit, fatum esse, ut eo loci Iovis oraculum condatur: et ipsos interpretatos esse, quod ipsis annunciaretur id fieri divinitus, et inde se ita fecisse: eam vero quae ad Afros abisset columbam, dicunt iussisse illos Ammonis oraculum condere; quod et ipsum Iovis est. Ita referebant Dodonaeorum sacerdotes, quarum vetustissimae nomen erat Promeneae: proximae, Timaretae: minimae natu, Nicandrae; et his consentiebant reliqui Dodonaei, qui circa templum in usu erant.

56. De quibus ita mea fert opinio. Si re vera Phoenices eduxerunt feminas sacras, et earum alteram, ut in Africam, alteram, ut in Graeciam exportarentur, vendiderunt: videtur mihi ista ipsa femina venundata esse in Thesprotos nunc dictae Graeciae, antea vero Pelasgiae vocatae; deinde ancillans ibidem, condidisse sub fago ibi nata fanum Iovis; ut erat probabile, solitam Thebis tueri Iovis templum, quo processit, memoriam illic eius habere: atque hinc oraculum ab ea fuit institutum; et post linguam Graecam apprehensam, dixisse, sororem suam in Africa ab eisdem Phoenicibus, ut ipsa fuisset, venundatam.

57. Quod autem mulieres a Dodonaeis columbae vocatae sunt, ob id mihi videtur factum, quia barbarae essent; simile quid avibus sonare ipsis videbantur. Interiecto deinde tempore columbam humana voce loquutam aiunt, postquam quae ipsi intelligerent, mulier loquebatur; tamdiu volucris modo sonare visa, quamdiu barbare loquebatur; nam columba quomodo humanam vocem sonaret? nigram autem columbam esse dicentes, Aegyptiam feminam significant.

58. Suntque similia inter se oracula, et illud apud Thebas Aegyptias, et hoc apud Dodonam; estque divinandi in templis ratio ex Aegypto oriunda. Ipsi certe Aegyptii exstiterunt principes conventuum sacrorum et pomparum et adductionum, et ab eis Graeci didicerunt. Cuius rei hoc apud me argumentum est, quod illa con-

etiam ab multo quodam tempore factitata, Graecanica vero recenter facta sunt.

59. Nec vero semel quotannis conventum publicum celebrant Aegyptii, sed frequentes illos, praecipue quidem ac studiosissime ad urbem Bubastin, in honorem Dianae: secundo loco ad urbem Busirin in honorem Isidis. In hac enim urbe maximum est templum Isidis, ipsa autem urbs in medio Delta Aegypti sita. Est autem Isis, quae Graeca lingua dicitur Δημήτηρ, Ceres. Tertio celebrant conventus publicos ad urbem Sain, in honorem Minervae; quarto ad Heliopolin, in honorem Solis; quinto ad urbem Buton, in honorem Latonae; sexto ad urbem Papremin, in honorem Martis.

60. Ceterum quum se conferunt in urbem Bubastin, haec faciunt; navigant viri pariter et mulieres, magnaque est in unaquaque navi utrorumque multitudo. Inter navigandum assidue mulieres aliquot, crepitacula tenentes strepunt, viri tibiis canunt: ceteri ceteraeque modulantur, manusque complodunt. Atque ut ad quamque aliam urbem perveniunt navigando, talia agunt. Appulsa ad terram navi, mulierum aliae ea quae dixi faciunt, aliae compellantes eius urbis feminas, ingerunt probra, aliae saltant, aliae erectae attrahunt vestem. Talia in singulis civitatibus ad flumen positis agunt. Quum ad urbem Bubastin perventum est, festum celebrant magnis hostiis offerendis; quo in festo plus vini ex vite absumitur quam in reliquo universi anni tempore. Commeant illuc, ut indigenae aiunt, virorum ac mulierum, praeter pueros, etiam ad septingenta millia.

61. Atque haec quidem illic fiunt. At in urbe Busiri quomodo festum Isidi agant, superius a me dictum est. Plangunt enim post sacrificium cuncti et cunctae, multa sane hominum decem millia: quem autem propter verberent se, non est mihi fas dicere. Sed quotquot Cares Aegyptum incolunt, hi vero tanto plus in talibus faciendis excellunt, ut gladiis quoque frontes concidant. Ex quo facto datur intelligi eos hospites esse, non Aegyptios.

62. Ubi vero in Sain urbem sacrificatum noctu convenerunt, sub dio circum domos universi frequentes lucernas accendunt, vascula scilicet sale et oleo plena; in superficie adest ipsum ellychnium, quod tota ardet nocte. Cui festo nomen impositum est, Accensio lucernarum. Ad hunc conventum quicunque Aegyptiorum non ierint, observantes sacrificii noctem, et ipsi universi lucernas accendunt; atque ita accenduntur lucer-

nae non in Sai modo, sed etiam per universam Aegyptum. Qua vero gratia nox haec lumies et honorem sortita sit, de eo sacer sermo commemoratur.

63. Ad Heliopolin et ad Butum qui veniunt, tantum sacrificant. In Papremi vero, quemadmodum alibi, et sacrificia et res divinas peragunt. Sed quando sol fit declivis, pauci sacerdotes circa simulacrum operati sunt: plures eorum tenentes ligneas clavas stant in ingressu templi; alii plus mille virorum, qui vota exequuntur: cum singulis fustibus frequentes alia ex parte consistunt. Porro simulacrum in parvo ligneo sacello deaurato exportant pridie in aliud sacrum habitaculum, paucis illis, qui ministerio simulacri relicti sunt, trahentibus plaustrum quatuor rotarum, quo vehitur sacellum cum simulacro quod intus est. Hos ingredi prohibent ii qui in antefòribus stant. At ii qui vota exequuntur, opitulantes deo, percutiunt hos, sese ipsi defensantes. Hic vehemens existit fustuaria pugna mutuo capita contundentium: multique ex vulneribus, ut ego opinor, pereunt, etsi Aegyptii quemquam mori negant.

64. Aiunt autem indigenae conventum hunc inde institutum: templum id incolere matrem Martis, et Martem alibi educatum, venisse virili aetate, eo proposito, ut cum matre sermones misceret: quem maternos ministros, ut qui eum antea non viderant, non per negligentiam sinere ingredi, sed abigere; hunc ex alia civitate adductis hominibus, illos famulos aspere mulcare, et ad matrem fuisse ingressum. Et ab ea re hanc verberationem aiunt solennem fuisse Marti die festo, et institutum, ne in templo cum feminis coiretur, neve illoti a Venere templa adirent. Hi sunt qui primi ceremoniis vacaverunt; nam ceteri fere omnes mortales, praeter Aegyptios ac Graecos, coëunt in templis: et ab uxoribus surgentes, illoti introëunt templum, putantes hominem esse ut ceteras animantes. Etenim videre et pecudes alias et volucrum turbas coëuntes in deorum templis atque in fanis; quod si non esset deo gratum, ne pecudes quidem id esse facturas. Et hi quidem talia praetexentes faciunt, quae mihi non probantur.

65. Aegyptii porro cum in aliis ad sacra pertinentibus, tum vero in his superstitiose agunt. Aegyptus, quum sit Africae finitima, non tamen admodum bestiis abundat: quae vero illic sunt, eae omnes pro sacris habentur, partim alumnae ipsorum hominum, partim non. Quae autem causa pro sacris habentur, si dixero, ad res divinas oratio mea descendet, quas ego in primis enarrare

devito: quarumque quicquid dixi delibando, id necessitate coactus dixi. Consuetudo, quae de bestiis est, ita habet. Eas seorsum singulas educandi curam et viri et feminae Aegyptiorum susceperunt; in quo honore filius patri succedit. His bestiis singuli, qui in urbibus sunt, vota persolvunt, hunc in modum: supplicantes illi deo, cuius illa bestia est, derasis liberorum capitibus aut in totum, aut ex media, aut ex tertia parte, appendunt crines in lance ad argentum; quod traxerit, id tradunt curatrici bestiarum. Illa pro hoc concisos pisces praebet bestiis escam; talis enim cibus illis praebetur. Quarum si quam quis necaverit, si volens, morte mulctatur: si invitus, plectitur ea mulcta, quam sacerdotes statuerint. Quisquis tamen ibin aut accipitrem necaverit, sive volens sive invitus, necessario morte afficitur.

66 Quum autem multae bestiae una cum hominibus victitent, multo tamen plures essent, nisi hoc accideret felibus. Feles postquam sunt enixae, non amplius adeunt masculos: eas isti coëundi gratia indagantes, tamen potiri nequeunt: ergo contra id talia comminiscuntur. Raptos et subductos earum fetus occidunt, non tamen occisos edunt. Illae fetibus orbatae, cupiditate aliorum, ita demum ad mares se conferunt, amantissima enim fetuum bestia est. Felem incendio orto divina res occupat; nam Aegyptii, per intervalla dispositi ignem extinguere negligentes custodias felium agunt. At illae aut intercurrendo, aut transiliendo ipsos homines, in ignem insiliunt. Hoc dum contingit, ingenti luctu afficiuntur Aegyptii. Quibuscumque autem in domibus felis sine manu hominum oppetit mortem, earum habitatores cuncti sola supercilia radunt: totum autem corpus et caput in quorum domibus moritur canis.

67. Abducuntur autem feles mortuae ad sacra tecta, ubi salitae sepeliuntur in urbe Bubasti. Canes feminas in sua quisque urbe tumulant, sacratis in loculis. Eodem modo quo canes feminae, ichneutae (vestigatores) sepeliuntur. Mygalas, et accipitres in urbem Butum asportant, ibides vero Hermopolin; ursas autem, quae rarae sunt, et lupos non multo vulpibus grandiores, eo loco sepeliunt ubi iacentes inveniuntur.

68. At crocodilis inest talis natura. Quatuor mensibus maxime hybernis nihil omnino edit: et, quum sit quadrupes, tamen terrestre et paludosum est. Nam ova parit in terra, excluditque: et plerumque diei in sicco agit, sed totam noctem in flumine, quippe calidiore tum aqua subdivo sereno et rore. Ex omnibus quae nor-

vimus animalibus, hoc maximum existit ex minimo; siquidem ova quod attinet, gignit haud multo maiora anserum, et proportione ovi fetus excluditur: at crescens, ad septendecim et amplius cubitos pervenit; oculos habet suillos, dentes magnos proportione corporis, et prominentes, cui ex omnibus bestiis soli lingua innata non est. Idem inferiorem maxillam non movet, sed etiam solum ex animalibus superiorem inferiori admovet. Ungues quoque robustos habet, pellemque squamatam circa tergum infractam. Inter aquas caecus, sub dio perspicacissimus. Itaque quod in aqua vitam degat, os fert introrsum hirundinibus refertum. Quumque eum ceterae volucres ac bestiae fugiant, solus trochilus pacem cum eo agit, utpote a quo percipiat utilitatem. Etenim posteaquam crocodilus ex aqua in terram egressus est, ac deinde hiavit (semper enim fere hoc ad zephyrum facere solet) tunc in eius os trochilus penetrans, deglutit illas sanguisugas. Qua utilitate delectatus, nihil omnino trochilum laedit.

69. Quibusdam sane Aegyptiorum crocodili sacri sunt, quibusdam non sunt, sed veluti hostes exagitant. Sacros admodum esse eos, existimant qui circa Thebas et Moerios stagnum incolunt; quorum utrique unum ex omnibus crocodilis alunt edoctum manu tractari, appendentes eius auribus inaures, nempe lapillos fusiles aureosque, et primores pedes catenulis aut annulis cingentes; cibaria quoque statuta ac sacrificia praebentes, et curantes ut quam pulcherrime vivant; at ubi mortem obierunt, condientes sacris in loculis sepeliunt. At qui circa Elephantinam urbem incolunt, quod sacros esse non censeant, etiam comedunt. Neque vero crocodili vocantur sed champsae: verum Iones appellavere crocodilos, illi generi crocodilorum, quod apud eos in sepibus gignitur, ipsorum formam comparantes.

70. Hos capiendi quum sint multa et omnimoda genera, hoc, quod maxime mihi dignum relatu videtur, scribo. Ubi tergum suillum ad illecebras hamo circumdederit, committit in medium flumen, ipse in labro fluminis porcellum, quem vivum tenet, verberat; cuius vocem crocodilus audiens, versus illam tendit, nactusque tergum devorat; illi vero trahunt. Et posteaquam in terram attractus est, ante omnia eius oculos venator coeno opplet. Hoc acto, cetera facile sane comprehenditur; sin, cum labore.

71. Fluviatiles vero equi in plaga Papremitana sacri, in cetera Aegypto; haud sacri sunt, talem speciem natu-

ramque habentes. Quadrupes est, bifidis pedibus, ungulis bovinis, simo naso, equina iuba, exertos dentes ostentans, equina cauda et voce, magnitudine maximi tauri, tam crasso corio, ut ex eo arefacto fiant iacula rasa.

72. Gignuntur praeterea in fluvio lutrae, quos sacratos esse arbitrantur. Arbitrantur etiam sacrum esse ex omnibus piscibus, qui vocatur squamosus, atque etiam anguillam. Hos pisces aiunt sacros Nili esse; ex volucribus vero vulpanseres.

73. Est et alia volucris sacra, nomine phoenix, quam equidem non vidi nisi in pictura; etenim perrara ad eos commeat, quingentis, ut aiunt Heliopolitani, annis, et tunc demum quum pater ei decessit. Is, si picturae assimilis est, talis tantusque est. Pennae coloris partim aurei, partim rubri, maxima ex parte cum habitu tum magnitudine simillimus aquilae. Eum aiunt, quod mihi non fit verisimile, hoc excogitare; ex Arabia proficiscentem in templum Solis gestare patrem, quem myrrha obvolvit, et in Solis templo humare; sic autem gestare: primum myrrhae ovum fingere quantum ipse ferre possit: deinde ferendo illud experiri: hoc satis expertum, ita demum ovum excavare, atque in illud parentem ponere: et qua parte ovi exinaniti patrem intulit, eam partem alia myrrha farcire; et quum tantundem ponderis imposito parente effectum sit, obstructo rursus foramine, baiulare illud versus Aegyptum in templum Solis. Haec facere hanc avem commemorant.

74. At circa Thebas sunt sacri serpentes, nihil omninos hominibus noxii, pusillo corpore, binis praediti cornibus, e summo capite enatis: quos defunctos in Iovis aede sepeliunt; huic enim deo sacros illos esse praedicant.

75. Est autem Arabiae locus, ad Butun urbem fere positus: ad quem locum ego me contuli inquirens de serpentibus volucribus. Eo quum perveni, ossa serpentum aspexi et spinas, multitudine supra modum ad enarrandum; spinarum quippe acervi erant etiam magni, et his alii atque alii minores, ingenti numero. Est autem hic locus, ubi spinae effusae iacebant, huiuscemodi: ex arctis montibus introitus in vastam planitiem Aegyptiae contiguam. Fertur ex Arabia serpentes alatos ineunte statim vere in Aegyptum volare, sed eis ad ingressum illius planitiei occurrentes aves ibides, non permittere, sed ipsos interimere; et ob id opus ibin magno in honore ab Aegyptiis haberi Arabes aiunt, confiten-

tibus et ipsis Aegyptiis, idcirco se his avibus honorem exhibere.

76. Eius avis species talis est. Nigra tota vehementer est, cruribus instar gruis, rostro maximum in modum adunco, eadem qua crex magnitudine. Et haec quidem species est nigrarum, quae cum serpentibus pugnant. At earum, quae ante pedes hominibus versantur magis, (nam duplices ibides sunt) nudum caput ac totum collum, pennae candidae, praeter caput cervicemque, et extrema alarum et natium; haec omnia quae dixi sunt vehementer nigra; crura vero et rostrum alteri consentanea. Serpentis porro figura qualis hydrarum; alas non pennatas gerit, sed alis vespertilionis valde similes. Hactenus de sacris bestiis dictum sit.

77. Ipsorum autem Aegyptiorum ii, qui circa partem Aegypti seminari solitam habitant, memoriam omnium hominum maxime exercentes, sunt fere eorum, in quorum ego veni experientiam, excellentissimi. Tali autem vitae genere utuntur. Singulis mensibus triduo continenti purgant se, vomitibus atque clysteribus venantes sanitatem, existimantes omnes languores hominibus oriri ex cibis quibus aluntur. Nam sunt alioqui Aegyptii omnium hominum, secundum Afros, maxime salubri corpore, tempestatum anni, ut mihi videtur, beneficio, quae non immutantur: ex illis enim mutationibus tum aliarum rerum, tum praesertim tempestatum anni, praecipue exsistunt in hominibus morbi. Panibus vescuntur quos ex farre conficiunt, eosque cyllestes nominant. Vino utuntur facto ex hordeo; neque enim illis sunt in regione vites. Victitant quoque tum piscibus partim crudis ad solem arefactis, partim salsugine conditis; tum avibus crudis, prius tamen sale conditis, coturnicibus anatibusque et parvis avibus; ceteris autem vel volucribus vel piscibus, praeter illos, qui ab eis sunt recepti pro sacris, partim assis, partim elixis vescuntur.

78. Apud locupletes eorum in conviviis, quum a coena discessum sit, circumfert aliquis in loculo mortuum e ligno factum, sed pictura et opere maxime imitantem; longitudine cubitali omnino, aut bicubitali; ostendensque singulis convivarum, ait; in hunc intuens pota et oblectare; talis enim post mortem es futurus. Haec illi inter convivia faciunt.

79. Contenti vero hymnis patriis, nullum alium iis asciscunt. Et alia quaedam laudabilia sunt instituta, tum vero etiam cantilena usurpatur Linus, quae et in Phoe-

nice decantata est et in Cypro, et alibi; quae tamen nomen pro differentia gentium habet. Eadem tamen congruit cum ea, quam Graeci cantant, appellantes Linum; ut ego admirer cum alia multa, quae sunt in Aegypto, tum vero, unde id nomen Linum acceperint, quem semper quodammodo decantare cognoscuntur. Vocatur autem Linus Aegyptiace Maneros: quem Aegyptii tradiderunt, quum filius unicus exstitisset primi Aegyptii regis, praematuraque morte decessisset, his lamentis ab Aegyptiis fuisse decoratum; et cantilenam hanc primam eamque solam ipsos habuisse.

80. Congruunt praeterea in hoc cum solis Graecorum Lacedaemoniis Aegyptii, quod minores maioribus natu obvii cedunt via, ac deflectunt, advenientibusque e sedili assurgunt. Attamen in hac re cum nullis aliis Graecorum conveniunt. In viis pro salutatione mutua adorant, genu tenus demissa manu.

81. Vestibus amiciuntur lineis, circa crura fimbriatis, quas calasires appellant, super quas candida ferunt amicula lanea superiniecta. Laneae tamen vestes neque in aedes sacras inferuntur, neque una cum cadavere sepeliuntur: profanum enim est. Consentanea vero haec sunt iis, quae Orphica appellantur et Pythagorea. Nam harum quoque ceremoniarum participem laneis in vestibus humari religiosum est; de quibus sacra redditur narratio.

82 Alia insuper sunt ab Aegyptiis excogitata, quis mensis diesve cuius deorum sit, et quo quis die genitus qualia sortietur, et quam mortem obibit, et qualis existet. Quibus rebus Graeci qui in poësi versati sunt, usi fuerunt. Plura quinetiam ab eis prodigia reperta sunt, quam a ceteris omnibus hominibus; nam quum prodigium exstitit, scribunt id, observantes quomodo eveniat: et, si quando postmodum huius simile exstiterit, exemplo prioris putant eventurum.

83. Divinatio apud eos ita est constituta, ut eius artificium nulli mortalium vendicetur, sed certis diis. Siquidem Herculis illic oraculum est, et Apollinis, et Minervae, Dianaeque ac Martis, et Iovis, et quod praecipuo honore colunt ex omnibus oraculis, Latonae est in urbe Buto. Verum haec vaticinia non eodem modo sunt omnia instituta, sed differenter.

84. Iam vero medicina apud eos hunc in modum est distributa, ut singulorum morborum sint medici, non plurium; itaque omnia referta sunt medicis. Alii enim

sunt oculorum, alii capitis, alii dentium, alvi alii, alii morborum occultorum.

85. Luctus eorundem ac sepulturae tales sunt. Quibuscunque aliquis ex domesticis decessit, cuius aliquod momentum sit, ibi omnes feminae illius familiae caput sibi aut etiam vultum oblinunt luto; deinde relicto domi cadavere, ipsae per urbem vagantes lamentantur succinctae et ostendentes mammas, et cum eis propinquae omnes. Altera ex parte viri, et ipsi succincti se verberant. His actis, ita demum ad condiendum portant.

86. Sunt autem certi ad hoc ipsum constituti, qui hoc artificium factitant: qui, quum ad ipsos cadaver portatum sit, ostendunt iis, qui portaverunt, exemplaria cadaverum lignea, pictura assimilata. Et earum unam accuratissimam esse eius aiunt, cuius nomen nuncupare fas non puto in hac materia: alteram illa inferiorem ostendunt ac vilioris pretii: tertiam, vilissimi. Quibus expositis sciscitantur ab iis, ad quam picturam velint effingi ipsis mortuum. Isti ubi de pretio convenerunt, illinc abeunt. At hi relicti in aedibus, hunc in modum diligentissime condiunt. Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, partim quidem ita educentes, partim medicamenta infundentes. Dehinc acuto lapide Aethiopico circa ilia conscindunt, atque illac omnem alvum protrahunt: quam ubi expurgarunt, ac vino palmeo perluerunt, rursus odoribus tritis proluunt: tum alvum complentes trita myrrha pura, et casia, et aliis, excepto thure, odoribus, postea consuunt. Ubi haec fecere, saliunt nitro abditum septuaginta dies; nam diutius salire non licet. Exactis septuaginta diebus cadaver ubi abluerunt, sindonis byssinae fasciis incisis universum eius corpus involvunt, gummi sublinentes, quo Aegyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneum hominis effigie typum faciunt, in qua mox inserunt mortuum, inclusumque ita, reponunt in conclavi loculis talibus dicato, statuentes rectum ad parietem. Sic quidem sumptuosissimo modo curant cadavera.

87. Eos autem qui mediocria volunt, nimium fugientes sumptum, ita apparant: post clysteres unguine quod e cedro gignitur completos, mox eodem alvum mortui implerunt, ipsum neque scindentes neque intranea extrahentes, sed per secessum infercientes et impedientes lavationem eadem via relabi, propositis diebus condiunt; quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod prius

ingesserant, ex alvo egerunt: quod tantam habet vim, ut una secum alvum atque intestina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis et ossa relinquuntur. Ubi ista fecere, sic reddidere mortuum, nihil amplius negotii suscipientes.

88. Tertia conditura haec est, qua adornantur mortui, qui tenuiori sunt fortuna. Ablutione ubi ventrem percolaverunt, condiunt septuaginta per dies, deinde sic tradunt reportandum.

89. Uxores tamen insignium virorum, non statim vita defunctas tradunt condiendas, nec quotquot formosae valde et maioris pretii feminae fuerunt, sed triduo atque quatriduo post mortem tradunt his unctoribus; ea de causa facientes ita, ne cum feminis isti coëant. Deprehensum enim quendam aiunt coëuntem cum recenti cadavere muliebri, delatumque ab eiusdem artificii socio.

90. Quisquis autem vel ipsorum Aegyptiorum vel externorum deprehendatur, sive a crocodilo raptus, sive ab ipso flumine mortuus, necessarium prorsus est ei civitati, ad quam eiectus est, condire, et quam honestissime comparantes sepelire in sacris loculis; quem ne contingere quidem fas est alteri aut propinquorum aut amicorum, sed eum ipsi Nili sacerdotes, utpote maius quiddam quam hominis cadaver, manibus tractantes sepeliunt.

91. Graecanicis institutis uti recusant, et, ut semel dicam, nullorum hominum aliorum institutis uti volunt. Et hoc quidem ceteri Aegyptii observant. Est autem Chemmis oppidum grande Thebaicae regionis, prope Neapolin: quo in oppido est templum Persei, Danae filii, quadratum ac palmeto circumdatum; ante fores huius templi sunt e saxis, valde magnae; in his stant duae grandes e lapide statuae. In hoc ambitu est templum, et in eo simulacrum Persei: quem Chemmitae memorant sibi apparere frequenter intra templum; eiusque sandalium, quod gestabat, inveniri, bicubitali magnitudine: quod postquam apparuerit, exuberare omnem Aegyptum. Haec quidem aiunt. Celebrant autem Perseo Graecanica haec; gymnicos ludos faciunt per omne certandi genus, propositis praemiis tum pecorum, tum palliorum, tum pellium. Percontanti autem mihi, cur eis solis consuevisset apparere Perseus, et cur ab Aegyptiis aliis discreparent edendo gymnico certamine, aiebant, Perseum ex ipsorum civitate esse oriundum: Danaum enim et Lynceum, qui essent Chemmitae, enavigasse in Graeciam; a quibus originem posteritatis recensentes deveniebant ad Perseum. Hunc in Aegyptum profectum eam ob causam, quam et

Graeci dicunt, laturum ex Africa caput Gorgonis, aiebant venisse quoque ad ipsos, ac cognatos omnes agnovisse; venisse vero edoctum, Chemmis ex matre audito nomine, in Aegyptum; et se ei, quod iussisset, gymnicum certamen celebrare.

92. Haec omnia Aegyptii qui supra paludes incolunt pro institutis habent. Qui vero in paludibus, utuntur iisdem quidem, quibus ceteri Aegyptii, legibus, et tum alia, tum quod unusquisque ducit unam uxorem, quemadmodum Graeci: ceterum ad victus facilitatem alia haec sunt eis excogitata. Siquidem quum fluvius est plenissimus et campi sunt instar aequoris, in ipsa aqua oritur ingens vis liliorum, quae loton Aegyptii vocant. Ea ubi demessuerunt, ad solem exsiccant: deinde quod medium loti est, papaveri assimile, postquam pinserunt, ex eo faciunt panes assos igne. Est autem huius loti radix quoque esculenta, etiam temperate edulcat, orbiculatum, mali magnitudine. Sunt et alia lilia rosis similia, et ipsa in flumine nascentia: quorum fructus in alio folliculo adnascente ex radice, simillimus specie est favo vesparum. In eo bellaria instar nuclei olivae innascuntur densa, quae et tenera comeduntur et arefacta. Iam vero byblum annuam ubi e paludibus extraxerunt, superiorem eius partem amputantes in aliud quiddam convertunt; quod relictum est inferius, longitudine cubitali, id edunt, ac venundant: et siqui admodum utili byblo uti cupiunt, in lucülento furno torrefactam ita comedunt. Sunt praeterea ex eis, qui solis piscibus victitant; quos ubi ceperunt, exenteratos ad solem siccant, siccatisque deinde vescuntur.

93. In fluminibus non fere gignuntur pisces gregales; sed qui nutriuntur in stagnis, haec faciunt. Simulac incessit eis libido gignendi, gregatim in mare enatant, ducibus masculis genituram spargentibus, quam feminae consectantes absorbent, et ex ea concipiunt. Eaedem ubi repletae in mari sunt, remeant singuli rursus ad loca sibi consueta, non amplius iisdem anteeuntibus, sed feminarum est ducatus. Gregatim autem praeeuntes, faciunt quemadmodum fecerant mares, ova fundentes instar milii parva, quae mares sequentes deglutiunt. Sunt autem ea milii grana, pisces: quum ex granis, quae manent integra, nec absorbentur, sed ubi sunt nutrita, pisces fiunt. Ex his piscibus qui capiuntur, dum in mare exeunt, capitum sinistram partem attriti apparent: qui autem retro remeantes, dextram habent attritam; idque ea de causa patiuntur, quod in mare tendunt, a sinistra terram legentes; et rursus revertentes, eandem oram stringunt, in-

curantes tangentesque validissime, ne itinere aberrent propter aquae decursum. Nilo incipiente augescere, in primis cava terrae et lacunae fluvio proximae impleri incipiunt, percolante aqua ex flumine, et tum haec statim plena fiunt, tum continuo cuncta pisciculis minutis opplentur. Unde autem verisimile fit eos gigni, hoc mihi videor intelligere: superiore anno postquam Nilus abscessit, pisces, qui ova in caeno pepererant, una cum postrema abeunt aqua: circumacto rursus tempore, ubi aqua restagnavit, protinus ex his ovis gignuntur pisces. Et circa pisces quidem ita se res habet.

94. Porro Aegyptii qui palustria accolunt, unguento utuntur ex fructu sillicypriorum, quod appellant Aegypti kiki, hunc in modum conficientes. Sillicypria haec, quae apud Graecos ultro agrestia nascuntur, ad labra fluminum stagnorumque Aegyptii serunt, eaque in Aegypto multum quidem fructum ferunt, sed graveolentem. Hunc ubi collegerunt, alii tusum exprimunt, alii frictum coquunt, et quod ex eo defluit excipiunt, pingue quiddam, et non minus ad lucernam idoneum quam oleum, sed graveolentiam exhibens.

95. Sunt autem adversus culices, quorum magna vis est, haec ab eis excogitata. Illos quidem qui supra paludes incolunt, iuvant turres, quas dormituri ascendunt; nam culices ventus prohibet in alto volare. At qui circa paludes habitant, alia turrium vice sunt machinati, haec videlicet: singuli suum habent rete, quo per diem pisces capiunt, eodem noctu utuntur ad cubile, in quo requiescunt. Circundant illud reti: deinde ingressi sub illo somnum capiunt: qui si in veste involuti aut in sindone dormirent, eos per ista culices morderent: per retia vero omnino nec conantur.

96. Naves eorum vectoriae sunt factae e spina, cuius figura simillima est loto Cyrenaeo et cuius lacryma gummi est. Ex hac igitur spina ligna caedentes fere bicubitalia, more laterum componunt, hoc modo navem fabricantes: ligna haec bicubitalia circum densos ac longos stipites circumnectunt; ubi hunc in modum compegerunt, desuper transtra in illis tendunt. Costis nequaquam utuntur, sed introrsum compages byblo inferciunt. Gubernaculum unum faciunt, et hoc per carinam traiicitur. Malo etiam spineo, et velis ex byblo utuntur. Haec navigia quidem flumen subire non possunt, nisi luculentus ingruat ventus, verum e terra prope trahuntur; cum decursu autem hoc pacto feruntur. Est crates ex myrica facta, vimine arundinum con-

nuta, et lapis perforatus duorum fere talentorum pondo; ex his cratem fune ligatam, in anteriore parte navis sinit inferri; lapidem vero alio fune ab tergo. Ita crates impetu aquae incidente, celeriter meat et trahit barim: hoc enim his navigiis est nomen: Lapis autem dum a tergo trahitur, fundo admotus dirigit cursum. Horum navigiorum ingens apud illos est copia, quorum quaedam vehunt multa millia talentorum pondo.

97. Quum regionem supergressus est Nilus, solae urbes apparent exstantes, insulis Aegaei maris fere assimiles. Nam cetera Aegypti pelagus sunt: ipsaeque urbes solae exstant. Nec iam, quum hoc contingit, per alveos fluminis, sed per medium campi transmittuntur. Ex Naucrati quidem si ascendas Memphin versus, iuxta pyramides ipsas fit navigatio: sed etiam haec tunc nulla est; verum iuxta acumen Delta et urbem Cercasorum. A mari autem et Canobo Naucratin versus per campum navigans ad Anthyllam urbem venies, et illam, quae vocatur Archandri.

98. Harum urbium Anthylla, quae est insignis, datur peculiaris in calceamenta uxori semper eius, qui in Aegypto regnat; quod factum est, ex quo Aegyptus fuit ditionis Persarum. Altera videtur mihi nomen habere ab Archandro Danai genero, Phthii filio, Achaei nepote. Archandri enim urbs nominatur. Sit forsitan et alius quis Archander; nequaquam tamen Aegyptium nomen est.

99. Hactenus quae vidi, quae novi, quae interrogando percepi dicta sunt: hinc pergam disserere sermones Aegyptios, quos audivi, addens et aliquid quod ipse viderim. Menem, qui primus apud Aegyptum regnavit, aiebant sacerdotes pontibus separavisse quoque Memphin; nam fluvium totum praeterlabi montem sabulosum Africam versus: hunc ergo regem supra Memphin centum circiter inde stadia anfractum fluminis meridiem versus aggesta humo arefecisse quidem pristinum alveum; sed flumen facto alveo duxisse, ut per medium montium flueret. Adeo nunc quoque sub Persis iste anfractus Nili, qui coërcitus fluit, magnis praesidiis custoditur, quotannis obseptus. Quod si refringens flumen velit ea parte redundare, omnis Memphis adibit periculum ne aquis operiatur. Ab hoc Mene, qui primus exstitit rex, quum id, unde abactus erat fluvius, facta esset continens, partim eidem urbem hanc condidisse, quae nunc Memphis appellatur; est enim quoque Memphis in angustiis Aegypti sita; et extra eam

aquilonem versus et vesperum ex flumine circumfodisse stagnum; nam ab aurora ipse Nilus abigit; partim in ea urbe exstruxisse templum Vulcani magnum et memoratu dignissimum.

100. Post hunc recensebant e libro sacerdotes nominatim alios trecentos ac triginta reges. In quibus tot aetatibus hominum, octo et decem fuissent Aethiopes, et una mulier indigena: ceteri, viri Aegyptii. Mulieri quae regnavit, fuit nomen idem quod Babyloniae Nitocris. Quam dicebant ultam fuisse fratrem, ab Aegyptiis, apud quos regnabat, interemptum: quum eo interemto, regnum ad hanc detulissent; ultam autem fratrem, multis Aegyptiorum dolo absumptis. Nam exstruxisse eam perlongum aedificium subterraneum, per causam quidem novi operis, animo autem aliud agitantem: et convocatis ad convivium multis, quos praecipue noverat fraternae caedis auctores, per occultum magnum canalem immisisse flumen discumbentibus. Haec quidem de illa referebant, atque insuper quum id fecisset eam iecisse se in conclave cineris plenum, quo impunita esset.

101. Aliorum autem regum, non enim referebant aliquam operum spectationem, nullum esse splendorem, nisi unius, qui postremus horum exstitit moeris. Hunc enim monumenta exstruxisse Vulcani antefores, ad ventum aquilonem vergentes, et stagnum fodisse, cuius ambitus, quot sit stadiorum, posterius aperiam: et pyramides in eo erexisse, de quarum magnitudine simul cum ipso lacu mentionem faciam. Hunc itaque tantum operum edidisse: alios autem nihil prorsus.

102. Istos ergo praetergressus, eius, qui hic successit, regis nomine Sesostris mentionem habebo. Istum dicebant sacerdotes, primum quidem longis navibus ex Arabico sinu profectum, rubri maris accolas in suam potestatem redegisse: usque dum progrediens longius, venit in mare non iam navigabile vadis. Illinc ubi retro se in Aegyptum recepisset, secundum sacerdotum commemorationem, coacto ingenti exercitu per continentem perrexisse; omnesque gentes, quae occurrerent, subegisse. Et quascunque earum nanciscebatur fortes et vehementer studiosas libertatis, in earum regionibus cippos statuebat, indicantes per literas suum nomen et patriam, et quemadmodum ipse illas suis viribus subegisset: quarum vero urbes nullo proelio et facile cepisset, harum cippis inscripsit eadem, quae scripserat eis gentibus, quae viriles exstiterant; atque etiam adscripsit

muliebria genitalia, planum facere volens, illas imbelles exstitisse.

103. Haec faciendo peragrabat continentem, donec ex Asia in Europam transgressus, Scythas subegit et Thraces; ad quos usque et non ulterius mihi videtur Aegyptius exercitus pervenisse, quoniam in istorum terra tituli positi apparent, non ultra. Hinc digressus retro abiit, et posteaquam ad Phasin flumen subsedit, quid inde contigerit, non habeo liquide dicere, utrum ipse rex Sesostris, diviso suo exercitu, partem qualemcunque reliquerit ad eam regionem incolendam, an aliqui militum pertaesi peregrinationis errorem circa fluvium Phasin substiterint.

104. Nam Colchi videntur Aegyptii esse: quod ipse prius cogitatum quam ex aliis auditum refero. Cuius rei quum mihi cura incessisset ut utrosque percontarer, magis Colchi reminiscebantur Aegyptiorum, quam Aegyptii Colchorum. Dicebant autem Aegyptii se opinari Colchos e Sesostris esse exercitu. Ipse autem ex hoc coniectabam, quod atro colore sunt et crispo capillo, tametsi hoc pro nihilo putari posset, quum et alii sint huiuscemodi, sed magis etiam inde, quod soli omnium hominum Colchi et Aegyptii et Aethiopes ab initio pudenda circumcidunt. Nam et Phoenices et Syri, qui sunt in Palaestina, didicisse ab Aegyptiis et ipsi confitentur. Syrii vero qui fluvium Thermodontem et Parthenium accolunt, et horum contermini Macrones, a Colchis se nuper didicisse aiunt. Hi enim ex hominibus soli soli sunt qui circumciduntur: et apparet eos hoc facere more eodem Aegyptiis. Ipsi vero Aegyptii atque Aethiopes, non queo dicere utri ab utris didicerint; nam videtur esse aliquid antiquum. Sed quod ex Aegypto, qui illic commercium haberent, didicerint, magnum mihi coniectanti robur est, quod Phoenices quotquot cum Graecis commercium habent, non amplius circa virilia imitantur Aegyptios, sed eorum qui nascuntur, virilia non circumcidunt.

105. Agedum et aliud de Colchis dicam, quemadmodum sint similes Aegyptiorum. Hi soli atque Aegyptii linum, et quidem eadem ratione elaborant: omnisque utrorumque vita et lingua similis est. Linum autem Colchicum a Graecis Sardonicum appellatum est, quum illud, quod ab Aegypto venit appelletur Aegyptium.

106. Cipporum quos Sesostris rex Aegypti per regiones erexit, plerosque iam patet non superesse; quosdam vero in Syria Palaestina ipse vidi superstites, et in-

scriptos, tum quibus dixi literis, tum mulieris genitalibus. Circa Ioniam quoque duae huius viri figurae visuntur in petris incisae: una quidem qua ex Ephesio agro Phocaeam itur, altera vero, qua e Sardibus Smyrnam versus. In utraque insculptus est vir magnitudine quinum palmorum, dextra spiculum tenens, sinistra arcus, ceteramque item armaturam et Aegyptiam et Aethiopicam gestans: et ex humero ad alterum humerum pertinent per pectora sacrae literae Aegyptiae insculptae, haec indicantes: hanc ego regionem meis obtinui humeris. Quis tamen aut cuias fuerit, hic quidem non indicat, sed indicavit alibi. Ea quidam conspicati, Memnonis imaginem esse coniectant, multum a veritate relicti.

107. Hunc igitur Sesostrin Aegyptium sacerdotes dicebant, redeuntem, multosque mortales earum gentium, quarum regiones subegerat, adducentem, eundem posteaquam ad Daphnas Pelusias revertens venerat, fuisse a fratre suo, quem Aegypto Sesostris praefecerat, ad hospitalia officia invitatum una cum liberis; et quum ille domum exterius materia circumstipasset, struemque incendisset, re hunc intellecta extemplo cum uxore deliberasse, nam et uxorem simul duxerat, et ea suadente, ut duos e sex liberis super pyram extendens, pontem imponeret parti ardenti, super quos ipsi transeuntes evaderent, ita fecisse, et duobus filiis ita combustis, ceteros una cum patre fuisse servatos.

108. Sesostrin in Aegyptum reversum, ultionem de fratre sumpsisse: quam vero multitudinem e terris in potestatem redactis abduxerat, ea usum in haec fuisse. Nempe isti fuerunt, qui sub hoc rege immensae longitudinis lapides in templum Vulcani portatos traxerunt, quique divortia aquarum, quae nunc in Aegypto sunt, cuncta fodiebant necessitate adacti, faciebantque non volentes, ut Aegyptum totam prius equis et plaustris agendis ubique idoneam, redderent his carentem. Nam ab eo tempore Aegyptus, quae omnis campestris est, inequitabilis et plaustris inhabilis exstitit, propter multiplices fossas et omnigenis modis ductas. Sic autem terram rex scindendam putavit, quia civitates, quae non accolerent flumen, sed in medio Aegypti essent, refluente flumine laborantes penuria aquarum densioribus utebantur potionibus e puteis.

109. Propter haec Aegyptus incisa est; et ab hoc rege, ut dicebant, regio in omnes Aegyptios dispartita, soli quadrati aequa portione viritim per sortem data; atque hinc proventus instituti, imposita pensione, quam

illi quotannis solverent. Quod si cuius portionem alluvione flumen decurtasset, is adiens regem, rei quae contigerat certiorem faciebat; rexque ad praedium inspiciendum mittebat, qui metirentur quanto minus factum esset, ut ex residuo pro portione taxatum vectigal penderetur: atque hinc geometria orta mihi videtur in Graeciam transcendisse. Nam polum et gnomonem, et duodecim diei partes a Babyloniis Graeci didicerunt.

110. Solus hic Aegyptius rex imperio potitus est Aethiopiae: monumentum quoque reliquit ante aedem Vulcani, lapideas statuas, duas quidem tricenum, se et uxorem; quatuor autem filios, vicenum singulas cubitorum. His statuis longo post tempore quum Darii Persae statua anteponeretur, non tulit id sacerdos Vulcani, negans eum tales res gessisse, quales gessisset Sesostris Aegyptius: quippe qui cum alias nationes non pauciores quam Darius, tum vero Scythas subegisset: Darium autem Scythas vincere non potuisse, eoque iniquum esse, eum, qui rebus gestis non supergrederetur, sisti ante illius donaria. Haec loquuto sacerdoti tamen ignovisse Darium ferunt.

111. Defuncto Sesostre, regnum suscepisse Pheron eius filium aiebant, et hunc quidem nullam sumsisse expeditionem, sed ei contigisse, ut luminibus caperetur; idque hac de causa. Quum flumen eo tempore copiosissimum descenderet ad octo et decem cubita, ita ut rura transcenderet, vento ingruente, magnos fluctus ciere fluvius incepit. Ferunt hunc regem facinus admisisse, quod sumtum spiculum in medios fluminis vortices contorserit: statimque post laborasse ex oculis, ac visum amisisse, decennioque caecum fuisse. Undecimo autem anno ex urbe Buto ei oraculum advenisse, iam exactum esse illi tempus calamitatis; visumque ei rediturum, si oculos abluisset lotio mulieris, quae ad suum solius virum accessisset, aliorum virorum expers. Eum ergo ante omnes urinam uxoris suae expertum, quum nihil amplius cerneret, omnium deinceps urinam expertum, tandem vidisse. Tumque omnes mulieres, quas fuisset expertus, praeter eam cuius lotio lotus visum recepisset, unam in urbem coëgisse, quae Erythrebolos, rubra gleba, nunc dicitur, et eas illic coactas cum ipsa urbe omnes concremasse: at eam, cuius lotio lotus visum recepisset, uxorem duxisse. Hac oculorum clade liberatus cum alia in omnibus templis fama celebratis donaria posuit, tum cuius maxime aequum est mentionem facere, in templo Solis digna spectaculo posuit,

geminos saxeos obelos, ex uno utrumque lapide, centenum cubitorum longitudinis, octonum latitudinis.

112. Huic in regno successisse aiebant virum Memphiten, cui nomen esset lingua Graeca Proteus, cuius nunc apud Memphin visitur fanum, decorum valde ac sane adornatum, ad australem partem templi Vulcani positum, circumquaque Phoenicibus Tyriis habitantibus: qui locus plane omnis castra Tyriorum appellatur. In hoc fano Protei est aedes sacra, quae vocatur Veneris hospitae: quam coniicio esse Helenae Tyndari filiae; tum quia apud Proteum fuisse diversatam audivi, tum etiam quod cognomine Veneris hospitae appellatum est. Nam quaecunque sunt alia Veneris templa, neutiquam hospitae appellantur.

113. Et sane percontanti mihi sacerdotes de Helena, referebant ita rem esse gestam: Alexandrum, rapta Helena e Sparta, quum renavigaret domum, in Aegeo ab expulsoribus ventis cursu excussum in Aegyptium pelagus; atque illinc, non remittentibus flatibus appulsum in Aegyptum, et quidem ad ostium Nili, quod nunc vocatur Canobicum, atque ad Taricheas. Erat in eo littore templum Herculis, quod nunc quoque est: ad quod siquis cuiuscunque hominis servus confugiens inponi sibi curet sacras notas, sese deo tradens, eum nefas est tangere. Quae sanctio ab initio ad meam usque aetatem similiter non mutata perseveravit. Eam templi legem mancipia Alexandri quum audissent, ab eo profugerunt: sedentesque numinis supplices, Alexandrum insimulabant, ei nocere volentes: remque omnem exponebant, ut circa Helenam gesta erat, et illatam Menelao iniuriam. Insimulabant autem de his apud sacerdotes, et apud huius ostii praefectum, nomine Thonin.

114. His auditis, Thonis quam raptissime Memphin ad Proteum mittit nuncium, his verbis. Peregrinus venit genere Teucer, qui rem nefariam in Graecia perpetravit: quippe decepit hospitis uxorem, quam ducens cum multis admodum opibus, in hanc terram ventis appulsus est: utrumne sinemus ergo eum abire illaesum, an ea quae attulit secum eripiemus? Ad haec remisit Proteus qui diceret. Virum istum, quicunque is sit, qui rem nefariam in hospitem suum perpetravit, comprehensum ad me deducite, ut quidnam dicturus sit, sciam.

115. Hoc ubi accepit Thonis, Alexandrum comprehendit, navesque eius detinet: dehinc illum Helenamque cum opibus, atque etiam supplices Memphin duxit. Quibus omnibus allatis, Proteus percontatus est Alexan-

drum quisnam esset, et unde incepisset navigare? Alexander illi et genus suum commemoravit, et patriae nomen, et unde navigationem instituisset. Sed interrogante Proteo, unde Helenam accepisset, titubantem in loquendo ac obscurantem quod res erat, coarguebant ii, qui erant supplices, exponentes omnia quae in scelere admittendo gesta essent. Tandem Proteus eis hanc sententiam tulit, inquiens. Ego, nisi magni interesse arbitrarer, nullum peregrinum interficere, quotquot iam ad terram meam venerunt ventis appulsi, supplicium pro Graeco illo de te sumerem, qui, o virorum deterrime, hospitii fidem adeptus, scelestissimum facinus admisisti. Ad hospitis tui uxorem intravisti: neque sane his contentus fuisti, sed cum eam extulisses abisti retinens per furtum. Ac ne sic quidem satis consceleratus, etiam compilata hospitis domo venis. Itaque quoniam magni momenti esse duco non necare hospitem, mulierem hanc atque opes tibi ut abducas non permittam, sed ego haec Graeco hospiti servabo, dum ille ipse veniens constituerit reportare. Tibi vero ipsi, tuisque convectoribus, ut e mea terra in aliam triduo transfretetis, praecipio, alioqui vos pro hostibus persequuturus.

116. Hunc Helenae ad Protea adventum fuisse sacerdotes referebant. Quam famam videtur mihi et Homerus accepisse: sed quia non perinde ad carminis formam decora erat, ac ista, qua est usus; qua propter eum neglexit, declarans se hanc famam notam habuisse. Id manifestum est ex eo, quod in Iliade facit mentionem eiusdem erroris Alexandri: nec usquam alibi retractat, Alexandrum abducentem Helenam, cum alibi fuisse errabundum, tum etiam Sidonem Phoenices applicuisse. Meminit enim huius rei in eo loco, ubi est virtus Diomedis: ita autem versus inquiunt;

Picturata inerant ibi pallia, facta puellis
Sidoniis, quas ipse Paris formosus ab urbe
Sidonia duxit, sulcans freta lata carinis,
Quam retulit magnis Helenam natalibus ortam.

Meminit quoque in Odyssea his versibus,

Hoc habuit Iove nata probum praesensque venenum,
Quod Polydamna sibi Thonis donaverat uxor
Aegypti, cui terra ferax fert plurima mixtim,
Multa quidem proba, multa autem damnosa venena.

Haec quoque alia ad Telemachum Menelaus inquit,

Huc etiam Aegypto dii me tenuere reverti
Conantem, quibus haud tuleram solennia sacra.

In his carminibus fatetur Homerus se nosse errationem Alexandri in Aegyptum. Est enim Syria Aegypto contermina, et Phoenices, quorum Sidon est, in Syria incolunt.

117. Itaque cum hi versus, tum vero hic locus, non minimum, imo maxime probant, Cyprios versus non Homeri, sed cuiuspiam alterius esse: in quibu, dicitur Alexander Helenam ducens, triduo Ilium ex Sparta pervenisse, secundo vento usus ac tranquillo mari: quum in Iliade dicat illum, quum Helenam duceret, errasse.

118. Sed Homerus et Cypria carmina valeant. Ceterum, nunquid Graeci vana quae circa Ilium gesta memorarent necne, percontanti mihi. sacerdotes ita respondebant, se cognovisse ex ipso Menelao rapta Helena magnas Graecorum copias auxilio venisse Menelao in Teucrida: quae in terram egressae, locoque communito, miserunt Ilium nuncios, cumque eis et ipsum Menelaum isse. Hos, postquam ingressi sunt moenia, tum Helenam, opesque, quas Alexander furto sibi abstulisset, repoposcisse, tum iniuriarum poenas postulavisse. Teucros autem et tunc et postea eadem narrasse vel iuratos vel iniuratos, non habere se Helenam, neque opes, de quibus arguerentur, sed ea in Aegypto esse omnia: neque se iuste reatum sustinere earum rerum, quas Proteus Aegyptius rex teneret: Graecos, quum se ab illis derideri arbitrarentur, ita obsedisse Ilium, donec expugnaverunt. Urbe capta, quum Helena non appareret, et eandem orationem quam prius audirent: ita demum habita prioribus verbis fide, Graeci Menelaum ipsum ad Proteum mittunt.

119. Hic ubi in Aegyptum pervenit, et Memphin nave ascendit, exposita rei gestae veritate, honorificentissime hospitio exceptus, Helenam malorum immunem recepit, et insuper omnes pecunias suas. Et quum haec assequutus esset Menelaus, tamen iniurius in Aegyptios exstitit; nam quum proficisci conaretur, nec per ventos posset; idque iam diu, rem nefariam excogitavit. Sumptis enim duobus pueris quorundam indigenarum filiis, exsectisque, haruspicinam fecit. Quod ubi enim fecisse rescitum est, invisus et exagitatus fugiens navibus in Africam abiit. Inde quo se ulterius contulerit, non poterant referre Aegyptii. Atque horum alia sese inquirendo comperisse dicebant, alia ut apud ipsos gesta, sese liquide habere cognita.

120. Et haec quidem aiebant Aegyptiorum sacerdotes. Ego vero ad ea, quae de Helena commemorata sunt, et ipse deferor, hoc adiiciens. Si intra Ilium fuisset Helena, utique fuisset Graecis tradita, sive volente Alexandro sive invito. Neque enim ita desipiebat Priamus, aut alii eius propinqui, ut suis ipsorum corporibus ac liberis, atque etiam urbe periclitari vellent, quo Alexander Helenae nuptiis potiretur. Quod si etiam inter initia ita sensissent, tamen, posteaquam conflictibus contra Graecos habitis cum multi aliorum Troianorum, tum vero Priami filiorum duo tresve aut plures perierant proeliantes, siquid referentibus credi versificatoribus debet; haec, inquam, talia quum contigissent, ego crediderim, Priamum, vel si ipse contubernalem Helenam habuisset, Achaeis redditurum fuisse, cupiditate praesentia mala devitandi. Neque vero regnum ad Alexandrum pertinebat, ut iam sub eo res essent, seniore Priamo, quum Hector et natu maior et virtute praestantior quam ille, regnum esset defuncto Priamo suscepturus: quem haudquaquam decuisset fratri iniuste agenti indulgere quum praesertim tanta mala propter eum, tum privatim ipsi, tum ceteris Troianis omnibus evenirent. Sed nec poterant reddere Helenam, nec verum dicentibus eis Graeci fidem habebant, numine, ut quod sentio dicam, disponente, ut funditus eversi planum facerent hominibus, magnarum iniuriarum magnas a diis etiam venire ultiones. Et haec quidem, ut mihi videntur, dicta sunt.

121. Protei autem regnum dicebant suscepisse Rhampsinitum, qui monumenta reliquit antefores ad occasum spectantes templi Vulcani; et e regione istarum statuit duo simulacra quinum et vicenum cubitorum magnitudinis: quorum quod versus aquilonem stat, Aegyptii Aestatem vocant: quod versus austrum, Hiemem: et quod quidem vocant Aestatem, id adorant et placant; Hiemem vero quod vocant, vice versa in eo consulunt. Huic regi ingentem etiam pecuniarum vim fuisse, quam nemo regum, qui deinceps Aegyptum tenuerunt, superare potuerit, ac ne proxime quidem accedere. Et quum in tuto eam pecuniam collocare vellet, aedificium exstruxisse lapideum, cuius parietum unus in exteriorem aedium partem pertinebat; sed structorem insidiantem haec fuisse machinatum: unum e lapidibus ita struxisse ut e pariete facile eximi a duobus viris, etiam ab uno posset; aedificio absoluto, regem in eo pecuniam reposuisse; interiecto tempore, structorem illum, quum

esset circa vitae finem, vocasse ad se filios, nam duo huic erant, eisque narrasse, se illis prospicientem, ut copiosum victum haberent, astu usum fuisse in aedificando regis thesauro; denique plane omnia illis exposuisse, quae pertinerent ad lapidem eximendum, etiam dedisse mensuras eius ac dixisse, illos haec observantes, regis pecuniarum quaestores fore. Patre vita functo, haud in longum filios rem distulisse; noctu enim ad regiam accedentes, lapidem in aedificio inventum nullo negotio amovisse, multumque pecuniae extulisse. Quum autem rex forte aperuisset aedificium, videretque vasa pecuniarum imminuta, obstupuisse: nec habuisse quem insimularet, quum et signa salva et aedificium obseratum esset. Ubi autem iterum ac tertio aperienti minor assidue pecunia apparebat, (nam fures non desinebant diripere) hoc fecisse: laqueos fieri imperavisse, et eos circa vasa in quibus pecuniae inerant collocasse: fures, quemadmodum superiori tempore, quum venissent, et alter eorum penetrans ad vas recta perrexisset, eum fuisse laqueo innexum; et ubi agnovit quo in malo esset, protinus fratrem vocasse, et praesentis conditionis suae certiorem fecisse; iussisseque ut quam celerrime introgressus sibi caput abscinderet, ne ipse conspectus agnitusque quis esset, etiam illius vitam perderet. Qui quum visus esset probe dicere, fratrem ei obsequentem ita fecisse: et adaptato lapide domum abisse, fratris caput asportantem. Ubi dies illuxit, ingressum in aedificium regem expavisse, cernentem corpus furis in laqueo sine capite, et aedificium incorruptum, nullumque neque ingressum neque egressum habens. Ita quum haereret, faciendum statuisse, ut furis cadaver e muro suspenderet; custodesque illic apposuisse, iussos ut siquem plorantem aut miserantem animadvertissent, eum apprehensum ad se ducerent. Suspenso cadavere matrem indigne tulisse, alloquutamque filium qui supererat, imperasse ut quacunque ratione machinari posset, corpus fratris resolveret asportaretque: id si negligeret, minatam se regem esse adituram ad eum deferendum, quod pecunias haberet. Adversus hanc quum filius multa verba faceret, nec persuaderet, quod illa eum graviter accipiebat, eum talem rem fuisse commentum: instructis asinis utres vino plenos imposuisse: et postquam agendo asinos iuxta custodes suspensi cadaveris fuit, attractis petiolis ipsum duobus tribusve utrium, solvisse pendentes, et quum vinum flueret, tum caput sibi caedentem, vehementer vociferatum esse, tanquam nescien-

tem ad quem prius asinorum se converteret. Custodes quum multum vini fluere viderent, concurrisse cum vasis in viam: et id quod effusum esset lucrifacientes comportasse. Istum simulata iracundia omnibus maledixisse, aliquantoque post illis consolantibus, finxisse se mitigatum, et ab irascendo desisse. Tandem exegisse a via asinos atque reparavisse: et quum plura verba inter eos fierent, et quidam faceto dicto hominem lacesseret, ut risum eliceret, donasse illis unum ex utribus. Atque eos illic, ut erant, discumbentes, potare constituisse, prehensantes hominem ac iubentes ut secum ad compotandum maneret: atque istum obsequutum remansisse, et quum inter potandum comiter acciperetur, insuper donasse alium utrem. Ita se vino ingurgitantes custodes, admodum temulentos esse factos, somnoque oppressos, ibidem ubi potaverant obdormisse. Istum, ubi multum noctis erat, tunc[1] corpus fratris dissolvisse, et custodum malas dextras in contumeliam derasisse, et asinos imposito cadavere domum versus agitasse, exsequutumque imperia matris. Regem, ubi ei renunciatum est furis cadaver surreptum, acerbe tulisse: et quum vellet quoquomodo invenire quinam esset ista machinatus, hoc fecisse, quod apud me caret fide: filiam suam domi prostituisse, iussam omnes indifferenter excipere: sed priusquam coirent, adigere ad sibi dicendum quidnam in vita esset actum a se solertissimum ac scelestissimum: et qui narraret quae circa furem acta essent, eum comprehenderet, neque exire permitteret. Quum itaque filia patris imperia faceret, furem, quum audisset quamobrem ista fierent, ac vellet superare versutia regem, hoc egisse: recentis mortui amputatam ex humero manum sub pallio ferentem isse, atque ingressum ad filiam regis, quum interrogatus esset eadem quae caeteri, enarrasse, hoc se scelestissimum perpetrasse, quod fratris in thesauro regis laqueo capti caput amputasset: solertissimum autem, quod custodibus ebriis factis cadaver fratris suspensi resolvisset. Illam, quum haec audisset, manum in hunc iniecisse: eique furem in tenebris manum mortui porrexisse; quam mulier quum apprehendisset, manum se huius tenere rata, istum per fores se proripuisse, muliere delusa. Postquam et haec renunciata sunt regi, stuporem incussisse tum astutiam, tum audaciam hominis. Ad extremum, dimissis per omnes urbes nunciis, regem edixisse, non modo veniam sed etiam magna munera manere furem, si in conspectum ipsius veniret; ita furem, fide habita, ad eum

venisse, eique Rhampsinitum, magna viri admiratione ductum, filiam suam collocasse, tanquam ex omnibus mortalibus plurima scienti: nam Aegyptios quidem ceteris, hunc autem Aegyptiis antecellere.

122. Post haec aiebant regem hunc descendisse vivum sub terram, eo ubi Graeci opinantur sedes infernas esse, et ibi cum Cerere alea ludere; et aliquando victorem, aliquando victum fuisse: et sursum iterum fuisse reversum, munus ab ea obtinentem mantile aureum. Quod tempus a Rhampsiniti descensu ad reditum, dicebant feriatum esse apud Aegyptios. Idque ego ad meam memoriam scio observatum. Sed utrum ob aliud quid, an ob ista ipsa ferientur Aegyptii, asseverare non possum. Sacerdotes autem pallium postquam uno illo die detexuerunt, uni ex suis oculos mitra alligant: quem gestantem pallium ubi in viam deduxerunt, quae fert ad Cereris templum, ipsi retro discedunt. Hunc autem sacerdotem oculos obstrictos habentem aiunt a geminis lupis duci ad Cereris templum, quod ab urbe viginti stadia abest: et postea rursus ex templo in eundem locum a lupis reduci.

123. Haec quidem ab Aegyptiis relata sic cuique placeant, prout credibilia videntur; mihi autem in omni sermone constitutum est ea scribere, quae auditu ex singulis cognovi. Inferorum principatum tenere Cererem et Liberum Aegyptii aiunt. Hi denique primi exstiterunt qui dicerent, animam hominis esse immortalem; sed exolescente corpore subinde in aliud animal, quod assidue nascitur, immigrare. Atque ubi per omnia se circumtulisset, terrestria, marina, volucria, rursus in hominis corpus, quod gigneretur, introire; atque hunc ab ea circuitum fieri intra annorum tria millia. Hanc rationem sunt e Graecis, qui usurpaverint velut propriam ipsorum, alii prius, alii posterius; quorum ego nomina sciens, non scribo.

124. Ad Rhampsinitum usque regem aiebant in Aegypto viguisse sane legum praestantiam et praeclare omni copia eam floruisse. Post hunc autem, qui in regno successit, Cheopem in omnem pravitatem fuisse prolapsum. Omnibus namque eum templis obseratis, primo Aegyptiis ne sacrificarent interdixisse: deinde iussisse, ut sibi laborarent omnes Aegyptii: aliis assignando, ut ex lapicidinis Arabici montis saxa exciderent, et ad Nilum traherent: aliis, ut transmisso navibus flumine, illa acciperent, et ad montem qui dicitur Libycus traherent. Faciebant autem opus hominum centum millia, ternis semper mensi-

bus singula. Tempus autem, quo populus attritus fuit, fuisse decennale circa viam, per quam traxerunt saxa, quam struxerunt; opus, ut mihi videtur, non multo minoris molitionis, quam ipsa pyramis. Cuius longitudo est quinque stadiorum; latitudo cubitorum quadraginta; altitudo, ubi altissima ipsa sui est, triginta duo cubitorum, lapide polito et animalibus insculptis. Illi decem annos fuisse insumptos tum illis; quae in clivo, supra quem pyramides stant, et subterraneis aedibus, quas fecit sibi repositoria in insula, introducens Nili fossam. Verum in ipsa pyramide hac facienda annos viginti absumptos: cuius singulae frontes, nam est formae quadratae pari altitudine, sunt octingentorum pedum, saxo dolato accuratissimeque coagmentato, in quo nullum est minus triginta pedum.

125. Fuit autem sic exstructa haec pyramis in speciem graduum, quas quidam scalas, quidam arulas vocant. Posteaquam eam primo talem fecerant, attollebant reliquos lapides machinis factis e brevibus lignis ab humo in primum ordinem graduum levantes. Ubi ad hunc lapis ascenderat, alteri machinae imponebatur, quae in ipso primo ordine stabat. Ab hoc deinde in alterum ordinem trahebatur, super alteram machinam. Nam quot erant ordines graduum, totidem quoque machinae erant, sive etiam eandem machinam, quae erat una et facilis ad ferendum, transferebant ad unumquemque ordinem, quoties saxum exemerant. Dictum esto a nobis in utrumque, sicut dicitur. Effecta sunt igitur ita prima eius quaeque altissima: deinde sequentia absolverunt: novissima vero, quae solo sunt iuncta et infima, peregerunt. In ipsa pyramide per literas Aegyptiacas signatum est, quantum in raphanum, cepas, et allia erogatum sit operantibus, et quod interpres earum literarum, postquam legerat, ut probe reminiscor, aiebat in summa mille et sexcenta talenta pecuniae esse. Quod si ita se habet, quot alia credibile est fuisse consumpta, vel in ferrum, quo operabantur, vel in cibos, vel in vestem operantium? quando per id quod dixi tempus opera exstruebant; per aliud, ut ego opinor, lapides exciderunt atque vexerunt, et per aliud non exiguum effecerunt subterraneum cavum.

126. Quin et eo flagitii venisse Cheopem, ut pecunia defectus, filiam suam in lupanari prostituerit, imperans quantumcunque faceret quaestum; non enim dicebant quantum: eamque cum patris iussa fecisse, tum vero privatim de relinquendo monumento cogitasse; itaque singulos ad se intrantes orasse, aut sibi ad opera

singulos lapides donarent. Ex his lapidibus aiebant exstructam fuisse pyramidem, quae stat in medio trium, ante pyramidem magnam, cuius unumquodque latus centum et quinquaginta est pedum.

127. Quinquaginta annos regnasse hunc Cheopem Aegyptii dicebant; eoque defuncto excepisse regnum fratrem eius Chephrenem: et hunc eodem alteri instituto usum cum in aliis, tum vero in facienda pyramide, non tamen quae ad mensuram fraternae accederet; eas namque et nos sumus dimensi. Nam subterranea non subsunt conclavia, neque fossa derivatur, in eam ex Nilo, quemadmodum in alteram, fluens; sed exstructo canali introrsum insulam circumluit, in qua situm esse ipsum Cheopem aiunt. Sed quum primam compagem ex Aethiopico lapide versicolore struxisset, quadraginta pedes degressus, alterius eandem magnitudinem contiguam magnae fabricae. Stant autem ambae super eundem tumulum, centum fere pedes celsum. Porro quinquaginta sex annos regnasse Chephrenem aiebant.

128. Hi centum et sex anni supputantur, quibus Aegyptii in omni pravitate versati sunt, et templa tanto tempore occlusa non licuit aperiri. Hos reges Aegyptii prae odio ne nominare quidem volunt, sed eorum pyramidas vocant pastoris Philitidis, qui ea tempestate pecudes per haec loca pascebat.

129. Post hunc regnasse in Aegypto dicebant Mycerinum Cheopis filium, eumque paterna perosum facta, et templa reserasse, et populo ad ultimum calamitatis afflicto dedisse veniam eundi ad opera et sacrificia: quinetiam super omnes reges iustitiam ipsis exercuisse. Quo nomine ex universis regibus hunc Aegyptii maxime praedicant, tum ob alia, quae bene iudicabat, tum vero quod conquerenti de ipsius sententia, de suo donans indignationi hominis satisfecerit. Quum autem esset in cives clemens Mycerinus, atque ita ageret, principium ei malorum contigisse obitum filiae, quae domi unica suboles erat. Qua clade supra modum quum doleret, velletque filiam excellentiori aliquo genere sepelire quam ceteri, fecisse ligneam bovem cavam, quam quum inaurasset, in ea filiam istam defunctam sepelisse.

130. Neque humo bos haec condita est, sed ad meam usque memoriam erat conspicua, in urbe Sai, in regia, in conclavi exornato posita. Cui singulis diebus omnigenae odoros adolentur; noctibus autem singulis pernox incensa lucerna astat. In altero conclavi prope illam bovem imagines stant concubinarum My-

cerini, ut in urbe Sai sacerdotes aiebant. Stant enim colossi lignei, numero circiter viginti, nudi facti: qui quarum sint mulierum, non possum dicere, praeterquam quae narrantur.

131. Sunt qui de hac bove et colossis haec referant: Mycerinum amore filiae suae captum, vim ei invitae intulisse; deinde illam quum prae moerore se strangulavisset, patrem in hac bove sepelisse; matrem autem manus ministrarum, quae filiam patri prodidissent, praecidisse: et nunc earum haec simulacra passa esse id malum quod vivae sustinuerant. Haec, ut ego opinor, dicunt nugantes, ut alia, ita et de manibus colossorum: quippe quas ipsi videbamus temporis diuturnitate delapsas, quae, ad me usque, ad pedes eorum stratae visebantur.

132. Bos quoque cum ceterum corpus operta est purpureo pallio, tum vero cervicem et caput crasso admodum inducta auro: et inter media cornua solis circulus ad similitudinem factus adest aureus. Neque erecta est bos, sed ingeniculata, magnitudine quanta est grandis vacca viva. Effertur autem e conclavi quotannis. Quando Aegyptii semet verberant propter deum quendam, in tali negotio non mihi nominandum, tunc et bovem in lucem proferunt. Aiunt enim eam morientem orasse patrem Mycerinum, ut quotannis semel sol eam intueretur.

133. Huic regi, post calamitatem filiae, istud secundum accidisse: ex urbe Buto venisse ipsi oraculum, fore ut sex omnino annos viveret, septimo defuncturus. Id hunc aegre ferentem, vicissim misisse ad oraculum contumeliosas deo querimonias, exprobrantem, quod, quum pater suus et patruus, qui et templa claudi iusserant et deos non curaverant, hominesque perdiderant, diu vixissent, ipse pietatem colens tam cito foret moriturus. Ei venisse altera ex oraculo responsa, ea propter ipsum propere vitam finiturum, quod non idfaceret quod deberet. Oportuisse enim Aegyptum centum quinquaginta annis affligi: idque duos, qui ante eum fuissent, reges didicisse, ipsum vero nequaquam. Haec ubi accepit Mycerinus, se iam a numinibus damnatum, lucernas fecisse permultas, quibus quum noctesceret accensis, potaret ac se oblectaret; neque die neque noctu intermittens per paludes perque nemora vagari, et ubi cognosceret voluptaria diverticula esse aptissima. Haec autem idcirco excogitarat, quod vellet oraculum convincere mendacii, ut duodecim pro sex fierent anni, diebus factis ex noctibus.

134. Pyramidem et hic reliquit longe minorem paterna, vicenis pedibus breviorem, omni latere trecentorum pedum et quadrangularem, Aethiopico ex lapide ad medium usque. Hanc quidam Graecorum volunt esse Rhodopis mulieris meretricis, non recte sentientes: qui ne nosse quidem mihi videntur quaenam fuerit Rhodopis de qua loquuntur. Neque enim talis pyramidis structuram ad illam retulissent, in qua talentorum infinita, ut ita dicam, millia consumta sunt. Ad haec, non istius sed Amasis regis temporibus Rhodopis floruit. Multis enim post hos reges, qui istas pyramides reliquerunt, annis Rhodopis exstitit, genere Thracia, ancilla Iadmonis, cui pater Hephaestopolis, viri Samii, conserva Aesopi fabularum scriptoris; nam et hic Iadmonis fuit, ut non minime hinc demonstravit: siquidem quum saepenumero Delphi ex oraculo pronunciarent: siquis sumere poenas vellet animae Aesopi, alius nullus exstitit, sed Iadmonis ex filio nepos, alius Iadmon sumsit; ita et Aesopus Iadmonis fuit.

135. Rhodopis autem in Aegyptum abiit, a Xantho Samo transportata. Et quum eo ad quaestum faciendum venisset, magnis pecuniis fuit redempta a viro Mitylenaeo, Charaxo Scamandronymi filio, Sapphus poëtriae fratre. Hunc in modum Rhodopis libertatem nacta est, et in Aegypto remansit; et venusta vehementer ingentes opes comparavit, ut esset Rhodopis, sed non quae ad talem pyramidem ascenderet. Cuius enim opum decimam partem cuicunque volenti etiam nunc cognoscere licet, magnam illi pecuniam attribuere nihil oportet. Quum enim Rhodopis illa optaret memoriam sui in Graecia relinquere, faciendo opere, quod ab alio excogitatum non est, neque in templo dedicatum, id dedicavit in templo Delphico monumentum sui. E decima igitur suarum opum parte quum multa e ferro verua ad boves transfigendos fecisset, quantum sufficeret decima ipsi, Delphos misit: quae nunc quoque posita sunt e regione templi, post aram, quam Chii donaverunt. Solent autem quodammodo in Naucrati prostibula esse venusta; nam et haec, de qua nunc mentionem habeo, partim nobilitata est fama, ut nemo Graecorum non edidicerit Rhodopis nomen: partim alterius, quae posterior fuit, nomine Archidicae fama per Graeciam celebris exstitit, sed minus quam prior in circulis garrientium iactata. Charaxus vero postquam cum redempta Rhodopi Mitylenen rediit, in carminibus

crebro Sappho conviciis eum fuit insectata; at de Rhodope quidem hactenus.

136. Post Mycerinum autem Aegypti regem fuisse dicebant sacerdotes Asychin, eumque fecisse Vulcano antefores ad solem orientem, longe pulcherrimas longeque maximas. Habere enim illas ubique cum figuras concinne sculptas, tum alium infinitum aedificiorum conspectum; has vero etiam multo maxime. Sub hoc rege fuisse factum dicunt, ut quum vehementer laboraretur inopia pecuniae, et hinc abstinentia esset a commerciis, lex Aegyptiis promulgata fuerit, ut ita demum quis pecuniam mutuam acciperet, si cadaver patris pignori traderet. Hoc item ad hanc legem adiectum fuisse, ut penes creditorem esset potestas omnis sepulcri debitoris, utque haec irrogaretur mulcta pignus illud supponenti, si dissolvere aes alienum recusaret, fas ne esset illi ipsi sepeliri aut in isto paterno aut ullo in alio sepulcro: ac ne alium quemquam e suis mortuum sepeliret. Hunc praeterea regem superiores ipso reges Aegypti antecellendi cupidum, reliquisse memoriam sui pyramidem latericiam, incisis saxo literis in haec verba; ne me ad saxeas pyramides exigendo diminueris, quae tantum illis praecello, quantum Iupiter ceteris diis. Nam fundum lacus conto verberantes, quicquid luti conto adhaerescebat, id colligentes, lateres duxerunt, et me isto modo elaborarunt; atque ista opera hunc regem edidisse.

137. Post hunc regnasse coecum quendam ex urbe Anysi, nomine Anysin: atque eo regnante, excurrisse in Aegyptum magna cum manu Aethiopas et Sabacum Aethiopum regem; et quum coecus hic fuga se in palustria proripuisset, illum Aethiopem regnasse in Aegypto quinquaginta annos; idque intra tempus ista edidisse: quoties Aegyptiorum quisquam aliquid deliquisset, neminem voluisse morte afficere; sed pro sui quemque delicti magnitudine, damnare ad aggerendum aggerem ad urbem, unde quisque delinquentium erat. Atque ita urbes sunt adhuc sublimiores effectae; nam primum aggestae fuerant sub rege Sesostre ab iis, qui canales effoderunt: iterum sub rege Aethiope etiam valde sunt factae excelsae, cum ceterae, quae in Aegypto sunt, tum vero, ut mihi videtur, Bubasti urbi praecipue quidem adaggeratum est: in qua urbe templum est Bubastis dignissimum memoratu. Quo etsi alia sunt tum grandiora, tum sumptuosiora, nullum tamen est aspectu iucundius. Bubastis autem in sermone Graeco est Artemis, Diana.

138. Templum eius ita habet: cetera praeter accessum insula est: nam e Nilo fluenta insinuant, nec confluunt, sed ad ingressum usque fani utrumque immittitur, alterum hac circumfluens, alterum illac, centum in unoquoque pedum latitudine, arboribus inumbrata. Eius antefores, quadraginta cubita sublimes, figuris senum cubitorum memoratu dignis adornantur. Id templum in media urbe situm, undique circumeuntium oculis subiicitur; nam quum urbs sit in altum aggerata, templum non motum, sicut fuit a principio conditum, patet conspectui. Illud maceria figuris insculpta ambit. Intus, ingens maximarum arborum manu consitarum lucus ambit templum, in quo statua est. Latitudo et longitudo templi quoquoversus est stadii. Ad eius ingressum via strata lapide est, tria circiter stadia, quae fert per forum orientem versus quadringentorum pedum latitudinis, utrinque arboribus consitis in coelum euntibus; et fert ad Mercurii templum. Atque hunc quidem in modum templum habet.

139. Verum se ita ad extremum liberatos Aethiope referebant, quod ille, per quietem oblata sibi visione, fugae se mandaverit. Visus est sibi videre quendam subito oblatum, qui suaderet ipsi ut congregatos cunctos Aegypti sacerdotes dissecaret medios. Hac eum visione conspecta dixisse, videri sibi deos demonstrare hanc occasionem, ut piaculo in sacra commisso, aliquid cladis aut a diis aut ab hominibus acciperet; se vero nequaquam ista facturum, sed nempe sibi excessisse tempus quantum oracula cecinerant regno Aegypti possesso exiturum. Etenim quum in Aethiopia ageret, oracula, quibus utuntur Aethiopes, responderant, fore ut is in Aegypto quinquaginta regnaret annos. Id tempus quum excessisset, et viso insomnii perturbatus esset, ultro ex Aegypto discessit Sabacos.

140. Eo profecto ex Aegypto, rursus coecum e palustribus egressum accepisse imperium: ubi quinquaginta annos habitavit insulam cinere atque humo aggestam. Nam ut quique Aegyptiorum iussi illuc ibant portantes frumentum, eis singulis mandabat, ut clam Aethiope ad se dono etiam cinerem ferrent. Hanc insulam nemo ante Amyrtaeum invenire potuit, sed septingentis et amplius annis superiores Amyrtaeo reges nequierunt eam invenire: cui insulae nomen est Elbo, decem undiquaque stadiorum magnitudinis.

141. Post hunc regnasse sacerdotem Vulcani, nomine Sethon: eumque bellatoribus Aegyptiis abusum

fuisse, contemptui habentem, tanquam sibi non fore opportunos, et cum aliis ignominiis eos affecisse, tum vero aruras, vel arva C. cubitorum abstulisse, quas eximias a superioribus regibus dono acceperant singuli duodenas. Postea, quum Sanacharibus Arabum Assyriorumque rex cum magnis copiis invasisset Aegyptum, noluerunt bellatores Aegyptiorum ei opitulari. Tunc sacerdotem consilii inopem, in delubrum se contulisse; et apud simulacrum complorasse quanta pati periclitaretur: eique inter lamentationem obrepsisse somnum: et in quiete visum venisse deum exhortantem, quippe nihil eum molesti passurum, si copiis Arabum obviam iret: se enim auxiliarios ei missurum. His insomniis fretum sacerdotem, sumptis Aegyptiorum iis, qui sequi vellent, castra in Pelusio posuisse; hac enim sunt ingressus; nec eum fuisse quempiam bellatorum sequutum, sed institores, et operarios, et forenses homines. Eo quum pervenissent, noctu infusam in ipsos hostes vim agrestium murium, qui illorum tum pharetras, tum arcus, tum scutorum habenas ambederunt, ita ut postera die hostes nudi armis fugam sumentes, multos amiserint. Eoque nunc iste rex in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenens, atque haec per literas dicens, In me quis intuens, pius esto.

142. Ad hunc usque narrationis locum et Aegyptii et sacerdotes referebant, demonstrantes a primo rege ad Vulcani sacerdotem hunc, qui postremus regnavit, generationes vel aetates hominum fuisse trecentas quadraginta unam, et totidem interea sacerdotes maximos totidemque reges. Trecentae autem generationes decem millia annorum aequant. Nam tres virorum generationes, centum anni sunt; una et quadraginta, quae reliquae sunt ultra trecentas, sunt anni mille trecenti quadraginta. Ita intra undecim millia trecentosque insuper et quadraginta annos, negabant ullum deum forma humana exstitisse: sed neque aut prius aut posterius in reliquis Aegypti regibus aliquid tale dicebant fuisse: sed intra hoc tempus quater solem extra sedes suas fuisse ortum; bis denuo illinc exortum, ubi nunc occidit; bis autem unde nunc oritur, illic occidisse: nec tamen sub haec aliquid in Aegypto esse immutatum, nec ea quae ex terra, nec ea quae e flumine ipsis proveniunt, nec quae ad morbos aut mortes pertinent.

143 Atque antea Hecataeo historiae scriptori, apud Thebas originem generis recensenti, ac propagationem familiae suae referenti ad sextumdecimum deum, sacer-

dotes Iovis tale quiddam fecerant, quale et mihi quid non recensenti familiam meam. Introducto in templum intus grande, enumerabant monstrando tot e ligno colossos quot dixi. Ibi namque quisque summus sacerdos ponit suam imaginem dum vivit; numerantes itaque et monstrantes sacerdotes, ostendebant mihi unumquemque filium patris ipsum esse ex imagine eius, qui proxime esset mortuus, eundo per imagines eorum, donec omnes illas exposuerant. Hecataeo igitur originem suam recensenti, et ad sextumdecimum deum alliganti, occurrebant simili ratione per numerationem, non admittentes id, quod ab illo diceretur, hominem generari e deo. Occurrebant autem repetenda progenie hunc in modum, dicentes unumquemque colossorum fuisse Piromin ex Piromi genitum, donec trecentos quadraginta quinque colossos commemorarent, Piromin ex Piromi progenitum: eosque referentes nec ad deum nec ad heroa. Est autem Piromis Graeca lingua expositum honestus et bonus.

144. Eos itaque, quorum imagines erant, demonstrabant tales omnes exstitisse, sed multum a diis distantes. Tempore autem hos viros antecedente fuisse deos in Aegypto principes, non agentes cum hominibus, et eorum semper unum exstitisse dominatorem: et postremum illic regnasse Orum Osiridis filium, quem Graeci Apollinem nominant. Hunc, postquam evertit Typhonem, regnasse in Aegypto postremum. Osiris autem Graeca lingua est, Liber.

145. Atqui apud Graecos novissimi deorum esse censentur Hercules, Liber et Pan: at apud Aegyptios Pan vetustissimus est, etiam ex octo diis, qui primi dicuntur: Hercules, ex secundis, qui dicuntur duodecim esse; Liber, ex tertiis, qui ab illis duodecim diis sunt procreati. Herculi autem quantum annorum ad Amasin regem esse ipsi Aegyptii dicant, superius a me patefactam est: Pani autem plus adhuc annorum esse dicitur; minimum horum Libero; quanquam huic ad Amasin regem quindecim millia annorum esse supputentur. Et haec Aegyptii liquide asseverant se scire, et assidue supputando, et semper annos describendo. Baccho quidem certe, qui ex Semele Cadmi genitus fertur, ad meam aetatem sunt anni ferme mille sexcenti: Herculi autem Alcmenae filio, prope nongenti anni: Pani autem Penelopes, ex hac enim et Mercurio Pan genitus dicitur a Graecis, minus annorum est quam a bello Troiano, octingenti fere ad me anni.

146. Utrum horum quae dicuntur probabilius sibi videtur, eo quisque utatur licet; mihi autem de his opinio

demonstrata est. Nam si et isti in Graecia cum celebres fuissent, tum senuissent, quemadmodum Hercules ex Amphitryone genitus, atque etiam Bacchus ex Semele, et Pan ex Penelope natus, dixerit aliquis et hos viros natos habere illorum deorum nomina, qui prius geniti fuerant: nunc vero Graeci aiunt et Bacchum, statim, ut editus fuit, ab Iove insutum femori, portatumque in Nysam, quae est supra Aegyptum in Aethiopia: de Pane ne habent quidem quod dicant, quonam a partu sit delatus; ex quo fit mihi manifestum, Graecos audivisse posterius horum, quam aliorum deorum nomina; et ex eo tempore, quo de iis audierant, illorum nativitatem recensuisse; atque haec quidem ipsi Aegyptii aiunt.

147. Quae vero ceteri homines, et Aegyptii consentientes illis aliis memorant in hac regione fuisse gesta, haec iam explicabo; aliquid etiam his quod ego vidi admiscebitur. Post Vulcani sacerdotis regnum Aegyptii libertatem adepti, duodecim reges, nullo enim tempore poterant sine rege vivere, deligunt, in totidem portiones omni Aegypto distincta. Isti iuncti inter se affinitatibus regnabant, pactionibus his initis, ne se invicem tollerent, neve alius plus alio quippiam obtinere quaereret, sed ut essent quam amicissimi. Atque ea de causa has pactiones inierunt valide circummunientes, quod eis inter initia, simulatque tyrannides invaserunt, responsum oraculo fuerat, qui eorum in templo Vulcani aerea phiala libasset, eum totius Aegypti regno potiturum: per omnia enim templa congregabantur.

148. Etiam placitum est eis relinquere communiter monumenta: ex eoque placito fecerunt labyrinthum, paulo supra stagnum Moerios, maxime urbem versus, quae dicitur crocodilorum: quem ego iam aspexi fama maiorem. Si quis enim omnium castellorum aut operum Graecorum speciem consideret, minori labore et sumtu deprehendentur stetisse, quam fuit huius labyrinthi. Tametsi enim istud in urbe Epheso templum est memoratu dignum, et in Samo: etiam pyramides erant narratione maiores, quarum singulae multis ac maximis operibus Graecis aequiparandae sunt. At vero eas quoque labyrinthus superiacit. Etenim duodecim eius aulae sunt tecto opertae, portis oppositis altrinsecus; sex ad aquilonem, totidem ad austrum vergentes contiguae, eodem extrinsecus muro praeclusae. Duplicia in eo sunt domicilia, subterranea, et superna illis imposita, numero tria millia, in singulis mille quingenta. Quorum ea quae superna sunt, ipsi peragrantes videbamus, et quae aspeximus enarramus;

subterranea vero auditu didicimus. Nam praepositi Aegyptiorum nolebant ullo pacto illa monstrare, quod dicerent illic loculos esse tum eorum regum, qui penitus aedificaverunt labyrinthum istum, tum sacrorum crocodilorum. Ita de infernis aedificiis auditu cognita referimus. Superna ipsi perspiciebamus humanis operibus maiora; nam egressus per tecta, et anfractus per aulas diversissimi, infinita me admiratione afficiebant: et ex aula in aedificia transitur, ex aedificiis in cubicula, et e cubiculis in solaria et tecta alia, et ex aedificiis in alias aulas. Horum omnium lacunar, quemadmodum parietes, lapideum est; parietes sculptilibus passim figuris ornati. Singulae aulae columnarum ambitu redimitae lapide arctissime iuncto albo. Angulo quo finit labyrinthus, adhaeret pyramis centum sexaginta cubitorum, in qua grandia sunt insculpta animalia, in quam iter sub terra factum est.

149. Et quum talis sit hic labyrinthus tamen stagnum Moerios, ad quod labyrinthus aedificatus est, plus adhuc praebet admirationis. Cuius in circuitu mensura trium millium et sexcentorum stadiorum est, schoenorum sexaginta, quanta et ipsius Aegypti ad mare latitudo est. Iacet autem stagnum longo situ aquilonem versus austrumque: altitudine, ubi eius profundissimum est, ducentorum cubitorum. Quod autem manu facta sit ac depressa, ipsa indicat; nam in eius ferme medio stant duae pyramides cubita ducenta ex aqua exstantes, altero tanto aedificii aquis tecto. Super quarum utraque lapideus est colossus in solio sedens: ita pyramides sunt quadringentorum cubitorum. Tot autem cubita iusta sunt stadium sexcentorum pedum. Orgyia quidem mensurata sex pedum et quatuor cubitorum: pedibus quidem, quatuor palmorum; cubito autem, sex palmorum; cubito autem; sex palmorum. Aqua stagni nativa non est, utpote solo illo admodum arido, sed e Nilo per rivum inducta, et sex quidem mensibus in stagnum influit, totidem retro in Nilum; illisque sex mensibus quibus ex eo effluit, ditans regium fiscum talentis argenti singulis, in singulos dies, proventu piscium; quum aqua influit, viginti minis.

150. Hoc stagnum dicebant etiam indigenae evadere in Syrtin Africae sub terram, versum in mediterranea ad occidentem, secundum montem qui est supra Memphin. Verum quum humum e fossa illa egestam nusquam viderem, hoc enim mihi indagare curae erat, percontabar proximos accolarum, ubinam esset humus illinc effossa: illi mihi dixere, quo fuerit exportata; et facile persuadebant: quippe qui aliud tale factum apud Ninum quoque

urbem Assyriorum auditu cognoveram. Siquidem fures magnam vim pecuniae Sardanapalli, qui Nini rex erat, in thesauris subterraneis custoditam, compilare quum constituissent, a suis igitur domibus exorsi, dimensi viam sub terra ad regias aedes foderunt, eamque humum e cuniculo egestam, ubi nox aderat, in flumen Tigrim, qui Ninum praeterfluit, exportabant, donec id quod optabant perfecere. Eodem modo audivi in Aegypto hanc alteram fuisse factam lacunam, praeterquam quod non noctu haec, sed interdiu est facta: Aegyptios enim humum quam effodiebant, in Nilum extulisse, quam ille acceptam dissiparet. Et hic quidem lacus ita fertur fuisse depressus.

151. Duodecim autem reges quum iuste degerent, et interiecto tempore in templo Vulcani sacrificassent, et ultimo festi die libaturi essent, porrexit eis summus sacerdos aureas phialas, quibus libare consueverant, aberrans numero, undecim, quum essent ipsi duodecim. Ibi Psammitichus, qui postremus eorum stabat, quum non haberet phialam, detractam sibi aeream galeam tenuit, libavitque. Ferre autem solebant et ceteri omnes reges, et tunc quoque gestabant galeas. Nullo quidem igitur dolo malo usus Psammitichus galeam tenuit. Ceteri tamen mente advertentes id factum Psammitichi et simul oraculum, quod ipsis cecinerat, qui eorum aerea in phiala libasset, eum solum regem Aegypti futurum; eius igitur reminiscentes non censuerunt quidem aequum esse, Psammitichum morte mulctari, postquam rimando compererunt non id illum fecisse industria aliqua; sed maxima potentiae parte exutum in palustria relegandum, ex quibus ne egressus, reliquae Aegypto se immisceret.

152. Hunc Psammitichum, quum antea fugiens Sabacum Aethiopem, qui patrem eius Necon interemerat, hunc exsulem tunc in Syria, postquam Aethiops ex insomnii visione abiit, reduxerunt ii Aegyptii qui sunt e regione Saiti: deinde regnanti secunda vice ab undecim regibus contigit ei, ut in exilium iret propter illam galeam in paludes. Igitur intelligens quam ignominiose tractatus ab illis esset, statuit ultum ire qui ipsum persecuti essent. Itaque ex oraculo Latonae, quod in urbe Buto apud Aegyptios veracissimum est, ad quod ipse miserat, venit responsum, venturam ultionem e mari, quum viri aerei apparuissent. Quod responsum ei magnam incredulitatem suffudit, viros aereos ipsi in auxilium venturos. Non longo tempore interiecto, Iones quosdam et Cares praedandi gratia navigantes, necessitas compulit applicare ad Aegyptum. Hi quum in terram exissent aere armati,

Aegyptiorum quidam nuncium fert Psammiticho ad paludes, ut qui nunquam viderat viros aere armatos, appulsos e mari aereos viros campestria populari. Ille agnoscens oraculum esse impletum, amicitiam cum Ionibus et Caribus facit: eosque magnis pollicitationibus hortatur ad suas partes fovendas. Ubi persuasit, ita demum una cum iis Aegyptiis, qui secum sentiebant, cumque auxiliariis, reges sustulit.

153. Omni potitus Aegypto, fecit in Memphi Vulcano antefores ad ventum austrum vergentes, et aulam exstruxit Api, in qua Apis educatur, quum apparuerit, adversus antefores undique columnis cinctam, ac figuris refertam: cui aulae stant suppositi loco columnarum colossi duodenum cubitorum. Apis autem Graecorum lingua Epaphus est.

154. His Ionibus Caribusque, quibus fuerat usus adiutoribus, Psammitichus dedit ad habitandum opposita invicem praedia, Nilo medio dirempta, quibus nomina posita sunt Castra. Et cum haec eis loca dedit, tum vero cetera quae fuerat pollicitus omnia tradidit. Pueros quinetiam Aegyptios illis commisit lingua Graeca imbuendos, a quibus linguam istam edoctis orti sunt nunc in Aegypto interpretes. Incoluerunt autem Iones et Cares haec loca longo tempore, et sunt ea prope mare, paullum infra urbem Bubastin, ad ostium Nili quod dicitur Pelusiacum. Unde postea Amasis rex educens, Memphin eos transtulit in sui tutelam adversus Aegyptios. Post sedes ab istis in Aegypto collocatas, nos Graeci cum illis ita commixti res circa Aegyptnm a Psammiticho rege exorsi, et quae deinceps exstiterunt, omnia liquide cognita habemus. Hi enim primi Aegyptum, qui alterius linguae essent, incoluerunt. Atque ex quibus locis demigrarunt, ibi et vestigia navalium, et domorum rudera, ad meam usque aetatem ostendebantur. Atque hunc quidem in modum Psammitichus Aegypto potitus est.

155. De oraculo autem quod est in Aegypto, cum feci multa verba, tum faciam, utpote quod dignum est. Etenim oraculum hoc in Aegypto, sacrum est Latonae, positum in magna urbe, cui nomen est, ut superius a me nominatum est, Buto, ad ostium Nili, quod Sebennyticum appellatur, ab mari flumen subeuntibus. In hac urbe templum est Appollinis Dianaeque; et illud Latonae, in quo redduntur oracula, tum ipsum grande est, tum antefores habet ad quadraginta cubitorum altitudinem. Ubi quid mihi ex iis, quae in aperto erant, maxime miraculo fuerit, referam: est in hoc fano Latonae aedes ex uno

facto lapide, quod ad longitudinem attinet ac altitudinem; et cuius paries quilibet his aequalis: unumquodque ex his est quadragenum cubitorum; cuius lacunari pro tecto impositus est alius lapis quatuor cubitorum per oras crassitudinis.

156. Itaque eorum, quae circa templum hoc sunt in propatulo posita, maxime admirabilis apud me fuit ista aedes. Secundo loco insula, quae vocatur Chemmis, in lacu profundo ac spatioso sita propter templum, quod Buto est; quae insula ab Aegyptiis fertur innare. Ego tamen eam neque innantem vidi, neque motam; sed hoc audire admiratus sum, si quae vere est insula natans. In hac igitur templum Apollinis magnum, et arae triplices exstructae sunt, et palmae frequentes in eadem enatae: aliaeque multae partim fructiferae, partim steriles arbores. Cur autem ea natans sit, hanc Aegyptii rationem reddunt: quod in hac insula olim non natante, Latona, quae ex octo numinibus, quae prima exstiterunt, unum est, quum in urbe Buto, ubi hoc eius oraculum est, habitaret; Apollinem ab Iside instar depositi accipiens, occultavit in ea iam natante insula, ac sospitem reddidit; quo tempore Typhon, omnia indagans ut Osiris filium inveniret, advenisset. Nam Apollinem et Dianam aiunt Bacchi et Isidis liberos esse; Latonam vero, nutricem horum ac servatricem. Et Apollo quidem Aegyptiace Orus, Ceres autem Isis, Diana vero Bubastis. Atque ex hac narratione, non aliunde, Aeschylus Euphorionis filius, rapuit quod dicam: ut solus omnium qui poëtae antecesserunt, fecerit Dianam Cereris filiam: ideo vero insulam redditam esse natantem. Haec quidem sic aiunt.

157. Psammitichus vero in Aegypto quatuor et quinquaginta regnavit annos: per quorum undetriginta magnam Syriae urbem obsidens oppugnavit, donec cepit. Haec est Azotos, quae diutissimam inter omnes urbes, quas novimus, sustinuit obsidionem.

158. Psammitichi filius, qui et regnum Aegypti suscepit, exstitit Necus, qui fossam in rubrum mare ferentem primus aggressus est, quam Darius Perses secundo loco depressit; longitudinis quidem quatuor dierum navigationis; latitudinis, ut per eam duae possent simul agi triremes. Aqua quae in hanc e Nilo deducta est, paulo supra Bubastin urbem, iuxta oppidum Arabiae Patumon deducitur, pertinens in mare rubrum. Initium fodiendi sumtum est a planitie Aegypti Arabiam versus, cui planitiei supra contiguus est extensus prope Memphin mons, in quo lapicidinae sunt. Itaque iuxta huius montis radi-

ces ducta est fossa ab occidente orientem versus longo tractu: et deinde pertinet ad divortia, quae ab monte ad meridiem et ventum austrum fert in sinum Arabicum. Quae sane brevissimus et maxime compendiarius est a mari septentrionali transitus ad australe et idem hoc rubrum vocatum; a monte Casio, qui Aegyptum Syriamque disterminat, stadia mille sunt in Arabicum sinum. Et hoc quidem brevissimum est: verum fossa multo longior, scilicet quanto est magis inflexa. In qua fodienda sub rege Neco centum viginti millia Aegyptiorum perierunt. Inque eius medio opere Necos destitit, hoc interpellatus oraculo, eum id opus barbaro praemunire. Aegyptii autem barbaros omnes vocant, qui non ipsorum lingua loquuntur.

159. Supersedens itaque a facienda fossa Neços, ad militares expeditiones se convertit; et naves bellicae partim ad mare septentrionale, partim in sinu Arabico ad rubrum mare sunt perfectae: quarum adhuc vestigia navalium clara. Et his, ubi opus fuit, utens, ac terrestri quidem acie congressus Necos cum Syris in Magdolo, victoria potitus est, et post proelium, Cadyti, magna Syriae urbe. Vestem autem, in qua id peregit, Apollini dicavit, et ad Branchidas Milesiorum misit. Post id perfectis septem et decem omnino imperii sui annis decessit, tradito imperio Psammi filio.

160. Ad eum in Aegypto regnantem, nuncii quidam Eleorum advenerunt, iactantes in Olympia iustissime ac pulcherrime inter mortales omnes proponi certamen, ita ut existimarent ne Aegyptios quidem hominum sapientissimos aliquid ultra haec invenisse. Isti ubi in Aegyptum venientes ea exposuerunt, quorum gratia venerant, ibi tum iste rex convocavit ex Aegyptiis eos, qui sapientissimi haberentur. Qui quum convenissent, et Eleos audissent omnia commemorantes, quae par erat ab ipsis fieri in edendo certamine, et se venisse dicentes sciscitatum numquid possent Aegyptii reperire iustius, habito inter se consilio, interrogarunt Eleos numquid apud eos certarent cives. Et illis respondentibus, sine discrimine et suorum et ceterorum Graecorum cuicunque volenti certare fas esse. Atqui, inquiunt, illos, quum tale certamen proponerent, ab omni iure recessisse. Nullo etenim pacto posse fieri, quin civi certanti cives faverent, facientes iniuriam peregrino. Sed si vellent iuste ponere, et eius gratia venissent in Aegyptum, iusserunt peregrinis certatoribus ponere certamen, nullo Eleorum certare permisso. Haec Aegyptii Eleos submonuerunt.

facto lapide, quod ad longitudinem attinet ac altitudinem; et cuius paries quilibet his aequalis: unumquodque ex his est quadragenum cubitorum; cuius lacunari pro tecto impositus est alius lapis quatuor cubitorum per oras crassitudinis.

156. Itaque eorum, quae circa templum hoc sunt in propatulo posita, maxime admirabilis apud me fuit ista aedes. Secundo loco insula, quae vocatur Chemmis, in lacu profundo ac spatioso sita propter templum, quod Buto est; quae insula ab Aegyptiis fertur innare. Ego tamen eam neque innantem vidi, neque motam; sed hoc audire admiratus sum, si quae vere est insula natans. In hac igitur templum Apollinis magnum, et arae triplices exstructae sunt, et palmae frequentes in eadem enatae: aliaeque multae partim fructiferae, partim steriles arbores. Cur autem ea natans sit, hanc Aegyptii rationem reddunt: quod in hac insula olim non natante, Latona, quae ex octo numinibus, quae prima exstiterunt, unum est, quum in urbe Buto, ubi hoc eius oraculum est, habitaret; Apollinem ab Iside instar depositi accipiens, occultavit in ea iam natante insula, ac sospitem reddidit; quo tempore Typhon, omnia indagans ut Osiris filium inveniret, advenisset. Nam Apollinem et Dianam aiunt Bacchi et Isidis liberos esse; Latonam vero, nutricem horum ac servatricem. Et Apollo quidem Aegyptiace Orus, Ceres autem Isis, Diana vero Bubastis. Atque ex hac narratione, non aliunde, Aeschylus Euphorionis filius, rapuit quod dicam: ut solus omnium qui poëtae antecesserunt, fecerit Dianam Cereris filiam: ideo vero insulam redditam esse natantem. Haec quidem sic aiunt.

157. Psammitichus vero in Aegypto quatuor et quinquaginta regnavit annos; per quorum undetriginta magnam Syriae urbem obsidens oppugnavit, donec cepit. Haec est Azotos, quae diutissimam inter omnes urbes, quas novimus, sustinuit obsidionem.

158. Psammitichi filius, qui et regnum Aegypti suscepit, exstitit Necus, qui fossam in rubrum mare ferentem primus aggressus est, quam Darius Perses secundo loco depressit; longitudinis quidem quatuor dierum navigationis; latitudinis, ut per eam duae possent simul agi triremes. Aqua quae in hanc e Nilo deducta est, paulo supra Bubastin urbem, iuxta oppidum Arabiae Patumon deducitur, pertinens in mare rubrum. Initium fodiendi sumtum est a planitie Aegypti Arabiam versus, cui planitiei supra contiguus est extensus prope Memphin mons, in quo lapicidinae sunt. Itaque iuxta huius montis radi-

tea ducta est fossa ab occidente orientem versus longo tractu: et deinde pertinet ad divortia, quae ab monte ad meridiem et ventum austrum fert in sinum Arabicum. Quae sane brevissimus et maxime compendiarius est a mari septentrionali transitus ad australe et idem hoc rubrum vocatum; a monte Casio, qui Aegyptum Syriamque disterminat, stadia mille sunt in Arabicum sinum. Et hoc quidem brevissimum est: verum fossa multo longior, scilicet quanto est magis inflexa. In qua fodienda sub rege Neco centum viginti millia Aegyptiorum perierunt. Inque eius medio opere Necos destitit, hoc interpellatus oraculo, eum id opus barbaro praemunire. Aegyptii autem barbaros omnes vocant, qui non ipsorum lingua loquuntur.

159. Supersedens itaque a facienda fossa Necos, ad militares expeditiones se convertit; et naves bellicae partim ad mare septentrionale, partim in sinu Arabico ad rubrum mare sunt perfectae: quarum adhuc vestigia navalium clara. Et his, ubi opus fuit, utens, ac terrestri quidem acie congressus Necos cum Syris in Magdolo, victoria potitus est, et post proelium, Cadyti, magna Syriae urbe. Vestem autem, in qua id peregit, Apollini dicavit, et ad Branchidas Milesiorum misit. Post id perfectis septem et decem omnino imperii sui annis decessit, tradito imperio Psammi filio.

160. Ad eum in Aegypto regnantem, nuncii quidam Eleorum advenerunt, iactantes in Olympia iustissime ac pulcherrime inter mortales omnes proponi certamen, ita ut existimarent ne Aegyptios quidem hominum sapientissimos aliquid ultra haec invenisse. Isti ubi in Aegyptum venientes ea exposuerunt, quorum gratia venerant, ibi tum iste rex convocavit ex Aegyptiis eos, qui sapientissimi haberentur. Qui quum convenissent, et Eleos audissent omnia commemorantes, quae par erat ab ipsis fieri in edendo certamine, et se venisse dicentes sciscitatum numquid possent Aegyptii reperire iustius, habito inter se consilio, interrogarunt Eleos numquid apud eos certarent cives. Et illis respondentibus, sine discrimine et suorum et ceterorum Graecorum cuicunque volenti certare fas esse. Atqui, inquiunt, illos, quum tale certamen proponerent, ab omni iure recessisse. Nullo etenim pacto posse fieri, quin civi certanti cives faverent, facientes iniuriam peregrino. Sed si vellent iuste ponere, et eius gratia venissent in Aegyptum, iusserunt peregrinis certatoribus ponere certamen, nullo Eleorum certare permisso. Haec Aegyptii Eleos submonuerunt.

161. Psammis autem, quum sex tantum regnasset annos in Aegypto, facta in Aethiopiam expeditione, mox vita defunctus est. Cuius regnum Apries filius accepit, qui post Psammitichum proavum suum, beatissimus exstitit omnium ad eam aetatem regum, quinque et viginti dominatus annos. Quod intra tempus et bellum Sidoni intulit, et cum Tyrio pugna navali dimicavit. Sed quum deberet illi improspere cedere, contigit ab occasione, quam ego pluribus, dum res Libycas exsequar, exponam, paucis contentus in praesenti. Quum enim adversus Cyrenaeos Apries, exercitu misso, magnum cladem accepisset, id ei imputantes Aegyptii rebellaverunt, opinati se ab illo in apertam perniciem consulto fuisse dimissos: ut his internecione deletis, ipse ceteris Aegyptiis imperitaret securius. Haec perquam graviter ferentes tum ii, qui redierunt, tum eorum qui interierant amici, palam desciverunt.

162. Id ubi rescivit Apries, mittit ad eos verbis sedandos Amasin. Qui quum pervenisset, reprehendensque dissuaderet ne talia facerent, quidam Aegyptiorum ei a tergo stans galeam circumdat: eaque circumdata, inquit se illam ob regnum imposuisse. Neque id eo invito factum fuit, ut ostendit: nam simulatque ab iis qui desciverant Aegyptiis declaratus est rex, sese apparabat tanquam adversus Aprien moturus. His cognitis Apries mittit ad Amasin ex iis qui secum erant Aegyptiis, spectatum quendam hominem, nomine Patarbemin, iussum ut ad se vivum Amasin perduceret. Hic ubi pervenit, Amasin ad se vocat. Amasis (sedebat enim in equo) elevans crus pepedit, et hoc iubet hunc adducere ad Aprien, et quum tamen Patarbemis eum rogaret, ut regem adiret accitus, respondit se iamdudum dare operam ut id ageret: nec de se Aprien esse questurum; se enim illi praesto futurum et alios ducturum. Patarbemis non ignarus sententiae illius ex oratione, etiam apparatum quem curabat videns, abiit, statuens quam celerrime regem rerum quae agerentur facere certiorem. Huic redeunti, quod Amasin non duceret, nullo verbo edito Apries ira percitus praecidi aures nasumque iussit. Id intuentes ceteri Aegyptii, qui cum eo adhuc senserant, virum inter eos probatissimum ita foede indigneque affectum, ne tantisper quidem differentes ad ceteros transeunt, seseque Amasi tradunt.

163. His quoque auditis Apries armatis auxiliariis (habebat autem auxiliariorum circa se ex Ionibus et Ca-

ribus triginta millia) in Aegyptios tendit. Erat autem ei regia, in urbe Sai, ingens ac spectatu digna. Itaque utrique adversus alteros tendebant, Apries cum suis contra Aegyptios, Amasis cum suis adversus peregrinos; et in Momemphi urbe constiterunt tentaturi invicem.

164. Sunt autem Aegyptiorum septem genera; quorum alii sacerdotes, alii pugnatores appellantur, alii bubulci, alii subulci, alii institores, alii interpretes, alii gubernatores navales. Tot sunt Aegyptiorum genera, quibus a suis artibus sunt data nomina; sed ex iis pugnatores vocantur Calasiries, et Hermotybies, qui horum nomorum sunt: nam in nomos, plagas, distincta est omnis Aegyptus.

165. Hermotybium quidem hae sunt plagae, Busiritis, Saitis, Chemmitis, Papremitis, insula Prosopitis quae vocatur, Natho ex dimidia parte. Ex his tractibus Hermotybies, quum plurimi, centum ac sexaginta millia sunt: quorum nemo quippiam opificii quaestuarii didicit, sed omnes rei militari vacant.

166. Calasirium hae aliae plagae sunt, Thebana, Bubastis, Aphthitis, Tanitis, Mendesia, Sebennytis, Athribitis, Pharbaethitis, Thmuitis, Onuphitis, Anysia, Myecphoritis. Haec plaga insulam incolit ex adverso Bubastis urbis. Hae plagae Calasirium, qui quum ad plurimos redacti sunt, ducenta quinquaginta millia virorum sunt; quibus nec ipsis licet ulli arti operam dare, sed solum rei militari, filio discente a patre.

167. Hoc ab Aegyptiisne mutuati sint Graeci, non possum liquido diiudicare, quum videam et apud Thracas et Scythas Persasque et Lydos, denique apud omnes fere barbaros haberi pro ignobilioribus civibus eos, qui artificia discunt, eorumque posteros: generosiores autem eos, qui a manuariis operibus abstineant, praesertim qui secernuntur ad bellum. Hoc itaque cum ceteri Graeci omnes didicerunt, tum praecipue Lacedaemonii. Corinthii autem minime contemnunt opifices.

168. His solis Aegyptiorum praeter sacerdotes hoc eximii honoris habebatur, ut singulis duodecim arurae essent exemtae et immunes: est autem arura centum cubitorum Aegyptiorum quoquoversus. Aegyptius vero cubitus Samio par est. Haec tamen universis illis exemta erant: istis vero per vices in orbem fruebantur, et nequaquam iidem. Calasirium milleni et Hermotybium per annos circa regem fungebantur singuli satellitum munere. Istis igitur praeter aruras dabantur quovis die alia, panis tosti pondo quinae minae unicuique, carnis bubulae binae,

vini sextarii quaterni. Haec semper satellitibus praebebantur.

169. Ubi igitur e diverso venientes, Apries cum auxiliariis, Amasis cum universis Aegyptiis ad urbem Momemphin pervenere, congressi sunt. Et peregrini quidem egregie pugnaverunt; tamen quod erant multo inferiores numero, ea parte victi sunt. Fertur Apries ea fuisse persuasione, ne deum quidem quemquam posse sibi adimere regnum: adeo videbatur sibi illud in stabili positum esse. Et tamen tunc congressus, proelio victus est, vivusque captus ad urbem Sain ductus in aedes, quae ipsius antea fuissent, tunc autem iam Amasis regia. Ibi aliquamdiu in regia alebatur, eumque Amasis honeste asservavit. Tandem incusantibus Aegyptiis non iuste agere, qui ipsorum et suum inimicissimum aleret, ita illis Apriem tradidit. Eum isti ubi strangulavere, paternis in monumentis sepelierunt, quae sunt in templo Minervae, proxime aedem ad laevam manum intranti. Saitae autem cunctos, qui ex illa sua praefectura fuere reges, intra templum sepelierunt. Etenim Amasis sepulcrum magis procul est ab aede, quam illud Apriae eiusque progenitorum.

170. In eius tamen templi aula hoc quoque est, ingens cubiculum lapideum, tum columnis excultum palmas arbores imitantibus, tum alio sumtu. Intra id cubiculum gemini postes stant, in quibus loculus est. Sunt etiam illius sepulcra, cuius nomen nuncupare hac in re, haud sanctum opinor, in urbe Sai in templo Minervae post aedem, contigua toti parieti Minervae: atque in fano stant ingentes ex lapide obeli, lacusque adest contiguus lapidea crepidine adornatus, et circum quaque probe elaboratus, magnitudine, ut mihi videbatur, quanta in Delo, qui dicitur orbicularis.

171. In hoc lacu imagines casuum eius noctu faciunt, quae vocant Aegyptii mysteria: de quibus cum plurimum ego norim, quo pacto habeant singula, tamen absit ut proloquar. De Cereris quoque initiatione, quam Graeci thesmophoria vocant a ferendis legibus, absit ut eloquar, nisi quatenus sanctum est de illa dicere. Danai filiae ritum hunc ex Aegypto extulerunt, eoque Pelasgiotidas feminas imbuerunt. Sed deinde omni Peloponneso a Doriensibus excita ritus ille abolitus est, a solis Arcadibus, qui ex Peloponnesibus relicti sunt et non exciti, conservatus.

172. Aprie sic sublato, regnavit Amasis e praefectura Saitica, et urbe cui nomen est Siuph. Eum

inter initia Aegyptii contemnere, nec ullius sane momenti ducere, ut qui plebeius paulo ante fuisset, nec insigni familia ortus. Eos vero postea Amasis solertia, non asperitate, conciliavit. Erant ei cum alia bona infinita, tum vero pelvis aurea, in qua tam ipse quam omnes convivae identidem pedes abluebant: hanc ille confregit, ex eaque daemonis statuam fecit et in appositissimo urbis loco statuit. Aegyptii simulacrum adeuntes, magnopere venerari. Id Amasis fieri a popularibus edoctus, convocatis Aegyptiis aperit, ex illa pelvi, in qua prius Aegyptii evomere immingereque, et in qua pedes abluere consuessent, factum esse simulacrum, quod tunc tantopere venerarentur. Itaque suum aiebat idem atque pelvis esse fatum: etsi enim antehac fuisset plebeius, in praesenti tamen esse ipsorum regem, eoque iubere, ut sibi honor haberetur atque reverentia. Hunc in modum ad se traduxit Aegyptios, ita ut aequum censerent ei servire.

173. Idem hoc usus est in rebus agendis instituto: ab aurora usquedum refertum esset forum, accurate negotia oblata agebat: deinde potabat, et inter compotores iocabatur, morionem agens ac scurram. Quibus rebus offensi amici, talibus eum verbis monebant, Rex, dicentes, non e dignitate tua te contines, qui ad nimiam te proiicis nequitiam. Nam deberes, venerando in solio sedens venerabilis, totum diem res administrare; ita et Aegyptii scirent a magno se viro regi, et tu melius audires. Nunc haudquaquam facis regia. His ille respondit; arcus illi qui obtinent, quum debent uti, intendunt; sed quando sunt usi, remittunt: si enim perpetuo intendantur, rumperentur, nec possent eis, quum res exigeret, uti: ita et hominis conditio est; si assiduo laborare studio, nec vicissim ad lusum vacare velit, pedetentim aut mente captus erit aut membris. Quod ego intelligens, utrique rei partem impertio. Haec amicis respondit.

174. Etenim fertur Amasis, quum privatus foret, fuisse potandi iocandique per dicteria studiosus, et vir neutiquam serius: et quum eum potantem ac voluptates sectantem necessaria defecissent, solitus circumeundo furari: illi vero dicentes eum ipsorum habere pecunias, negantem adducebant ad oraculum quodcunque eo in loco erat. Frequenter ab oraculis convictus, frequenter absolutus. Postquam vero etiam assequutus est regnum, ista egit: quicunque dii eum furti absolverant, horum templa neque curae habuit, neque ulla re ad refectionem donavit,

neque adiens sacrificavit, tanquam nihil mererentur, quod obtinerent falsa oracula: quicunque autem eum alligaverant furti crimine, hos tanquam vere deos, nec mendacia redentes oracula, maxime coluit.

175. Itaque partim in Sai Minervae fecit antefores, opus admirandum longe superans omnes tum sublimitate, tum magnitudine, et quantorum est magnitudo lapidum atque qualium eorum: partim ingentes colossos, et immanes androsphingas posuit. Alia quoque saxa praegrandia, ad reficiendum curavit, ducta partim e lapicidinis, quae iuxta Memphim sunt, partim utique quae maximae molis sunt, ex urbe Elephantina, quae Sai distat viginti dierum navigatione. Ad haec, quod non minime, sed maxime omnium admiror, attulit aedificium ex solido saxo ab urbe Elephantina, in quo afferendo triennium consumserunt duo millia ductorum virorum, qui omnes erant gubernatores. Huius autem tecti extrinsecus est unius et viginti cubitorum longitudo: quatuordecim, latitudo: octo, altitudo. Haec est dimensio exterior tecti ex uno lapide. Introrsum autem duodeviginti cubitorum et XX digitorum est longitudo: latitudo vero cubitorum duodecim, quinque sublimitas. Tectum hoc ad ingressum templi collocatum est; nam ob id aiunt in templum non fuisse pertractum ab architecto, quod quum suspirasset ille dum istud adtraheretur, utpote pertaesus diutini temporis operae, id advertens Amasis non permisit ulterius trahere. Nonnulli aiunt quendam ex iis, qui vectibus tectum agebant, ab illo fuisse oppressum, ideoque non introductum.

176. Donavit praeterea operibus ob magnitudinem spectatu dignis cum alia omnia templa insignia, tum in Memphi colosso supino ante templum Vulcani posito, longitudinis quinque et septuaginta pedum. Superque idem fundamentum gemini colossi stant ex Aethiopico lapide, vicenum pedum magnitudinis quilibet, hinc et hinc aedi illi assistentes: quorum instar est alter in Sai lapideus, eodem, quo hi in Memphi, habitu iacens. Ilud etiam quod in Memphi est templum Isidis ingens et spectatu dignissimum, Amasis est qui exaedificavit.

177. Sub Amasi rege dicitur Aegyptus fuisse maxime tunc beata, in iis quae vel regioni ex flumine, vel hominibus ex regione proveniunt, et urbes, quae incolerentur tunc, fuisse omnes numero illic viginti millia. Amasis quoque exstitit, qui legem hanc Aegyptiis praescripsit, ut singulis annis apud regionis praesidem Aegyptii omnes demonstrarent unde viverent: et qui

aut hoc non faceret, aut non demonstraret legitimam vitam, is morte afficeretur. Quam legem Solon ab Aegypto mutuatus, Atheniensibus tulit, quam illi, quod sit irreprehensa, assidue usurpant.

178. Amasis porro, quoniam Graecorum erat studiosus, cum alia in quosdam Graecos officia contulit, tum iis, qui in Aegyptum concederent, dedit facultatem Naucratin urbem incolendi; qui vero eorum nollent illic habitare, sed navigandi commercio frui, fecit potestatem certis locis aras et fana diis inaedificandi. Et maximum quidem eorum fanum ac praecipue famigeratum atque celeberrimum vocatur Hellenium, Graecum: civitates autem, quae communiter illud exstruxerunt, sunt Ionum quidem, Chius, Teus, Phocaea, Cloezomenae; Doriensium autem, Rhodus, Cnidus, Halicarnassus, Phaselis; Aeolensium vero, una Mitylene. Harum civitatum hoc fanum est, et ab his praefecti emporii praebentur. Ceterae civitates, quae consortes huius rei esse volunt, rem ad ipsos minime pertinentem vindicant. Separatim tamen aedificaverunt Aeginetae fanum Iovis; et Samii aliud, Iunonis; Milesii quoque Apollinis.

179. Nam emporium erat antiquitus sola Naucratis: praeter hoc in Aegypto aliud nullum. Quod siquis in aliud aliquod Nili ostium applicuisset, is necesse habebat deierare se venisse non volentem, datoque iureiurando eadem navi ad Canobicum navigare: et, si id minus per contrarios ventos posset, onera fluvialibus navigiis circumagere circa Delta, donec perveniret Naucratin; ita Naucratis in honore erat.

180. Jam vero quum Amphictyones templum, quod nunc Delphis est, trecentis talentis construendum locassent: nam illud prius sua sponte deflagraverat; Delphis autem imperata erat locationis quarta pars: tum Delphi, circa civitates vagi, et dona colligentes, non minimum ex Aegypto retulerunt; nam Amasis quidem eis mille talenta aluminis, Graeci autem, qui Aegyptum incolebant, vicenas minas donaverunt.

181. Cyrenaeis quoque amicitiam societatemque inter ipsos constituit, ita ut illinc uxorem etiam putaret sibi esse ducendam, sive feminae Graecae amore captus, sive alias ob benevolentiam Cyrenaeorum. Uxorem quam duxit, alii volunt filiam fuisse Batti, alii Arcesilai, alii Critobuli, inter suos populares viri spectati, nomine Ladicen: cum qua, dum Amasis in toro cubaret, coire non poterat, quum tamen aliis mulieribus uteretur. Id quum diu fieret, ad eam nomine Ladicen Ama-

sis, Tu vero, inquit, uxor veneficio me laesisti: ideoque nullo pacto vales effugere, quominus inter omnes mulieres teterrima pereas morte. Ladice, quum pernegando nihilo placatiorem redderet Amasin, vovit in templo Veneri, si ea nocte secum coiret Amasis, hoc enim sibi mali esse remedium, statuam Cyrenas se illi missuram. Facto autem voto, coiit statim cum ea Amasis, ac deinceps quoties adiret, cum ea coibat: ac postmodum eam perquam dilexit. Et Ladice votum deae persolvit, facta statua Cyrenasque missa, quae ad meam usque memoriam incolumis erat, extra urbem Cyrenensem posita. Hanc Ladicen Cambyses, postraquam Aegypto potitus est, cognito quaenam esset, Cyrenas illaesam remisit.

182 Dicavit item Amasis dona in Graeciam: partim quidem Cyrenas, statuam Minervae inauratam, et sui imaginem pictura adsimulatam: partim autem Minervae Lindi duo lapidea simulacra, et thoracem lineum spectaculo dignum: sed et in insulam Samum, Iunoni duplices sui imagines ligneas, quae magno in templo erectae erant post ianuas, ad meam usque aetatem. Samum quidem, propter hospitium, quod inter ipsum erat et Polycratem Aeacis filium: Lindum autem, nullius quidem hospitii gratia, sed quia templum quod Lindi est Minervae feruntur exstruxisse Danai filiae, illuc appellentes, quum filios Aegypti fugerent. Haec quidem donaria dedicavit Amasis, primusque mortalium Cyprum cepit, et compulit ad tributi solutionem.

HERODOTI

HALICARNASSEI HISTORIARUM

LIBER TERTIUS,

QUI INSCRIBITUR

THALIA.

Adversus hunc Amasin Cambyses Cyri filius, comparato cum ex aliis quibus imperabat, tum ex Graecis Ionibus Aeolensibusque exercitu, bellum movit ob hanc causam. Misso in Aegyptum legato, Cambyses petiit ab Amasi filiam; et petiit consilio cuiusdam Aegyptii, qui Amasi erat infensus, quod se potissimum ex omnibus Aegypti medicis Amasis ab uxore et liberis abstraxisset, amandando in Persas, quo tempore Cyrus ad Amasin miserat petitum ocularium medicum, omnium qui in Aegypto essent praestantissimum. Ob id infensus Amasi ille Aegyptius, instituit suadere Cambysi, ut ab Amasi filiam peteret; ut ille aut moerore afficeretur data filia, aut non data, Cambysi redderetur invisus. Amasis Persarum potentiam exosus horrensque, eam nec dare audebat, nec abnuere; nam Cambysem intelligebat non habiturum illam uxoris loco, sed pellicis. Haec reputans, ita sibi faciendum statuit. Erat Apriae superioris regis filia, nomine Nitetis, unica domus relicta, grandis admodum atque speciosa. Hanc puellam Amasis, vestitu pariter et auro exornatam, pro sua filia in Persas dimittit. Quam quum post aliquantum tempus Cambyses salutasset filiam Amasis appellans, ipsa ad eum, Rem, inquit, rex, ignoras, ab Amasi elusus, qui me ornatu comptam tibi transmisit, tradens pro sua filia, quum revera sim Apriae filia, quem ille dominum suum cum Aegyptiis rebellans interemit. Hic sermo et haec causa exorta Cambysem Cyri filium vehementer indignatum impulit adversus Aegyptum. Atque ita quidem memorant Persae.

2. Aegyptii autem Cambysem suum vendicant asseverantes, ex hac Apriae filia illum esse genitum: Cyrum enim fuisse, qui ad Amasin miserit super filia, non Cambysem. Quod quum dicunt, non recte dicunt. Equidem eos hoc non latet (nam siqui alii, profecto et Aegyptii recte norunt mores Persarum), apud eos primo vetari lege spurium regnare, si adsit legitimus. Praeterea Cassandanes filius erat Cambyses, Pharnaspe viro Achaemenida genitae, non mulieris Aegyptiae. Sed Aegyptii historiam invertunt, fingentes sibi cum Cyri familia intercedere cognationem. Et haec quidem ita habent.

3. Ceterum ille etiam sermo iactatur, mihi quidem non probabilis; mulierem quandam Persidem ad uxores Cyri introgressam, quum liberos Cassandanae assistentes forma ac statura egregia conspicaretur, supra modum admirabundam magnis tulisse illam laudibus: eique Cassandanen Cyri uxorem ita dixisse; Me, quae talium filiorum sum mater, Cyrus contemptui habet, illam vero ex Aegypto adquisitam aestimat. At illam infensam Niteti ista dixisse, et maiore natu filium Cambysen ei subiecisse, Ego vero, mater, ubi vir factus sim, summa Aegypti reddam ima, et ima summa: eaque dixisse ipsum circiter decem natum annos, admirantibus mulieribus. Et quum in virilem adolevisset aetatem, et regnum obtinuisset, huius rei memorem, Aegypto bellum intulisse.

4. Accessit huc et aliud quiddam ad hanc suscipiendam expeditionem. Erat quidam auxiliariorum Amasis, nomine Phanes, genere Halicarnassensis, vir consilio praestans, et in re bellica strennus. Hic Phanes nescio quid Amasi succensens, navigio profugit ex Aegypto, volens in colloquium venire Cambysis. Eum Amasis, quod inter auxiliares non parvi momenti esset, quodque de rebus Aegypti nihil non compertissimum haberet, insequi statuit, adhibita diligentia assequendi. Itaque ad hominem insequendum mittit cum triremi eunuchorum fidissimum, qui Phanem assequutus in Lycia cepit, sed ne sic quidem reduxit in Aegyptum; astu enim illum circumvenit Phanes. Nam postquam inebriaverat custodes, abiit in Persas, Cambysemque molientem adversus Aegyptum expeditionem, et quo pacto carentia aquis loca transmitteret ambigentem, adiit, eique cum alias Amasis res exposuit, tum vero quae ad transmittendum pertinebant, suadens, ad

regem Arabum mitteret oratum, ut sibi tutum praeberet transitum.

5. Hac enim duntaxat patet ingressus in Aegyptum. Nam a Phoenice usque ad fines Cadytis urbis, regio Syrorum, qui Palaestini vocantur: ab urbe Cadyti, non multo minore, ut mea fert opinio, quam Sardes, ab hac, inquam, emporia ad mare usque ad urbem Ienysum Arabicae ditionis sunt. Ab urbe Ienyso rursus Syriacae, usque ad paludem Serbonidem, iuxta quam Casius mons pertinet ad mare. A Serbonide palude, in qua Typho fertur occultatus, ab illa plane Aegyptus est. Hoc tamen intercapedinis, quod est inter urbem Ienysum et montem Casium et paludem Serbonidem, non exiguus tractus est, sed itineris instar trium dierum, vehementer aridus.

6. Verum quod pauci eorum qui in Aegyptum navigant, notum habent, hoc dicere institui. Ex omni Graecia, et praeterea ex Phoenice, portatur in Aegyptum bis quotannis testa vini plena: et tamen ibi ne unum quidem numero, ut sic dicam, dolium vinarium aspici iacens potest. Ubinam ergo, dicat aliquis, haec vasa consumuntur? Hoc quoque ego depromam. Praefectus populi necesse habet ex sua quisque urbe colligere vasa testacea omnia, quae Memphin portentur: eadem incolae Memphis aquae referta portare in haec arida Syriae loca. Ita testa adveniens et exemta in Aegypto, ad veterem in Syriam portatur.

7. Atque hoc modo Persae fuerunt, qui transitum hunc in Aegyptum apparaverunt, secundum ea, quae narrata sunt, aquam stipantes, simulatque Aegypto potiti sunt. Sed tunc, quum alicubi parata aqua non esset, Cambyses, audito hospitis Halicarnassensis consilio, missis ad regem Arabum nunciis, tutum iter precatus, obtinuit, data acceptaque ab eo fide.

8. Servant autem fidem Arabes inter homines ut qui maxime, quam hunc in modum paciscuntur: quoties foedus inire volunt, alius vir medius inter utrosque stans, acuto lapide secat volam iuxta maiores digitos eorum, qui foedus ineunt. Deinde sumpto flocco ex utriusque vestimento, inungit eo sanguine septem lapides in medio positos, inter inungendum invocans Bacchum et Uraniam. Hoc per istum acto, is qui facit foedus, amicis vadatur hospitem aut etiam civem, si cum cive res agitur. Amici vero et ipsi fidem colere iustum censent. Bacchum unum Deum, et Uraniam esse arbitrantur. Et capillorum tonsuram tonderi dicunt, quemadmodum

Bacchum ipsum tonsum fuisse: tondentur autem in rotundum tempora subradentes. Appellant vero Bacchum quidem Urotal, Uraniam Alilat.

9. Igitur postquam foedus cum nunciis a Cambyse missis iniit Arabs, talem rem commentus est: Camelos omnes posteaquam utribus camelinis aqua completis oneravit, egitque ad loca humore carentia, ibi Cambysis exercitum opperiebatur. Et iis que narrantur, hoc quod dixi, propius fidem est; tamen id quoque, quod minus credibile est, quandoquidem refertur, commemorare debeo. Est magnum in Arabia flumen nomine Corys, exiens in mare quod dicitur Rubrum: ab hoc flumine fertur Arabum rex canalem ex bovinis aliisque crudis coriis consutum, tanta longitudine produxisse, ut ad loca arida per illam aquam produceret: inque ipso arido solo ingentes cisternas fodisse, quibus recepta aqua servaretur: et quum sit a flumine ad hanc aridam duodecim dierum via, per tres canales in tres regiones aquam ducere.

10. Ceterum apud Nili ostium, quod dicitur Pelusium, castra habebat Psammenitus Amasis filius, Cambysem opperiens. Nam Amasin Cambyses in Aegyptum progressus vivum nactus non est, sed defunctum, quum quatuor et quadraginta annis regnasset: per quos nihil admodum magnae calamitatis est expertus: defunctus autem et conditus sepultus fuit in sepulchris in templo, quae ipse aedificaverat. Sub eius autem filio Psammenito iam regnante maximum exstitit Aegyptiis portentum: apud Thebas Aegyptias (quod neque prius unquam neque postea ad meam usque aetatem contigit, ut ipsi Thebani aiunt) pluit. Nam superiora Aegypti penitus pluviam non sentiunt: attamen Thebis tunc pluit guttis.

11. Persae porro ubi sicca transmissa subsedere vicini Aegyptiis, tanquam congressuri; ibi Aegyptiorum auxiliares Graeci et Cares, Phani, qui externum exercitum in Aegyptum adduxisset, exprobrantes, hoc rei in illum sunt machinati; filios, qui erant a Phane relicti in Aegypto, in castra perduxerunt, atque in conspectum patris, positoque in medio duorum exercituum cratere; dehinc productos singulos puerorum super craterem obtruncaverunt. Omnibus interfectis, vinum et aquam in craterem intulerunt: hunc sanguinem quum bibissent omnes auxiliatores, ita conflixerunt. Acri proelio commisso, perquam multis utrinque cadentibus, in fugam vertuntur Aegyptii.

12. Ibi ego rem mirandam vidi, ab indigenis edoctus: ossa utrorumque, qui in acie ista ceciderunt, quum seorsum iacerent circumfusa, ut ab initio distincta fuerant, seorsum erant Persarum, aliorsum Aegyptiorum; sed Persarum capita adeo fragilia sunt, ut si velis ferire vel solo calculo, perforare possis: Aegyptiorum autem ita firma, ea vix ictu lapidis perfringes. Cuius rei caussam hanc illi reddebant, facile mihi persuadentes, quod Aegyptii statim a pueris radere capita incipiunt, et os ad solem redditur compactum. Quae eadem caussa est non calvescendi; nam ex omnibus hominibus paucissimos quis Aegyptios calvos videat. His igitur hoc caussae est cur robusta capita gestent. At Persis cur fragilia sint capita, id in causa est, quod a principio assuefiunt in umbra nutriri, gestantes pileos tiaras. Haec ergo quidem talia vidi. Vidi item alia istis similia in Papremi, eorum qui una cum Achaemene filio Darii ab Inaro Afro sunt caesi.

13. Aegyptii quoque postquam ex acie terga dederunt, nullo ordine fugam capessebant. Ad quos, quum se recepissent Memphin, misit Cambyses per flumen navim Mitylenaeam cum caduceatore viro Persa, qui illos ad pactionem hortaretur. Isti ubi navim ingredi Memphin vident, frequentes ex castello effusi, navim corruperunt, virosque instar carnis dilaniatos in castellum afferunt. Et Aegyptii quidem post haec obsessi tandem in deditionem venerunt. Afri vero finitimi, ea quae Aegypto contigissent veriti, sese citra pugnam dediderunt, tributumque descripserunt ac dona miserunt. Cyrenaei quoque ac Barcaei itidem ut Afri timentes, similia et ipsi fecere. Cambyses munera, quae ab Afris venere, perbenigne accepit: quae autem a Cyrenaeis, succensens, ut opinor, quod exigua erant; quingentas enim minas argenti miserant, quas sua manu prehensas dispersit in milites.

14. Decimo autem die quam castellum in urbe Memphi cepisset Cambyses, Psammenito Aegyptorum rege, qui sex omnino regnarat menses, collocato in suburbio ignominiae gratia, cum Aegyptiis aliis, hoc fecit ut eius animum experiretur: filiam illius, vestitu servili indutam, cum hydria ad aquam emisit; et cum ea similiter indutas alias, quas delegerat, primorum virorum filias virgines. Quae ubi ad patres pervenerunt cum eiulatu ploratuque, ceteri quidem patres omnes conspectis filiabus tam malè acceptis, vociferati sunt atque fleverunt: Psammenitus autem prospiciens atque

intelligens, humi vultum demisit. Praetergressis puellis aquam ferentibus, secundo loco Cambyses ante oculos Psammeniti misit filium eius cum duobus millibus Aegyptiorum aequalis aetatis, vinctas fune cervices et frenata ora habentibus. Ducebantur autem luituri poenas his Mitylenaeis, qui cum navi fuerant ad Memphin obtruncati. Ita enim censuerant regii iudices, pro singulis suorum interfectis denos primorum Aegyptiorum interficiendos. Psammenitus praeter se exeuntes intuens, et filium animadvertens duci ad mortem, aliis Aegyptiis, qui circum sedebant complorantibus, et gravia sibi accidere dolentibus, ipse idem quod et in filia fecit. His quoque praetergressis, accidit ut quidam compotorum eius natu grandior, pristinis bonis elapsus, ac nihil habens nisi quae inops mendicus, obiret exercitum mendicans, nec non Psammenitum Amasis filium aliosque Aegyptios in suburbio considentes. Quem ut conspexit Psammenitus, erumpente ingente fletu, compellans nomine amicum, caput suum caedebat. Aderant autem ei observatores, qui ut quicquid ab illo fiebat in unoquoque exitu, Cambysi renunciarent. Ea quae fiebant admiratus Cambyses, misso nuncio percontatus eum est, inquiens: herus te Cambyses, Psammenite, interrogat, quamobrem tu, qui visa filia malo affecta, viso etiam filio ad mortem eunte, neque eiulasti neque flevisti, sed pauperem tanti feceris, tibi, ut ab aliis audivit, non propinquum. Et ille quidem ita interrogavit. Psammenitus autem his verbis respondit: O fili Cyri, domestica mala erant maiora, quam ut possem ea deflere: at lamentatio amici digna lacrymis fuit, qui e multis ac fortunatis opibus evolutus ad inopiam recidit, in limine senectutis. Haec ubi delata ab hoc, sibi videri illa recte dicta esse; ut vero ab Aegyptiis fertur, Croesum, quippe hic quoque adscitus erat ab Cambyse in expeditionem Aegyptiacam, illacrymasse, item qui aderant Persae, ipsique Cambysi commiserationem subiisse, ut protinus iusserit et filium ex his qui morti addicti essent liberari, et patrem e suburbio excitum ad se duci.

15. Sed filium quidem qui adierunt, non iam superstitem invenerunt, sed primo loco trucidatum: ipsum vero Psammenitum excitatum ad Cambysem duxerunt: ubi reliquum vitae vixit, nihil violentum passus. Qui si compertus etiam fuisset non affectasse res novas, accepisset Aegyptum ut eam procuraret. Nam consueverunt Persae in honore habere filios regum; quorum si qui etiam ab eis defecerint, tamen illorum filiis resti-

tuunt principatum. Quod eos ita facere consuesse, cum aliis permultis potest probari documentis, tum vero hoc, quod Thannyras Inari Afri filius recepit, quem pater obtinuerat, principatum; quodque Pausiris Amyrtaei filius et ipse paternum recuperavit imperium; quamvis Inaro et Amyrtaeo infestius nunquam ulli Persis mala intulerint. Nunc Psammenitus male cogitans, mercedem accepit; nam ad defectionem Aegyptios inducere deprehensus est; ac deinde a Cambyse convictus, epoto cruore taurino, statim exspiravit. Atque hunc in modum iste decessit.

16. Cambyses autem e Memphi in urbem Sain abiit, animo faciendi quae fecit. Etenim simulatque in aedes Amasis ingressus est, statim imperavit cadaver Amasis e conditorio efferri: deinde prolatum verberibus caedi ac pilos avelli, et stimulis pungi, omni denique contumelia infestari. Quod facientes postquam defatigati erant, (nam cadaver utpote conditum resistebat, nec quicquam diffundebatur,) iussit cremari: haudquaquam sancta iubens; quia Persae deum ignem esse arbitrantur. Quin apud neutros etiam moris est cremare cadavera: apud Persas quidem, propter id quod dictum est, quia nefas esse aiunt deo pascere cadaver hominis: apud Aegyptios autem, quia persuasum habent ignem animatam beluam esse, et omnia, quae nanciscitur devorare, et postquam devorando fuerit expleta, una cum ipsa re devorata emori. Non esse vero apud eos consuetudinem mortuum beluis tradendi; et ideo condiunt, ne iacens et humatus devoretur a vermibus. Ita neutris licitam rem iussit agere Cambyses. Quanquam, ut ipsi aiunt Aegyptii, non Amasis fuit, qui ista passus est, sed alius quidam Aegyptius eadem qua Amasis aetate; quem Persae Amasin arbitrantes vexaverunt. Memorant enim, Amasin quum ex oraculo audisset quae circa se defunctum futura essent, hoc modo rei venturae medendum putasse, ut hunc hominem, qui flagellatus erat, mortuum ad fores sepeliret intus conditorii sui, se autem in conditorii maxime intimo recessu collocari filio mandaret. Mihi tamen penitus non videntur haec Amasis fuisse mandata de sua sepultura et isto homine, sed vane ab Aegyptiis adornata.

17. Secundum haec Cambyses constituit triplex movere bellum, adversus Carthaginienses, adversus Ammonios, adversus Aethiopes macrobios, id est, longaevos, qui Africam ad australe mare incolunt: et adversus quidem Carthaginienses, nauticas copias; adversus

autem Ammonios, e peditatu subtractos; adversus vero Aethiopes, primo exploratores mittere, spectatum illic mensam, quae celebratur, Solis, nunquid revera esset: simulque res Aethiopicas inspecturos; interim per speciem dona laturos illorum regi.

18. Solis autem mensa talis esse memoratur; est in suburbio pratum, omnium quadrupedum assa refertum carne, quam per noctem singuli civium magistratus properant ponere; ad eamque, ubi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Haec autem ipsa a terra reddi assidue indigenae aiunt. Et mensa quidem, quae Solis vocatur, talis esse fertur.

19. Cambyses autem ubi statuit exploratores mittere, continuo ab urbe Elephantina arcessit ex Ichthyophagis gnaros Aethiopicae linguae. Interea dum istos arcessitum eunt, navales copias Carthaginem versus navigare iubet, verum haec exequuturos se Phoenices negaverunt, esse enim magnis foederibus se devinctos; neque facturos sancte, si adversus liberos suos militarent. Phoenicibus autem ire recusantibus, ceteri ad pugnandum haud idonei erant. Ita Carthaginienses servitutem Persarum evaserunt: quoniam Cambyses haud aequum ducebat vim afferre Phoenicibus, qui se ipsos Persis dediderant, et ex quibus nauticus omnis pendebat exercitus. Sed et Cyprii, qui sese ipsi dediderant Persis, adversus Aegyptum in militia erant.

20. Porro Cambyses posteaquam ex Elephantina advenerunt Ichthyophagi, eos ad Aethiopes misit, iussos cum ea dicere quae oporteret, tum dona ferre, amiculum purpureum, aureumque torquem ad cervicem, et armillas, ac unguenti alabastrum, cadumque vini Phoenicei. Aethiopes autem ii, ad quos misit Cambyses, feruntur esse maximi omnium hominum atque pulcherrimi: legibus autem et aliis uti eos, et separatis ab aliorum hominum legibus; tum vero et hac circa regnum, quod quem e popularibus maximum et pro magnitudine validum iudicant, hunc regem deligendum censent.

21. Ad hos itaque viros Ichthyophagi postquam venerunt, offerentes eorum regi munera, ita loquuti sunt; Cambyses Persarum rex, cupiens amicus tibi fieri atque hospes, nos misit, iubens ut in sermonem tuum veniremus, tibique haec dona dat, quorum ipse usu maxime delectatur. Ad hos Aethiops, gnarus ad explorandum venisse, talia respondit: neque rex Persarum vos ideo cum donis misit, quod magni faciat hospitii mei

foedus, neque vos vera loquimini, quippe qui ad explorandum meum imperium venistis: neque iustus ille vir est; si enim iustus foret, non alienam regionem affectaret, sed esset sua contentus, nec homines a quibus nihil laesus est in servitutem redigeret. Ei nunc vos hunc arcum date, ita dicentes, Rex Aethiopum regi Persarum consilium dat, quando Persae tam facile adducent tantae magnitudinis arcus, tunc adversus macrobios Aethiopes copiis exsuperans moveat bellum: interim diis gratias habeat, qui non dant mentem filiis Aethiopum, ut praeter suam velint aliam comparare regionem.

22. Haec loquutus arcum laxavit, eisque qui venerant dedit. Tum sumpto purpureo amiculo, rogavit quidnam esset et quomodo confectum, et quum Ichthyophagi veritatem de purpura deque tinctura dixissent, dolosos inquit esse homines, dolosa illorum vestimenta. Secundo loco de aureo sciscitatus ad cervicem torque atque armillis, ornatum eius rei exponentibus Ichthyophagis, risit, atque existimans vincula esse, inquit robustiora apud se vincula esse. Tertio sciscitatus de unguento, quum illi de confectura ungendique ratione dixissent, idem dixit quod de vestimento. Ubi ad vinum pervenit, eiusque conficiendi rationem audivit, maiorem in modum delectatus potu, percontatus est, quibusdam rebus vesceretur rex, et quod logissimum tempus vir Persa viveret. Isti dixerunt vesci regem pane, exposita tritici natura, plenumque et longissimum vivendi spatium homini proponi octoginta annos. Ad haec Aethiops, nihil se mirari inquit, si stercore vescentes paucis viverent annis, nam ne tot quidem annis victuros, nisi potu commiscerent: Ichthyophagis indicans vinum; hoc enim ipsos a Persis superari.

23. Interrogato vicissim rege ab Ichthyophagis de vita et victu, plerosque illorum ad centum viginti annos pervenire, nonnullos vero etiam hos transcendere: cibum eis esse carnem coctam; et potum, lac. Et quum exploratores de numero annorum mirarentur, ad fontem quendam eos duxisse, a quo loti efficiebantur magis nitentes, perinde atque olei foret; ab eodem olere, ac si violarum. Eam aquam aiebant exploratores adeo invalidam, ut in ea nihil innatare posset, ne lignum quidem, et quae leviora sunt ligno: sed omnia pessum ire in profundum. Haec aqua si vere apud illos est, qualis commemoratur, ideo macrobii, id est longaevi, existunt, quod ea per omnia utuntur.. Deinde a fonte digressos istos regem ad carcerem duxisse, ubi viri omnes

aureis vinculis erant alligati; est enim apud hos Aethiopes omnium rarissimum ac pretiosissimum aes. Inspecto etiam carcere, inspexerunt et mensam, quae dicitur Solis.

24. Post hanc ad extremum inspexere eorum conditoria, quae dicuntur e vitro esse constructa, hunc in modum: posteaquam mortuum sive Aegyptiorum sive alio quodam more extenuarunt, totum gypso inducunt, picturaque exornantes, exhibent, quoad fieri potest, effigiem eius: deinde cippum ei cavum e vitro, quod apud illos multum et labori aptum effoditur, circumdant: in cuius medio mortuus perlucet, nihil neque odoris ingrati, neque foeditatis ullius praebens, sed omnia conspicua ipsi illi cadaveri similiter habens. Hunc cippum qui maxime sunt propinqui, intra aedes annum tenent, offerentes ei omnium rerum primitias, hostiasque: post talia efferunt, circaque urbem statuunt.

25. Omnibus exploratores inspectis reversi sunt. Qui quum ista renunciassent Cambysi, continuo ira percitus adversus Aethiopes exiit in expeditionem, neque rei frumentariae apparatu indicto, neque secum ipso ratione inita, quod in extrema terrarum faceret expeditionem: sed veluti vesanus, nec mentis compos, simulatque Ichthyophagos audiit, profectus est cum omni peditatu, Graecis qui aderant, illic manere iussis. Ubi ad Thebas est ventum, delegit de exercitu quinquaginta circiter millia, quibus praecepit ut Ammonios diriperent, deinde oraculum Iovis incenderent: ipse cum reliquis copiis adversus Aethiopes contendit. Sed antequam itineris partem quintam confecissent, exercitum eius protinus commeatus omnis, quem secum habebat, defecerat: mox et iumenta ad vescendum defecerunt. Quibus rebus cognitis Cambyses si resipuisset ac retroduxisset exercitum, post id quod prius admiserat peccatum, vir sapiens exstitisset: nunc autem nihil pensi habens, assidue processit ulterius. Milites, quamdiu quod de terra sumerent habuerunt, herbis victitaverunt: at ubi ad sabulum pervenere, ibi nonnulli diram rem perpetraverunt; nam sortiti ex seipsis decimum quemque comederunt. Id audiens Cambyses, veritus suorum mutuam depastionem, intermissa adversus Aethiopes expeditione, retro rediit, Thebasque pervenit, multis de exercitu amissis. Et quum e Thebis descendisset Memphin, Graecos missos fecit, ut illinc abnavigarent. Et expeditio quidem adversus Aethiopes ita cessit.

26. Copiae autem, quae adversus Ammonios missae erant, e Thebis moventes, itineris duces sequebantur: ac visae sunt usque ad urbem Oasin pervenisse, quam incolunt Samii ii, qui feruntur e tribu Aeschrionia esse, septem dierum per arenas itinere distantem Thebis; quae regio vocatur lingua Graeca μακάρων νῆσοι, beatorum insulae; in hunc locum dicitur pervenisse exercitus. Deinceps quid de eo actum sit, praeter ipsos Ammonios, et eos qui ab his audierunt, nulli alii habent quicquam de illis dicere. Nam neque ad Ammonios pervenerunt, neque retro reversi sunt. Ab ipsis autem Ammoniis hoc fertur; quum ille ex urbe ista Oasi per arenam iter adversus ipsos facerent, iamque medio fere spatio inter Oasin et Ammonios piderent, ingruisse magnum ac validum austrum, et ingestis arenae cumulis eos obruisse, atque hunc in modum illos e conspectu sublatos: ita actum esse de hoc exercitu Ammonii memorant.

27. Cambyse autem Memphin regresso, Apis, quem Graeci vocant Epaphon, apparuit. Aegyptii, quum Apis exstitisset, vestimenta quampulcherrima ferebant, et celebrando festo operam dabant. Id tunc facientes Aegyptios Cambyses intuens, et omnino ratus illos ob res a se male gestas esse in his gaudiis; praepositos arcessebat urbis Memphis; quos, ubi praesto fuerunt, interrogabat, quid ita, quum antea se apud Memphin agente, nihil tale fecissent, tunc vero, posteaquam ipse rediisset parte copiarum amissa. Illi dixere, ipsis deum adesse conspicuum, longo autem temporis intervallo apparere solitum, et quum id fit, tunc omnes Aegyptios solennem celebrare laetitiam. Haec ubi audiit Cambyses, mentiri eos respondit, ac tanquam mentientes morte multavit.

28. His interemptis, mox iussit sacerdotes in conspectum venire, quibus eadem referentibus, dixit: si quis deus mansuetus ad Aegyptios veniret, fore ut se non lateret. Haec loquutus iussit sacerdotes adducere Apin: illi ad eum ducendum perrexerunt. Est autem hic Apis, idemque Epaphus, e vacca iuvencus genitus, quae nullam dum aliam potest admittere genituram: eamque Aegyptii aiunt fulgure ex coelo tangi, et ictam parere ex eo Apin. Habet autem hic vitulus, qui appellatur Apis, haec signa; est bene niger, in fronte album figurae quadratae: in tergo effigiem aquilae; in cauda duplices pilos; in lingua scarabeum.

29. Posteaquam Apin sacerdotes duxere, Cambyses veluti vecordior, educto gladiolo, quum vellet ferire ventrem eius, femur percussit, cachinnansque ad sacerdotes inquit, O capita nequam! huiuscemodi dii existunt, sanguine atque carne praediti, et ferrum sentientes? dignus nimirum Aegyptiis hic deus; vos certe me ludibrio habuisse non iuvabit. Haec loquutus imperavit iis, quorum hoc munus erat, ut sacerdotes quidem acriter flagris caederent; ceteros autem Aegyptios ut quemque festo deditum adipiscerentur, occiderent. Ita festum sane solutum est Aegyptiis, sacerdotes mulcati; Apis sauciatus femur, in templo iacens extabuit; quem e vulnere extinctum tumulavere sacerdotes clam Cambyse.

30. Ob hoc scelus, ut Aegyptii aiunt, continuo Cambyses insaniit: qui ne antea quidem compos mentis fuerat. Et primo quidem pravum impetum vertit in Smerdin, ex eisdem parentibus fratrem, quem ex Aegypto remiserat in Persas, livore commotus, quod ille Persarum solus arcum, quem Ichthyophagi ab Aethiope tulerant, ad duos fere digitos adduceret: quod nemo alius e Persis poterat. Smerdi igitur in Persidem profecto, hanc vidit in somnis Cambyses visionem: nuncius quidam e Persis veniens, ei nunciare est visus, Smerdin in regio sedentem solio coelum contigisse vertice. Ob id Cambyses sibi metuens, ne se necato a fratre occuparetur imperium, ad illum interimendum mittit in Persas Prexaspem, sibi ex Persis virum fidelissimum. Hic ubi Susa ascendit, Smerdin necandum curavit, ut quidam aiunt, quum eduxisset venatum: quidam, quum ad mare Rubrum duxisset, demersisse. Et hoc quidem initium malorum Cambysis exstitisse ferunt.

31. Secundum autem perpetravit in sorore, in Aegyptum eum sequuta: quae et uxor et ex eisdem parentibus erat soror; quam hunc in modum duxerat. Antehac enim Persae nequaquam consueverant sorores in matrimonium accipere. Cambyses, unius sororum amore captus cupidusque deinde ducendi illam uxorem, quum rem insolitam cogitaret efficere, arcessit eos qui regii iudices nominantur. Hos Cambyses percontatur, num qua lex sit, quae iubeat volentem cum sorore contrahere matrimonium. Hi autem regii iudices, probati e Persis viri, suntque perpetui, donec moriantur, aut iniustum aliquid in illis compertum fuerit. Isti apud Persas inter litigantes et legum patriarum sunt interpretes, et ad eos

omnia referuntur. Percunctanti igitur Cambysi et iuste et caute illi respondebant, negantes ullam se invenire legem, quae iubeat fratrem ducere sororem: tamen invenisse aliam legem, qua liceat regi Persarum facere quicquid libeat. Ita neque legem solverunt metu Cambysis: et ne legem tuentes ipsi perirent, aliam adinvenerunt adiutricem eius, qui sorores in matrimonium ducere vellet. Tunc itaque Cambyses eam quam amabat accepit uxorem, et post non multum temporis habuit alteram. Harum iuniorem, quae ipsum in Aegyptum comitata est, interemit.

32. Cuius mors, quemadmodum illa Smerdis, anceps refertur. Graeci siquidem aiunt, dum Cambyses duos catulos, alterum leonis, alterum canis, committit, hanc interfuisse spectaculo: et quum caninus catulus superaretur, alterum catulum huius fratrem abrupto loro supervenisse; et quum duo essent, ita superiores catulos leunculo exstitisse. Et Cambyse, dum id cernit, capiente voluptatem, hanc ei assidentem illacrymasse. Ea re animadversa, Cambysem interrogasse quidnam lacrymaretur: et mulierem, dixisse se, viso catulo, suppetias fratri ferente, ideo flere, quod subierit memoria Smerdis, cuius sciret neminem fore ultorem. Ob hoc dictum Graeci illam a Cambyse fuisse interemptam memorant: Aegyptii vero ob id, quod, quum ad mensam discumberetur, mulier lactucam sumsit, eiusque decerptis foliis, virum interrogavit, utrum discerpta lactuca an densa pulchrior foret; quum hic respondisset, densam; hanc, inquit, lactucam aliquando imitatus es, qui Cyri domum denudasti. Ibi Cambysem indignatione percitum, insiluisse calcibus in praegnantem, eamque abortu edito decessisse.

33. Ita Cambyses in domesticis insaniit, sive id propter Apin, sive aliunde, qualia multa humanis mala contingere solent. Etenim fertur Cambyses ab ipsis natalibus grandi quodam laborasse morbo, quem quidam sacrum nominant: ut haud ab fide fuerit, quum corpus magna infirmitate correptum esset, eius nec mentem sanam fuisse.

34. At in alios quoque Persas haec insanivit; narratur enim dixisse Prexaspi, quem praecipuo honore prosequebatur, et qui ad eum nuncios perferebat: et cuius filius pincerna Cambysis erat, qui honos et ipse non parvus est. Fertur autem dixisse ista; O Prexaspes, quemnam virum Persae me esse censent? aut qualem de me sermonem habent? Et iste respondisse, O Domine, ce-

tera quidem omnia in te magnis laudibus fuerunt; sed nimis te vino deditum aiunt esse. Haec ille de Persis dicebat. Quibus ille indignatus, Siccine, respondit, me Persae aiunt vino deditum desipere, nec mentis esse compotem? ergo in eo, quod prius dixerunt, non veri fuere. Nam Persas consiliarios suos, in quibus et Croesum, antea interrogarat Cambyses, qualis ipse videretur esse vir ad patrem Cyrum consummandum. Et illi responderant, eum patre esse praestantiorem; qui et omnia illius haberet, et Aegypti ac maris accessionem adiecisset. Haec quidem Persae dicebant. Sed Croesus qui aderat, displicente ei quae dicebatur sententia, ad Cambysem inquit, Mihi tu quidem, Cyro genite, non videris adaequandus esse patri; nondum enim tibi est filius, qualem ille te reliquit. Hoc audito Cambyses delectatus, Croesi sententiam approbavit.

35. Quorum nunc reminiscens, ad Prexaspem iratus inquit: intellige nunc ipse, nunquid Persae vera dicant, an haec dicentes ipsi desipiant. Nam si filii tui, qui in anteforibus stat, medium cor non frustrato ictu percussero, constabit nihil Persas dicere: sin aberravero, constabit Persas vera loqui, et me esse male sanum. Hoc loquutus, intendit arcum, puerumque percussit: atque eum collapsum iussit discindi, et inspici ictum, quumque in corde sagitta esset inventa, ob id laetabundus atque cachinnans, ad patrem pueri inquit: Prexaspes, facta est tibi fides non me insanire, sed Persas delirare. Verum nunc mihi dicito, quemnam ex omnibus iam noris ita ad destinatum emittere sagittas. Prexaspes hominem advertens esse vesanum, et de se timens, Here, inquit, ego ne deum quidem arbitror tam probe sagittare. Et tunc quidem hoc perpetravit. Alibi duodecim Persarum primores similiter ob nullum dignum crimen necavit, vivos in caput defodiens.

36. Haec eum facientem Croesus Lydus censuit his verbis admonendum: O rex, cuncta noli aetati atque irae indulgere; sed cohibe et compesce teipsum. Conducit tibi te providum esse: sapientis est prospicere; tu vero viros interficis tuos populares ob nullam dignam causam, interficis pueros; qualia si multa facies, considera ne abs te deficiant Persae. Enimvero pater tuus Cyrus, etiam atque etiam mandans, mihi praecepit, ut te commonefacerem, subiiciendo quicquid boni comperirem. Hoc illi Croesus benevolentiam prae se ferens consulebat. Ad quem Cambyses respondens, Etiam mihi tu, inquit, dare consilium audes, tanquam bene-

aut tuam ipsius patriam administraris, aut patri meo consulueris, iubens eum, traiecto flumine Araxe, tendere adversus Massagetas, quum illi vellent transire in terram nostram? Imo et teipsum male praesidentem patriae tuae, et Cyrum tibi credentem perdidisti, sed ob id nequaquam gaudens; quia olim iam debebam captare in te occasionem. Cum hoc dicto arcum corripiebat velut eum confixurus, at Croesus cursu se foras proripuit. Hic ubi non poterat sagittare, mandat ministris ut illum comprehensum interimant. Ministri, qui mores eius nossent, Croesum abdiderunt: hac ratione, ut si Cambyses facti poenitens requireret Croesum, eo producto donis afficerentur, quod illum servassent: si non poeniteret, nec desideraret, tunc hominem interficerent. Nec ita multo post quum Cambyses desideraret Croesum, ministri hoc animadvertentes, enunciant ei hominem superesse. Cambyses se quidem inquit Croeso superstiti gaudere, sed iis, qui illum servassent, veniam non daturum, sed mortem allaturum: prout et fecit.

37. Multa huiusmodi tam in Persas quam in socios, Cambyses insanivit, Memphi desidens, et vetusta recludens sepulcra, mortuosque inspiciens. Ipsum vero etiam templum Vulcani adiit, multo derisu simulacrum illius quoque cavillatus est, siquidem statua Vulcani simillima est Pataicis Phoeniciis, quos in triremium proris Phoenices circumferunt: quos qui non vidit, ego ei indicabo, esse illos Pygmaei viri imagine. In templum quoque Cabirorum, inaccessum alteri quam sacerdoti, ingressus est: et quae illic erant simulacra, multis in ea iocatus verbis, concremavit. Sunt autem et haec Vulcani similia, huius autem illos aiunt ese filios.

38. Undique igitur mihi clarum esse videtur Cambysen vehementer insanisse; non enim tentasset templa ac ritus habere ludibrio. Nam siquis uviversis hominibus praebeat facultatem optimas ex omnibus leges eligendi, profecto cunctas singuli rimati, suas eligerent. Ita existimant quique longe pulcherrimas esse suas leges. Non igitur credibile est alium virum quam dementem, talia ludibrio habere. At ita de suis omnes homines legibus sentire, licet cum multis aliis coniecturis colligere, tum etiam hac: Darius accitos qui in sua ditione erant Graecos percontatus est, quanta pecunia vellent defunctis parentibus vesci: illis negantibus ulla se pecunia hoc esse facturos, Darius dehinc Graecis praesentibus, et quae dicebantur per interpretem discentibus, vocatos ad se eos Indos, qui Calatiae nominati vescuntur parentibus, ro-

gavit, quantum accipere pecuniarum vellent, ut patres defunctos igne comburerent. Indi vehementes reclamantes, meliora illum ominari iubebant. Atque ita moribus comparatum est: recteque mihi videtur Pindarus in carmine fecisse ut diceret, Legem omnium esse regem.

39. Ceterum dum Cambyses in Aegypto bella gerit, Lacedaemonii quoque intulere bellum Samo et Polycrati Aeacis filio, qui Samum vi occupatam habebat, et urbem inter initia trifariam paritus erat cum fratribus, Pantagnoto et Sylosonte: quorum deinde altero necato, altero, qui erat iunior, Sylosonte eiecto, totam obtinebat Samon, et inito foedere hospitii cum Amasi rege Aegypti, mittens munera, vicissimque ab eo accipiens: brevique statim tempore res eius adeo processerunt, ut per Ioniam ceteramque Graeciam celebrarentur. Quocunque enim bellare intenderet, cuncta ei prospere cedebant, quum haberet centum naves quinquaginta remorum, mille sagittarios, invadens omnes sine ullo cuiusquam discrimine: quod diceret, se magis gratificaturum amico, si ei quae abstulisset redderet, quam si nihil omnino auferret. Multas itaque hic insulas, multa etiam in continente oppida capiebat. Sic etiam Lesbios cum omnibus copiis opem Milesiis ferentes navali praelio vicit cepitque, qui omnem fossam moenia Sami ambientem vincti foderunt.

40. Atque res Polycratis tantopere secundas esse non latuit Amasin, cui hoc curae erat. Sed quum assidue forent multo secundiores, Amasis libellum Samum misit in haec verba scriptum, Amasis Polycrati ita inquit, Mihi quidem, feliciter agi cum viro amico et hospite, audire voluptati est: tamen tuae magnae prosperitates mihi non placent, qui intelligo quam invidum numen sit. Quod ad me attinet, velim tum memet, tum eos, qui mihi curae sunt, in rebus quibusdam prosperos esse, in aliis offendere, et ita aevum traducere mutua vicissitudine, quam in omnibus felices agere. Nec enim adhuc de quoquam audisse me puto, qui quum in omnibus felix fuisset, non tandem male perierit funditus. Tu itaque mihi obtemperans, hoc adversus prosperitates agito: dispice, quid tibi sit quod plurimi facias, et in quo amisso maxime sis animo doliturus; id ubi inveneris, ita abiicito ut nunquam ad homines veniat. Quod si prospera tua deinceps iam non fuerint talibus variata adversis, medeare tu tibi subinde eo modo quem tibi subieci.

41. Haec quum legisset Polycrates, et in animum demisisset, tanquam bene sibi ab Amasi praecepta, disquirebat quodnam suorum ornamentorum esset, quo amisso maxima ipse molestia afficeretur; atque hoc tandem quaeritando invenit. Erat ei gemma signatoria smaragdus, quam gestabat, auro vincta, opus Theodori Samii, Telecle geniti: hanc ubi abiiciendam statuit, ita faciebat. Quinquaginta remorum navem viris instructam conscendit, et mox in altum provehere iubet. Et postquam ab insula procul aberat, detractum sibi sigillum, iis qui una navigabant inspectantibus, abiecit in pelagus: hoc acto renavigavit.

42. Reverso domum, quum ex iactura afficeretur, quinto sextove quam haec acta sunt die, hoc ei casu evenit. Piscator quidam captum a se piscem, grandem sane ac pulcrum, putavit dignum quo Polycratem donaret; eum ad fores quum attulisset, dixit se in conspectum Polycratis ire velle: a ianitore permissus, donans Polycrati piscem, O rex, inquit, hunc ego quem cepi piscem, etsi operis manuariis vitam tolero, tamen non iudicavi ferendum a me esse in forum, sed te tuaque potentia dignum. Eum itaque affero tibi, donoque. His verbis iste delectatus, ita respondit, Tu vero probe, nec facto solo, sed etiam oratione apud me iniisti gratiam: ad coenamque te vocatum volo. Haec magni faciens piscator domum abiit. Piscem ministri scindentes, offendunt in eius alvo sigillum Polycratis. Quod ubi viderunt sumpseruntque ad Polycratem laetabundi quam celerrime tulerunt. Eoque illi reddito, referebant quo pacto fuisset inventum. Polycrates, quum illi subvenisset divinam rem esse, singula quaeque a se gesta retulit in libellum, et qualia accidissent ipsi. Haec ubi scripsit, in Aegyptum misit.

42. Amasis perlectis tabellis quae a Polycrate venerant, intellexit fieri non posse, ut homo alterum hominem casui eventuro eripiat; et Polycratem non bene moriturum esse, qui per omnia fuisset felix, adeo ut ea quoque reperiret quae abiecisset. Misso itaque Samum caduceatore, dixit se ius cum illo hospitii solvere. Quod ideo fecit, ne in tristem aliquem gravemque casum incidente Polycrate, animi dolorem veluti de hospite ipse contraheret.

44. Adversus hunc igitur Polycratem in omnibus feliciter agentem, Lacedaemonii sumpsere expeditionem, acciti ab iis Samiis, qui post haec Cydoniam in Creta condiderunt. Polycrates, misso ad Cambysem Cyri filium

adversus Aegyptum copias comparantem, oravit ut, nunciis etiam ad se in Samum missis, rogaret aliquid copiarum. Quod audiens Cambyses, libenter in Samum misit ad rogandas a Polycrate nauticas copias, quas secum iste mitteret in Aegyptum. Polycrates, delectos quos maxime suspicabatur ex urbanis ad rebellionem spectare, quadraginta triremibus misit, Cambysi mandans ne retro eos dimitteret.

45. Et alii quidem negant Samios, a Polycrate missos, in Aegyptum pervenisse: sed quum in Carpathio mari cursum tenerent, inter se colloquutos decrevisse ne ulterius tenderent. Alii vero aiunt pervenisse in Aegyptum, ac retentos inde fugam fecisse: et in Samum redeuntibus Polycratem cum classe occurrentem pugnavisse; sed illos, qui redirent, superasse, atque in insulam exisse: ubi mox pugna pedestri commissa victi sint, atque ita Lacedaemonem navigarunt. Sunt, qui dicant eosdem ab Aegypto redeuntes adversus Polycratem victoria potitos fuisse: non recte dicentes mea opinione. Neque oportuisset illos adsciscere Lacedaemonios, si per se satis ad expellendum Polycratem validi erant. Praeterea nec rationi convenit, ut cui permulti aderant, cum auxiliarii mercede conducti, tum domestici sagittarii, is a Samiis redeuntibus numero paucis fuerit superatus; eorum vero qui sub ipso erant civium liberi atque uxores Polycrates in navalia coactos tenebat paratos, ut si ii eum redeuntibus aliis prodidissent, una cum ipsis navalibus combureret.

46. Posteaquam vero Samii qui a Polycrate exacti erant, Spartam venerunt, introducti ad principes multa sane, qualia supplices, commemorabant. Quibus illi primo congressu responderunt, eorum quae isti dixissent, priorum quidem oblitos esse, posteriora vero non intelligere. Secundo deinde congressu nihil isti dixerunt, nisi allato panario, illud pane indigere. Quibus iidem responderunt panario curiose actum fuisse. Itaque opem ferendam eis censuerunt.

47. Ac postea instructi Lacedaemonii, cum exercitu in Samum se contulere, referendae gratiae causa, ut Samii aiunt, quia illis aliquando Samii adversus Messenios navibus auxilio fuissent: ut vero Lacedaemonii aiunt, non tam ut tutarentur precantes Samios, militavisse, quam ut ulciscerentur rapinam crateris, quem Croeso portabant, et thoracis ab Amasi rege Aegypti ipsis muneri missi. Interceperant enim Samii priore quam craterem anno, thoracem quoque, lineum quidem,

et frequentibus animalium figuris intextis, sed ornatur auro lanisque ex xylo: ob id admiratione dignum faciunt thoracis licia: nam quum ea tenuia et exilia, tamen in se habeant trecenta ac sexagena licia, singulaque conspicua. Qualis alter est, quem in Lindo Minervae idem Amasis dedicavit.

48. Adiuverunt autem hanc expeditionem contra Samios, ut fieret, admodum promte Corinthii. In quos etiam Samiorum exstabat iniuria aetate, quae praecessit hanc expeditionem, circa idem tempus facta, quo crater interversus est. Nam quum Periander Cypseli filius Sardes ad Alyattem castrandos mitteret trecentos primorum in Corcyraeis liberos, Corinthiique qui illos ducebant, Samum appulsi essent, audita Samii causa cur Sardes ducerentur, primum edocuere pueros, ut templum Dianae tangerent; deinde non negligentes abstrahere supplices a templo, quum arcerent Corinthii eos alimentis, ipsi Samii diem solennem egerunt, quem nunc quoque per eadem facta celebrant. Quum enim nox advenerat, quamdiu pueri supplicabant, exercebant choros virginum atque adolescentium, et interea dum choros exercent, ritum instituerunt ferendi esculenta ex sesamo ac melle, ut ea Corcyraeorum filii rapientes, alimenta haberent; id eousque factum est, dum Corinthii puerorum custodes, illis omissis, abierunt. Ita Samii pueros Corcyram reduxerunt.

49. Quod si defuncto Periandro, Corinthiis cum Corcyraeis amicitia exstitisset, illi non fuissent portio expeditionis huius contra Samium propter hanc causam: nunc ab ipsis insulae originibus, Corinthii semper cum Corcyraeis discordes mutuo fuere. Huius igitur rei memores Corinthii, exulcerato in Samios animo erant. Mittebat autem Periander ad castrandum Sardes primorum Corcyraeorum delectos pueros, ulciscendi gratia quia Corcyraei priores nefandum facinus in eum admiserant.

50. Nam posteaquam uxorem suam Melissam necavit Periander, accidit, ut ad superiorem calamitatem haec quoque altera illi accederet. Erant ei ex Melissa filii duo, unus septem et decem, et alter duodeviginti natus annos, hos avus maternus Procles, Epidauri tyrannus, ad se accitos, ea prosequebatur charitate qua par erat nepotes ex filia sua. Quos ubi remittendos statuit deducens illos, Scitis, inquit, pueri, quis matrem vestram interemerit? Hoc dictum, ei qui maior natu erat nullius momenti habitum est; at minor, cui nomen erat

Lycophroni, ita hoc audito doluit, ut reversus Corinthum, patrem neque salutaverit, neque colloquentem vicissim alloqui, ac ne interroganti quidem sermonem aliquem dederit. Eum Periander tandem sane indignatus a laribus eiecit.

51. Quo eiecto, maiorem natu percontatur quanam cum ipsis avus esset colloquutus. Ille narrare ut ipsos avus amantissime accepisset: non tamen recordari dicti illius quod Procles in eis dimittendis dixisset, quippe quod in mentem non admiserat. Periander dicere, nulla ratione fieri posse quin aliquid illis ab avo sit suggestum: itaque percontando instare. Tunc adolescens in memoriam revocans, id quoque narravit. Quod Periander etiam animo attendens, tamen nolens aliquid concedere mollius, mittit illuc apud quos filius ab ipso expulsus degebat, prohibens ne adolescentem in domum excipiant. Iste postquam eiectus in alteram se domum conferebat, ab hac quoque abigebatur; et Periandro iis qui acceperant comminante, atque ut arcerent imperante, expulsus in aliam sodalium domum se contulit. Illi, etsi formidantes, tamen quod esset Periandri filius, hominem excipiebant.

52. Ad postremum Periander per praeconem edici iussit, quisquis hunc in domum reciperet, aut alloqueretur, eum sacram mulctam Apollini debiturum, quantam ipse nuncupans. Ad hoc edictum quum nemo affari, nemo illum in domum recipere vellet, etiam ipse ille non putavit rem illicitam esse tentandam: sed sustinens in porticibus assidue versabatur. Quem die quarta Periander illuvie et inedia enectum cernens, misertus est, depositaque ira propius accedens, Fili, inquit, utrum est optabilius, istud quod cum maxime toleras, an tyrannidem atque opes, quas ego nunc habeo, accipere patri obtemperantem? qui quum sis et meus filius et beatae Corinthi rex, praeoptasti mendicam vitam, obsistendo atque irascendo illi cui minime debebas. Nam si quid calamitatis in iis accidit, unde suspicionem in me habes, id mihi accidit, eiusque ego particeps eo magis sum, quod ipsi id perpetravi. Tu vero, edoctus quanto satius sit invideri quam miserabilem esse, et simul quid sit in parentes et in maiores irasci, abi domum. Periander quidem his verbis filium corripiebat: ille autem nihil patri respondit, nisi ipsum sacram mulctam deo debere, quod in ipsius colloquium venisset. Ibi Periander animadvertens malum filii desperatum esse et insuperabile, ab oculis eum amandavit, navigio in Corcyram missum; nam et huic imperitabat. Eo autem amandato, bellum socero

Procli intulit, tanquam praecipuo harum rerum autori expugnataque Epidauro, Proclem cepit, quem tamen vivum servavit.

53. Interiecto deinde tempore quum senuisset Periander, sibique esset conscius se non esse amplius pare administrandis obeundisque rebus, mittit Corcyram arcessitum Lycophronem ad tyrannidem. Nam in maiore filio nihil animadvertebat, hebetiorque esse ei videbatur. Lycophron ne interrogatione quidem est dignatus eum qui sibi nuncium afferebat. At Periander in amorem adolescentis propensus, rursus ad eum misit sororem filiam suam, sperans fore ut ille huic praecipue auscultaret. Haec, ubi venit, O puer, inquit, mavis tyrannidem recidere in alios, et domum patris dispergi potius, quam tu ipse habere illuc reversus? Redi quaeso ad penates, desine tibimet officere. Ambitio est possessio sinistra: noli malum medicari malo. Multi iustis mansuetiora praeponunt, multi iam et materna quaerentes, paterna amiserunt. Lubrica res est tyrannis, cuius multi sunt amatores. Pater senex iam est provectaeque aetatis: tua ipsius bona ne aliis tradas. His illa verbis ad inducendum maxime appositis fratrem alloquebatur, a patre edocta. Cui iste respondens, negat se iturum Corinthum quoad patrem superesse audiret. Hoc quum mulier renunciasset, tertio Periander caduceatorem mittit, qui dicat se quidem in Corcyram velle concedere, sed ut hic Corinthum proficiscatur ad tyrannidis successionem. Id approbante filio, Periander Corcyram ipse veniebat, iuvenis Corinthum. Haec omnia edocti Corcyraei, ne ad ipsorum regionem Periander accederet, adolescentem interimunt. Ob haec igitur Periander de Corcyraeis ultionem sumebat.

54. Lacedaemonii ingenti cum classe ubi pervenere, Samum obsederunt, succedentesque muro, turrem mari imminentem in suburbio transcenderunt. Sed mox cum magna manu suppetias ipso ferente Polycrate, reiecti sunt. Sed quum a superiore turri, quae tergo montis imposita erat, erupissent tum auxiliarii, tum ipsorum Samiorum permulti, et aliquantisper Lacedaemonios sustinuissent ipsi, retro fugam fecerunt, insequentique ab hoste caedebantur.

55. Quod si Lacedaemonii qui aderant, Archiae et Lycopae similes extitissent eo die, capta Samus fuisset. Siquidem Archias et Lycopes soli cum Samiis intra murum simul irruentes, interclusa ad redeundum via, intra urbem Samiorum occubuerunt. Equidem ipse cum tertio ab hoc Archia alio Archia, qui Archiae nepos, Samii

filius, congressus sum apud Pitanen, huius enim populi erat, qui ex omnibus hospitibus maxime Samios honorabat, dicente patri suo nomen Samio fuisse inditum, quod ei pater Archias strenue pugnans in Samo mortem oppetisset: se vero ideo Samiis honorem habere, quod avus suus fuisset a Samiis publica affectus sepultura egregie.

56. Lacedaemonii, quadraginta diebus in obsidendo absumptis, quum in suscepta re nihil admodum proficerent, in Peloponnesum redierunt. Fertur, Polycratem, ut rumor quidam temerarius emanavit, magnum numerum monetae patriae e plumbo percussisse, eamque auro induxisse, ac Lacedaemoniis dedisse: atque ea accepta illos recessisse. Hanc primam expeditionem Lacedaemonii Dorienses in Asiam susceperunt.

57. Samii, qui Polycrati bellum intulerant, posteaquam a Lacedaemoniis se relictum iri vident, et ipsi transmiserunt in Siphnum, deficiebant enim pecuniae. Vigebant autem ea tempestate Siphniorum res, erantque inter insulares locupletissimi, ut quibus in insula essent auraria et argenti metalla, unde tantum pecuniae redibat, ut ex decimis eius reponeretur apud Delphos thesaurus locupletissimo cuique par. Siphnii autem ipsi pecuniam, quae quotannis conficiebatur, distribuebant. Qui dum thesaurum parabant, nunquid diu permanere possent ipsis praesentia bona, consuluere oraculum. Eis ita Pythia respondit:

> Quum tamen in Siphno fuerint prytaneia cana,
> Cana fori facies, tunc vir vafer adsit oportet,
> Qui notet e ligno agmen, legatumque rubentem.

Erant eo tempore Siphniis forum et prytaneium Pario lapide exculta.

58. Hoc autem oraculum Siphnii neque tunc statim, neque post adventum Samiorum intelligere potuerunt. Nam Samii quum primum ad Siphnum adplicuissent, miserunt ad urbem cum legatis unam e navibus. Veteri autem instituto naves omnes erant rubrica delibutae: atque hoc erat quod Siphniis Pythia praedixit, ut observarent ligneum agmen ac rubrum legatum. Nuncii igitur ubi pervenere, decem sibi talenta mutuari Siphnios precabantur. Negantibus Siphniis se mutua daturos, Samii eorum agros populabantur. Id audientes Siphnii, continuo occurrentes, commissa pugna fugati sunt, eorumque multi ab urbe a Samiis interclusi, a quibus postea centum talenta exegerunt.

59. Ab Hermionensibus insulam Samii pecuniarum loco acceperunt, Hydream, Peloponneso adiacentem, quam Troezeniis obligaverunt: ipsi Cydoniam in Creta condiderunt, quum illuc non ea de causa navigassent, sed ut Zacynthios ex insula summoverent. In hac quinquennium degentes, ita rem bene gesserunt, ut templa quae nunc in Cydonia visuntur, isti fecerint, et Dictynnae praeterea delubrum. Sexto eos anno Aeginetae navali proelio victos cum Cretensibus subegerunt in servitutem, ac naves aprugnis proris instructas, rostratas, mutilaverunt, easque apud Minervae templum in Aegina dedicaverunt. Haec Aeginetae Samiis fecere, infensi quod illi antea sub Amphicrate Sami rege, bello Aeginae illato, magnis cladibus illos affecerant, et invicem affecti fuerant, et haec quidem fuit causa.

60. Protraxi autem sermonem de Samiis ob hoc magis, quod tria sunt apud eos opera Graecanicorum omnium maxima. Unum montis in centum quinquaginta orgyias editi; fossa ab eius imo incipiens habet duplex os, longitudinis fossae septem stadiorum; celsitudinis autem ac latitudinis, utriusque octonum pedum. Item per eum totum altera fossa depressa est viginti cubitorum altitudinis, trium pedum latitudinis, per quam derivata a magno fonte aqua, fistulis diffusa in urbem deducitur. Huius fossae architectus exstitit Megarensis Eupalinus Naustrophi filius. Hoc primum e tribus operibus est. Alterum agger circa portum in mari, ad viginti orgyias altitudinis, duobus amplius stadiis longitudinis. Tertium opus est templum omnium quae nos vidimus amplissimum, cuius architectus primus exstitit Rhoecus, Philei filius, indigena. Horum operum gratia sermonem aliquanto magis de Samiis extendi.

61. Cambyse Cyri circa Aegyptum moras trahente, ac desipiente, duo magi iidemque fratres contra eum insurrexerunt: quorum alterum Cambyses reliquerat rei domesticae curatorem. Hic cognita Smerdis nece, quae occultabatur, paucisque Persarum erat nota, plerisque eum vivere arbitrantibus, haec in consilium istud adhibens inhiavit regiis opibus. Erat ei frater, quem dixi una cum illo contra eum conspirasse, corporis habitu quam simillimus Smerdi, Cyri filio, quem Cambyses fratrem suum interemit: nec specie tantum corporis Smerdi assimilis, sed etiam nomen habebat Smerdin. Hunc virum, quum magus Patizithes ei per-

suasisset, se illi omnia peracturum, in regio solio collocavit. Hoc acto, caduceatores cum alia in loca, tum vero unum in Aegyptum dimittit ad exercitum, qui ediceret, ut Smerdi Cyri filio deinceps obedirent, non Cambysi.

62. Haec caduceatores alii alibi edixere. Is quoque qui ad Aegyptum delegatus erat, invenit autem Cambysem atque exercitum in Ecbatanis Syriae agentem, stans in medio, praecepta magi exposuit. Haec audiens Cambyses, vera loqui caduceatorem ratus, seque a Prexaspe esse proditum, quod missus ad occidentum Smerdin, rem non peregisset, intuens in eum, Prexaspes, inquit, ita rem mihi exequutus es, quam iniunxeram? Ad quem ille, ista, O here, ait, haudquaquam vera sunt, ut aut frater tuus aliquando rebellaverit in te, aut quippiam ex illo viro certaminis existat magni exiguive, quippe quum ego ipse exsequutus, quae tu mihi imperasti, eum humarim meis ipsius manibus. Quod si defuncti resurgunt, exspecta ut tibi etiam Astyages Medus insurrecturus sit: sin autem ita habet ut antea, nullum tibi ex illo novum malum amplius germinabit. Igitur mihi videtur curare, ut reprehendamus caduceatorem, et percontando indagemus, a quo veniens nobis denunciet, Smerdin regem audire.

63. Haec loquentis Prexaspis Cambysi audienti quum placuissent, confestim reprehensus caduceator venit. Eum, ubi rediit, Prexaspes his verbis interrogavit, O homo, quandoquidem te ais a Smerdi Cyri filio venire nuncium, dicito veritatem, qua dicta, abito sospes. Utrum Smerdis ipse in conspectum datus tibi ista mandavit, an quispiam eius ministrorum? Tum ille, Equidem, inquit, ego Smerdin Cyri filium, ex quo Cambyses rex in Aegyptum fecit expeditionem, nunquam conspexi: sed magus, quem Cambyses rerum suarum familiarium procuratorem constituit, is mihi ista mandavit, dicens, Smerdin Cyri filium esse, qui imperet haec apud vos dicere. Haec ille loquutus fuit, nihil ementitus. Tum Cambyses, Prexaspes, inquit, tu quidem ut vir bonus, facto quod imperatum erat, culpam effugisti: verum quisnam e Persis mihi insurrexerit, occupato Smerdis nomine? Ad quem Prexaspes, Ego, inquit, O rex, hoc quod actum est mihi, videor intelligere. Magi sunt qui adversus te insurrexerunt, Patizithes, quem tu rerum familiarium curatorem reliquisti, et frater eius Smerdis.

64. Ibi Cambysem, quum Smerdis audisset nomen, percussit veritas sermonis, ac somnii, qui visus fuerat videre in somno aliquem ipsi nunciare, Smerdin regio insidentem solio, coelum tangere vertice. Agnoscens itaque sine causa fratris interemptorem se fuisse, deflebat Smerdin. Quem ubi deflevit, ut erat omni clade afflictus, in equum insiluit, habens in animo, quam raptissime Susa versus exercitum ducere in magum. Insilienti in equum, fungus vaginae gladii excidit, unde nudatus gladius percussit femur. Vulneratus in ea parte, in qua prius ipse Aegyptiorum deum Apin percusserat, postquam visa fuit ipsi plaga letalis, Cambyses, quodnam illi oppido nomen esset, interrogavit. Illi aiunt Ecbatana. Et iam antea erat illi redditum ex urbe Buto oraculum, eum in Ecbatanis decessurum: et ipse quidem interpretabatur se in Ecbatanis Mediae, ubi res eius omnis erat, senem vita functurum; at oraculum in Ecbatanis Syriae utique loquebatur. Tunc postquam sciscitatus rescivit oppidi nomen, prae calamitate tum ex mago perculsus, tum ex vulnere, resipuit, et oraculum expendens, Hoc in loco, inquit, fatale est Cambysem Cyri decedere.

65. Hactenus tunc quidem. Vicesimo dehinc die accitis Persarum qui aderant praestantissimis, ita inquit; Quod maxime occultum volebam, Persae, id apprehendit me, ut apud vos efferam, ego enim quum in Aegypto agerem, inter quietem visum vidi, quod utinam minime vidissem! Videbatur mihi nuncius quidam domo adveniens, nunciare Smerdin in regio sedentem solio, coelum capite contingere. Ex quo veritus, ne a fratre exuerer principatu, properantius quam prudentius feci; neque enim in hominis natura situm est avertere quod eventurum est. Itaque vanus ego Prexaspem Susa ad Smerdin interimendum mitto. Quo tanto malo perpetrato securius degebam, nequaquam coniectans fore, ut, Smerdie sublato, alius quispiam mortalium in me exsurgeret. Verum prorsus in futuro frustratus, et parricida fratris quod non debuerat fieri, nec opus erat, exstiti, et nihilominus regno exutus sum, nam Smerdis magus erat is, quem daemon mihi per quietem praemonstravit in me arma sumturum. Hoc opus quum ego perpetrarim, iam vobis Smerdin Cyri non superesse existimetis, sed magis vobis regnum occuparunt, quorum alterum rerum domesticarum procuratorem reliqueram, alter eius frater est Smerdis. Quem igitur decebat praecipue vicem meam ulcisci, si indigna a magis passus fuissem, is impia morte a proxi-

mis suis affectus est. Quum vero ille non sit amplius, secundum ex reliquis mihi est vobis, O Persae, maxime necessarium mandare, quae e vita exiens effici mihi volo. Ergo vobis haec praecipio, regios deos obtestans, cum omnibus vobis, tum maxime Achaemenidis, qui adestis, ne negligatis imperium rursus circumire ad Medos. Sed si dolo occupatum illud tenent, dolo per vos surripiatur; sin vi aliqua praereptum, vi, prout poteritis, recuperetis. Haec vobis facientibus, et tellus fructum efferat, uxoresque et pecua pariant in omne tempus libertate fruentibus: secus facientibus, et neque recuperantibus imperium neque aggredientibus recuperare, contraria his quae dixi vobis fieri imprecor; et praeterea unicuique Persarum eum finem qualis mihi contigit. Simul haec loquutus Cambyses, deflevit omnem suam conditionem.

66. Persae, ut regem lamentantem conspexere, universi tum vestimenta rescindere, tum effuso ploratu uti. Post haec ubi os vitiatum est, femurque celerrime computruit, Cambysi vita erepta est, Cyri filio, quum regnasset septem omnino annos et menses quinque, nulla prorsus prole suscepta virili femineave. At Persis qui aderant magna suffusa est incredulitas, rerum potiri magos, interpretantibus potius, Cambysem, quae de nece Smerdis dixisset, ea dixisse criminose, ut sic omne illi nomen Persicum redderetur hostile. Itaque pro certo habebant Smerdin Cyri exsurrexisse regem, utpote etiam Prexaspe usque pernegante a se fuisse Smerdin interfectum. Neque enim tutum ei erat post Cambysis obitum fateri, ipsius manu filium Cyri interemptum.

67. Magus, defuncto Cambyse, simulando se Smerdin esse Cyri filium, qui ipsi fuerat cognominis, securus regnavit menses septem, qui reliqui erant ad implendum octavum annum regni Cambysis; per quos menses in subiectos omnes munificentiam permagnam exhibuit, adeo ut eius defuncti magnum ceperit desiderium omnes Asiaticos, ipsis Persis exceptis. Nam missis ad singulas, quibus imperabat, nationes edictis, magus immunitatem tributorum ac vacationem militiae in triennium tribuit: atque hoc quidem statim adeptus imperium edixit.

68. Octavo autem mense, quisnam esset compertus est hunc in modum. Erat Otanes Pharnaspis filius, sed genere atque opibus primo cuique Persarum par. Hic Otanes magum non esse Smerdin filium Cyri, primus suspicatus est, sed eum qui erat, haec coniectura, quod neque ex arce progrediebatur, neque Persarum procerum quempiam ad conspectum suum vocabat. Itaque eum

suspectum habens, hoc fecit. Habuerat filiam eius nomine Phaedymam Cambyses, eamque ipsam tunc magus tenebat eiusque consuetudine utebatur, ut aliarum omnium Cambysis uxorum. Otanes mittens ad eam sciscitabatur, quocum homine cubaret, utrum cum Smerdie Cyri, an cum alio quopiam. Illa remisit negans se scire, quippe quae nec Smerdin filium Cyri vidisset unquam, nec eum, cum quo cubaret, nosset, quisnam esset. Altera vice mittit Otanes, inquiens, si ipsa Smerdin Cyri non habes cognitum, tu vero sciscitare ab Atossa, quocum viro tu atque illa cubitetis, omnino enim illa suum ipsius novit fratrem. Filia ad hoc respondit, Ne in Atossae quidem colloquium venire possum, aut ullam aliam cernere considentium mulierum. Namque hic vir, quisquis est, quum primum adeptus est regnum, nos dispersit, aliam alibi collocans.

69. Audienti haec Otani res est visa manifestior, itaque tertio nuncium ad eandem mittit in haec verba, Filia, decet te bonis ortam natalibus, suscipere periculum, quod te subire pater hortatur. Si enim iste Smerdis, filius Cyri non est, sed is quem ego suspicor, non debet tua fruens consuetudine, et potentiam Persarum obtinens, hinc laetus abire, sed poenas luere. Nunc igitur hoc agito: quum tecum cubabit, animadvertesque somno vinctum, palpa eius aures: quas si habentem compereris, cum Smerdie filio Cyri te cubare existima: sin minus, cum Smerdie mago. Ad haec Phaedyma remittit, se, si id faciat, magnum aditaram discrimen; quoniam probe scit, si ille careat auribus, et ipsa in palpando deprehendatur, fore ut ipsa ab illo trucidetur: tamen se id facturam. Et Phaedyma quidem recepit, se patri hoc perfecturam. Huic autem Smerdi mago Cyrus, quum regnaret, aures praeciderat, non exigua de causa. Ergo Phaedyma haec Otanis filia, quaecunque receperat patri, exsequuta est, nam ubi vices eius fuerunt adeundi magum, etenim uxores Persarum per circuitum ad illos pergunt, adiens magum, una cubuit, eiusque, dum vehementi somno correptus esset, aures palpavit: quibus carere hominem, non difficulter sed facile sane deprehendit. Ubi illuxit, celerrime patrem certiorem rei gestae facit.

70. Iste, sumptis Aspathine et Gobrya, Persarumque primoribus, et ad fidem sibi servandam accommodatissimis, rem omnem exponit, qui et ipsi rem ita se habere suspicabantur, eoque verba quae Otanes attulerat, admiserunt: constitueruntque, ut singuli sibi singulos in societatem deligerent e Persis, quibus maxime confiderent,

Adscivit itaque sibi Otanes Intaphernem, Gobryas Megabyzum, Aspathines Hydarnem. Hi quum sex forent, advenit Susa Darius Hystaspis ex Persis veniens: nam his pater eius praeerat. Qui quum advenisset, placuit sex Persis Darium quoque in societatem adsciscere.

71. Qui quum septem essent, congressi fidem mutuo dederunt et colloquuti sunt. Quumque ad Darium ordo dicendae sententiae venisset, ita apud ceteros verba fecit: Equidem mihi videbar ego solus nosse magum regnare, et Smerdin, filium Cyri, mortem oppetiisse; atque ob id ipsum dedita opera huc me contuli, ad necem mago comparandam. Verum quandoquidem contigit, ut vos quoque rem sciatis et non solum ego, videtur mihi confestim esse peragendum neque differendum, neque enim id melius. Ad haec Otanes, Fili, inquit, Hystaspis, et patre egregio ortus es, et te nihilo inferiorem esse patre tuo videris praeferre: noli tamen ita properare ad rem aggrediendam inconsulto, sed considerantius illam capesse: oportet enim ita eam aggredi quum plures fuerimus. Tum Darius, Viri, inquit, qui adestis, si eo quem Otanes dixit utemini modo, sciatis vos teterrime perituros, aliquis enim privati lucri ratione habita rem ad magum deferet. Et vos quidem debebatis maxime in vos solos rem suscipientes exsequi: sed quoniam statuistis ad plures referendum et me adhibendum, aut hodie conficiamus, aut scitote, vobis si hodiernus elabatur dies, non alium occupaturum, ut me accuset, sed ipse ego vos deferam ad magum.

72. Ad haec Otanes, quum cerneret Darium properare, Quoniam, inquit, nos una maturare compellis, nec sinis differre, age, expone ipse quonam pacto regiam introire possimus, et illos aggredi: excubias namque dispositas esse, ipse quoque, etsi non visu, certe auditu nosti: quas qua ratione transibimus? Cui respondens Darius, Certe multa sunt, inquit, Otanes, quae nequeunt oratione declarari, sed facto: alia, quae oratione quidem possunt, sed unde nihil clari operis existit. Vos vero nostis, excubias quae dispositae sunt, haudquaquam difficiles esse ad transeundum. Partim enim nos, qui tales sumus, nemo non, quisquis ille sit, cedet nobis, vel ob timorem; partim habeo ipse praetextum accommodatissimum propter quem transeamus: siquidem modo e Persis venire me dicam, ac velle quaedam a patre mandata regi nunciare. Ubi enim oportet mendacium dicere, dicatur, nam idem optamus, quique mendacium dicimus, quique veritatem: quippe quum illi mentiantur tunc, quum per-

suadendo sunt quippiam lucri facturi, et illi verum dicant, ut verum dicendo aliquod lucrum attrahant: et magis aliquid illis committatur. Quanquam ista non factitantes, idem tamen obtinemus. Quod si nihil lucri facturi sunt, peraeque et verax foret mendax, et mendax verax. Quod autem ad ianitores attinet, siquis eorum volens praetermittat, melius ei sequenti tempore erit: siquis resistere conabitur, ibi tunc pro hoste habeatur: et deinde intro irrumpentes, rem transigamus.

73. Post haec Gobryas, Viri amici, inquit, nobis pulchrius erit recuperare imperium, aut, si recuperare non poterimus, mortem oppetere; quum quidem, qui sumus Persae, ab viro Medo regamur, eoque aures non habente; et quicunque vestrum Cambysi aegrotanti adfuerunt, memoria teneatis omnes, quae ille, dum vita excederet, Persis imprecatus est, imperium recuperare non tentantibus: quae nos tunc non admittebamus, sed per calumniam dici a Cambyse existimabamus. Nunc igitur calculum pono in Darii sententiam, neque ex hoc coetu dissolvi aliorsum euntes, quam recta adversus magum. Haec dicta a Gobrya omnes comprobarunt.

74. Interea vero dum ab istis consultatur, forte hoc contigit, ut magi inito inter se consilio statuerent conciliandum sibi amicum Prexaspem, quod indigna passus a Cambyse esset, occiso eius filio ictu sagittae, et solus mortem Smerdis Cyro geniti nosset, quem ipse suapte manu interemisset: quod praeterea apud Persas in maxima esset existimatione. His de causis accitum hominem, sibi amicum comparabant; accipientes fidem, ac iureiurando, certe fallaciam, quae ab ipsis in Persas facta esset, apud se habiturum, neque cuiquam mortalium patefacturum, pollicitantes omnia innumera se ei daturos. Recipiente Prexaspe facturum se quae magi suaserant, iterum illi dicere, in animo se habere omnes Persas sub castellum regium convocare: ideoque iubere hunc conscensa turri praedicare, a Smerdie Cyri Persis imperari, et ab alio nemine. Haec illi sic praecipiebant, veluti homini summae apud Persas autoritatis, et qui saepenumero asseverasset superesse Smerdin Cyri, ac caedem a se factam pernegasset.

75. Haec quoque Prexaspe se paratum exsequi dicente, magi, convocatis Persis, hominem in turrim perductum iubent habere orationem. Prexaspes ea, quae ab istis oratus fuerat, sponte obliviscitur: exorsusque ab Achemene, seriem familiae Cyri recenset: et ubi devenit ad hunc, tandem commemoravit Cyri in Per-

eas beneficia. His expositis, prompsit veritatem, causatus ideo se antehac occultasse, quod sibi tutum non fuisset proferre rem gestam, sed in praesens ab necessitate deprehensum proferre: dixitque se a Cambyse adactum Smerdin Cyri quidem occidisse, et magos esse qui regnent. Multis quoque verbis Persas quum devovisset, nisi rursus imperium recuperarent, ac magos ulciscerentur, sese in caput a turri praecipitem dedit. Hunc in modum Prexaspes, vir per omne tempus vitae spectatus, occubuit.

76. At septem Persae, ubi constituerunt aggredi protinus magos, neque rem differre, deos comprecatum ierunt, omnino ignari eorum quae circa Prexaspem acta essent: sed haec inter eundum in medio itineris audierunt: eoque a via secedentes inter se colloquuti sunt. Et Otanes quidem censuit propositum prorsus differri, neque tumescentibus rebus aggredi: Darius vero confestim ire, et quod decretum esset peragere, neque cessare. Eis concertantibus apparuerunt septem accipitrum paria, insectantium duo paria vulturum, eosque vellicantium atque infestantium. Quod intuentes illi septem, sententiam Darii omnes comprobarunt; et mox freti avibus ad regiam cum fiducia perrexerunt.

77. Ubi ad portas adfuerunt, prout Darius senserat, ita evenit, nam custodes reveriti Persarum primarios, nec aliquid huiusmodi suspicantes ex his fore, admiserunt missione divina instinctos; neque vel interrogavit quisquam. Ubi in aulam introgressi sunt, offendunt eunuchos qui erant a nunciis; et hos qua gratia venirent interrogaverunt; simulque inter percontandum ianitoribus minitabantur, quod istos ingredi permisissent: atque ulterius pergere volentes eosdem prohibebant. Isti a se mutuo cohortati, eductis gladiis, eos a quibus arcebantur, ibidem simul trucidant; iidemque cursu in conclave contendunt.

78. In eo tunc forte ambo magi agebant, et de iis quae a Prexaspe erant acta consultabant. Qui quum vidissent tumultuantes eunuchos atque vociferantes, recurrerunt uterque: et quod fiebat animadvertentes, ad vires conversi sunt: quorum unus occupat arcum, alter lanceam sumit, atque inde adoriuntur invicem. Verum arcus ei qui illum sumpserat, quum hostes iuxta essent, et arriperent, nulli usui fuit: alter qui se lancea tuebatur, tum Aspathinis femur percussit, tum oculum Intaphernis, non tamen et vita privatus est. Hos igitur alter magorum vulneravit: alter vero, quando

arcus ei nulli usui erat, in thalamum, qui erat conclavi contiguus, se proripuit, fores occlusurus. Sed illuc duo de septem cum eo simul irrumpunt, Darius et Gobryas: quum autem Gobryas esset amplexus magum, Darius adstans atque haerens, utpote in tenebris, praecavebat ne Gobryam feriret. Eum cernens Gobryas otiosum adstantem, interrogavit cur non uteretur manu. Respondenti Dario, Sollicitus de te, ne feriam, Tu vero, inquit Gobryas, vel per utrumque exige gladium. Cui Darius obtemperans, pugionis ictu adacto magum casu percussit.

79. Interfectis magis et capitibus eorum amputatis, eos qui saucii ex suis erant illic relinquunt, tum quod invalidi essent, tum arcis tuendae causa; quinque eorum habentes magorum capita foras currunt cum vociferatione ac strepitu: ceterosque Persas compellando, rem gestam exponebant, capita ostentantes: et simul quicumque magorum ipsis occurrebat mactabant. Persae, cognito quod actum ab septem istis erat ac dolo magorum, et ipsi facienda sibi alia eiusmodi censuerunt; eductisque gladiis, ubicunque reperiebant magum, interficiebant, et, nisi noctis interventu cohibiti fuissent, neminem magum reliquissent. Hunc diem Persae maxime solennem publice observant, et in eo ingens celebrant festum, vocantes id Μαγοφόνια, id est, magorum caedem; quo die nulli mago fas est prodire in lucem, sed cuncti magi se intra domum continent.

80. Ubi resedit tumultus, diesque quinque excessere, ii, qui magos invaserant, de omni rerum statu consultabant. Quorum orationes, etsi apud nonnullos Graecorum fide carent, tamen huiusmodi fuerunt: Otanes hortabatur, ut rem Persicam in medium deponerent, ita inquiens; Unum e nobis principem solum amplius fieri mihi non videtur: neque enim id aut iucundum est, aut bonum. Nam et insolentiam Cambysis novistis, quo processerit, et partem sensistis insolentiae. Quomodo autem res apta habeatur monarchia, cui licet pro libidine agere quae vult impune? quae virum, etiamsi optimus omnium fuerit, tamen quum in illa positus est, extra consuetos abiecerit sensus: Quippe quum praeter invidiam ab initio ingenitam homini, ingeneretur ex praesentibus bonis insolentia. Itaque haec duo habens, omnem malitiam habet; partim enim satiatus insolentia, multa et atrocia committit; partim per invidiam. At enim vir tyrannus, ut qui omnia bona obtineat, debebat sine livore esse: verum contrario modo is comparatus

est erga populares suos; siquidem eorum optimis quibusque, qui superstites sunt atque vivunt, invidet, deterrimis civium delectatur: calumnias etiam admittere optimus est. Hoc autem omnium indecentissimum est. Nam sive mireris eum modeste, offenditur quod non effuse colatur sive effuse colat quis, offenditur, quippe adulatorem existimans. Et ut exsequar dicendo quae maxima sunt, iura patriae labefactat, feminis vim affert, et indemnatos interimit. At quum dominatur multitudo, primum quidem nomen obtinet omnium pulcherrimum, iuris aequabilitatem: deinde vero nihil eorum agit, quae unus omne imperium tenens. Nam magistratus sorte regit, tum administrationum rationem reddit: omnia denique consilia in commune refert. Itaque dico pro sententia nobis monarchiam seponentibus multitudinem auctum ire; in multo enim insunt omnia. Otanes quidem hanc sententiam dixit.

81. Megabyzus autem imperio paucorum monebat permittere, his verbis; Quae Otanes dixit de abolenda tyrannide, ea sint dicta a me quoque: sed quatenus hortabatur potentiam deferri ad multitudinem, ab optima erravit sententia. Etenim inutili coetu nihil est neque insipientius, neque insolentius. Itaque eos qui tyranni insolentiam fugiunt, ad intemperantis plebis recidere insolentiam, nequaquam tolerandum est. tyrannus, siquid facit, intelligens facit: at plebi hoc adest, ut nihil intelligat, qui neque edoctus est, neque quidquam honestum novit, neque domesticum? et qui incidens pellit negotia sine mente torrenti flumini similis? Quare siqui male consultum Persis cupiunt, ii statu populari utantur: nos vero conventu virorum optimorum delecto, ad eos imperium deferamus, nam inter eos et ipsi erimus, et ex optimis viris credibile est optima existere consilia. Hanc Megabyzus sententiam dixit.

82. Tertio loco suam Darius, inquiens, Quae Megabyzus dixit, quatenus ad statum popularem pertinent, recte mihi videtur dixisse: quatenus autem ad statum paucorum, non recte, propositis enim tribus statibus, et his omnibus optimis, ut optime imperet populus, optime pauci optime unus, inter haec multo antecellere hoc postremum sentio, imperio enim unius viri qui optimus sit, nihil melius queat esse. Hoc enim animo utens sine reprehensione multitudinem Populi curet, taceanturque sic praecipue consilia in viros infestos capta. At in statu paucorum, quum plures virtuti incumbant in publicum, vehementia privata odia excitari censuerunt, quum enim quis-

que princeps esse optet, et consiliis vincere, ad ingentes inter se inimicitias evadunt. Ex quibus seditiones existunt, e seditionibus caedes, e caedibus ad unius imperium devenitur, et hac re monstravit, quantum sit hoc praestantissimum. Jam vero, plebe imperante, fieri non potest, quin malitia intret: ingressa malitia in rempublicam malis quidem illis odia non exsistunt, sed amicitiae validae, qui enim rempublicam corrumpunt, conspirantes agunt: idque tamdiu fit, dum aliquis populo praepositus tales homines compescat: quem propter ista populus admiratur. Hic quum admirationi est, tunc vere monarchus ostenditur, declarans etiam in hoc monarchiam esse praestantissimum. Atque ut uno verbo omnia comprehendens dicam, unde nobis libertas extitit? et a quo data? a populone, an oligarchia, an monarcho? Ego igitur sentio, nos per unum virum liberatos, debere illud ipsum complecti; et praeter hoc leges patrias bene constitutas non dissolvere: non enim melius.

83. Hae tres dictae fuerunt sententiae, et ex septem illis quatuor huic assenserunt. Otanes, qui iuris aequabilitatem facere Persis studebat, ubi ipsius sententia reiecta est, apud eos ita in medium loquutus est: Viri socii, videlicet necesse est unum aliquem e nobis regem fieri, sive sorte sortiamur, permittamus Persarum multitudini quem illi elegerint, sive qua alia ratione; equidem ego inter vos non contendam, quippe qui neque praeesse volo, neque regnari. Et hac lege cedo imperio, ut a nullo vestrum regner aut ipse ego, aut ullus unquam meorum posterorum. Otane haec loquuto, postquam ceteri sex eius postulatis assenserunt, ita hic in aliis non contendens, e medio abiit alio sessum. Atque ad hunc usque diem sola haec familia inter Persas libertatem retinet, et in tantum regnatur, quantum ipsa vult, leges Persarum non transgrediens.

84. Ceteris autem istorum septem de rege iustissime deligendo consultantibus, visum est, si ad aliquem ex ipsorum numero regnum perveniret, Otanem donari debere peculiariter eiusque deinceps universos posteros tum Medica quotannis veste, tum omni alio magnificentiae genere apud Persas honorificentissimo. Quae ideo decreverunt ei donanda, quod primus rem agitaverat, et ipsos in coetum coëgerat. Et haec quidem decora Otani decreverunt: illa vero in commune, ut regiam introire unicuique e septem sine internuncio liceret, nisi forte cum uxore cubaret rex: neve regi fas esset aliunde quam e familia coniuratorum uxorem ducere. De regno autem hunc

in modum; ut sub ortum solis conscensis equis, dum in suburbio vectarentur, cuius equus sonum primus edidisset, is regnum obtineret.

85. Erat autem Dario equiso vir solers, nomine Oebares: ad quem Darius, postquam e coetu digressi sunt, ita inquit. Oebares, de regni negotio sic inter nos convenit: cuius equus sub ipsum solis ortum equis conscensis sonum primus ediderit, is regno potiatur. Nunc igitur siquid solertiae habes, comminiscerere, ut nos obtineamus hoc decus, et nemo alius. Respondet Oebares, O Here, si in hoc versatur tibi ut rex sis vel non, de hoc ne esto sollicitus; et bonum habeto animum; certe ante te rex nemo futurus est, eiusmodi habeo medicamenta. Si igitur, inquit Darius, habes istiusmodi commentum, adest tempus eo utendi, nec differendi rem, utpote crastino die nobis est certamen. Haec ut audivit Oebares, ita facit: Ubi nox advenit, unam equarum quam equus Darii maxime adamabat, istam in suburbium adductam alligat: tum equum Darii inducit: eumque saepius circumduxit prope equam identidem feminae appropinquans, ac tandem permisit ascendere.

86. Postero die quum illucesceret, sex Persae ex convento adfuerunt equis insidentes, et quum in suburbio ultro citroque vectarentur, ubi ad locum istum pervenerunt, ubi superiore nocte equa fuerat alligata, ibi Darii equus accurrens hinnitum edidit: et equo id exsequuto protinus fulgur sereno coelo tonitruque extitit. Haec quum Dario supervenissent, eum inaugurarunt, tanquam ex composito quodam evenientia, nam ceteri ex equis desilientes Darium ut regem adoraverunt.

87. Sunt qui hoc dicant Oebarem fuisse machinatum, sunt qui illud, utroque enim modo refertur a Persis. Volunt namque Oebarem attrectatis manu huius equae genitalibus, ipsum manum intra subligacula tenuisse abditam, et sub ipsum statim solis ortum, quum equi digressuri essent, eam exiluisse, et naribus equi Darii admovisse, eumque ad odoris sensum infremuisse atque hinnisse.

88. Darius itaque, Hystaspis filius, declaratus est rex eique omnes Asiani audientes dicto fuerunt, praeter Arabas, a Cyro et postea rursus a Cambyse subacti; Arabes vero a Persis nunquam in servitutem redacti sunt, sed hospites extiterunt, transmittentes Cambysem in Aegyptum: quippe quibus invitis haudquaquam invasissent Persae Aegyptum. Darius matrimonia primaria ex Persis auspicatus est, ductis duabus Cyri filiabus,

Atossa, quae ante Cambysi fratri et postea mago nupserat, et Artystona virgine. Praeterea alteram Smerdis filii Cyri, filiam; nomine Parmyn: nec non filiam Otanis duxit, quae magum prodiderat. Idem, viribus omni ex parte stabilitis, ante omnia effigiem fecerat quam lapideam statuit, cui inerat animal, vir eques, inscriptis in haec verba literis, Darius, Hystaspis filius, Tum equi virtute, (cuius nomen legebatur) tum Oebaris equisonis, Persarum regnum adeptus est.

89. His apud Persas actis, viginti provincias, quas ipsi satrapeias vocant, constituit: earumque singulis praesides praefecit, descriptis quae ei penderentur tributis per nationes, et nationibus finitimos adtribuens, et supergrediens vicinos, remotiores gentes alias aliis dividens. Provincias autem et tributorum reditus annuos hunc in modum distribuit. Aliis quidem argentum afferentibus iniungebatur Babylonico pondere talentum adferre: qui aurum, Euboico. Valet autem Babylonicum talentum septuaginta minas Euboicas. Etenim sub Cyro atque deinde sub Cambyse nihildum fuerat circa tributa institutum, sed munera afferebantur. Ob hanc tributi ordinationem et alia huiusmodi, Persae aiunt Darium fuisse institorem: Cambysem autem, dominum: Cyrum vero patrem, quoniam Darius res omnes quaestui habebat: Cambyses, asper erat ac negligens: Cyrus mitis, et bona illis omnia aggressus fuit.

90. Ab Ionibus igitur et Magnetibus qui in Asia incolunt, et Aeolensibus et Caribus et Lyciis et Milyis et Pamphylis, unum enim erat illi positum hoc tributum, pendebantur quadringenta argenti talenta. Haec erat ab eo prima praefectura instituta. A Mysis et Lydis et Lasoniis et Cambaliis et Hygennensibus quingena talenta. Secunda portio haec erat. Ab Hellespontiis, qui ad dextram illuc innavigantium siti sunt, et Phrygibus et Thracibus qui Asiam incolunt, et a Paphlagonibus et Mariandynis et Syriis, trecenta et sexaginta talenta erant tributum. Haec tertia portio. A Cilicibus, equi albi trecenti sexaginta in dies singulos singuli, nec non talenta argenti quingenta: quorum centum et quadraginta erogabantur in equitatum qui Ciliciae regionem pro praesidio custodiebat: trecenta autem et sexaginta Dario obveniebant: Haec quarta portio.

91. Ab urbe Posideio, quam Amphilochus Amphiarai filius exstruxit in finibus Cilicum ac Syrorum, ab hac ad Aegyptum usque, praeter Arabum partem,

haec enim erat immunis, trecenta et quinquaginta talenta erat tributum: Quinta portio haec, cui annumeratur Phoenice omnis et Syria quae dicitur Palaestine et Cyprus. Ab Aegypto et Afris Aegypto conterminis et Cyrene et Barce, in portione namque Aegyptia istae ordinantur septingenta proveniebant talenta, praeter pecuniam e piscario proventu lacus Moeris. Extra hanc pecuniam mensurati quoque frumenti septingenta talenta obveniebant. Nam ad centum viginti millia etiam illis Persis, qui in Albo muro Memphitico habitant, admetiuntur et eorum auxiliariis. Sexta portio haec: Sattagydae et Gandarii et Dadicae et Aparytae, in idem coniuncti, centum et septuaginta talenta pendebant: Septima portio haec. A Susis et cetera Cissiorum regione, trecenta: Octava haec portio.

92. A Babylone vero ceteraque Assyria mille talenta argenti proveniebant, et praeterea pueri castrati quingenti: Nona portio haec. Ab Ecbatanis et ab reliqua Medica et Paricaniis et Orthocorybantiis, quadringenta et quinquaginta talenta: Decima portio haec. Caspii et Pausicae et Pantimathi et Daritae simul conferentes, ducenta talenta afferebant: Undecima haec portio. A Bactrianis ad Aeglos usque, trecentorum et sexaginta talentorum erat tributum: Portio duodecima haec.

93. A Pactyica et Armeniis, eorumque conterminis, Euxino tenus ponto, talenta quadringenta: Tertiadecima haec portio. A Sagartiis et Sarangeis et Thamaneis et Utiis et Mycis, et iis qui rubri maris insulas incolunt; ubi rex eos qui Relegati vocantur collocat: ab his omnibus sexcentorum talentorum proveniebat tributum: Quartadecima portio haec. Sacae et Caspii ducenta et quinquaginta talenta afferebant: Quintadecima portio haec. Parthi Chorasmiique et Sogdi et Arii trecenta talenta: Sextadecima portio haec.

94. Paricanii et qui ex Asia sunt Aethiopes, quadringenta talenta: Septimadecima portio haec. Matienis et Saspiribus et Alarodiis ducenta iniuncta talenta erant: Duodevicesima portio haec. Moschis et Tibarenis et Macronibus et Mosynoecis et Mardis trecenta talenta praecepta erant: Undevicesima haec portio. Indi, ut sunt multitudine multo numerosissimi inter omnes quos novimus mortales, ita tributum ad omnes ceteros afferebant trecenta sexaginta talenta auri ramentorum: Vicesima portio haec.

95. Quod si Babylonica pecunia ad talentum Euboicum redigatur, fiunt novies millena quingenaque et quadraginta talenta. Aurum vero si tredecies multiblicatum computetur ad argentum, ramentum reperitur ad rationem Euboicam esse quatour milia talentorum sexcentaque et octoginta. Quibus in unum contractis, Euboica talenta colligebantur in summam annui tributi a Dario, quatuordecim millia quingenta et sexaginta. Minorem his summam omittens non refero.

96. Hoc tributum Dario ex Asia obvenibat, et ex Africae paucis locis: ceterum procedente tempore et ab insulis obvenit aliud tributum, et ab iis qui Europam Thessalia tenus incolunt. Id tributum rex hunc ad modum in thesauris reponit. Liquefactum in fictiles fidelias defundit: expleta autem fidelia subinde testam aufert: ex eoque, quoties pecunia indiget, tantum decidit quantum usus postulat.

97. Atque hae quidem provinciae erant ac tributorum taxationes. Sola autem regio Persis tributaria a me dicta non est, quod immunem regionem Persae colunt. Isti autem ad ferendum ullum tributum non adigebantur, sed dona portabant. Aethiopes Aegypto contermini, quos Cambyses in expeditione contra Macrobios Aethiopes sumpta subegit; quique sacram Nysam incolunt, et Baccho dies festos agunt; isti Aethiopes eorumque finitimi, eodem quo Indi Calantiae semine utuntur, subterraneasque habent domos: horum utrique tertio quoque anno portabant: portantque ad meam usque memoriam, binos choenicas auri non igniti, et ducentas trabes ebeni, et quinque Aethiopes pueros, et viginti grandes elephanti dentes. Colchi quoque ad donationem ipsi ordinabant, eorumque finitimi ad montem usque Caucasum. Ad hunc enim montem imperitatur a Persis, nam qui ad aquilonem Caucasi habitant, eorum iam nulli Persas curant. Isti igitur dona sibi imperata, etiam ad meam usque aetatem, quinto quoque anno afferebant, centum pueros, totidemque virgines. Afferebant et Arabes mille quotannis talenta thuris. Haec quidem isti dona, praeter tributum, regi portabant.

98. Sed Indi id aurum tam multum, unde ramenta, quae dixi, regi afferunt, hac ratione comparant. Indicae regionis id quod ad solem orientem vergit, sabulosum est, nam ex illis quos scimus, de quibus aliquid pro certo narratur, primi sunt hominum in Asia ad auroram et solis ortum habitantes Indi. Indorum enim tractus qui auroram spectat, propter arenam vastus est. Eorum autem com-

plures sunt gentes, atque eae lingua inter se dissonae: et eorum alii sunt dediti rei pecuariae, alii non: item alii in paludibus fluvii habitant, crudis victitantes piscibus, quos aggressi ex arundineis navigiis captant. Singula autem navigia e singulis arundinis genubus fiunt. Isti quidem ex Indis gerunt vestem e libro; quam ubi e flumine messuerunt phleum contuderuntque, plectentes in modum storeae, tanquam thoracem induunt.

99. Alii Indorum, ad istorum auroram habitantes sunt pecuarii, carnibus crudis vescentes, nomine Padaei, qui talibus uti moribus narrantur: Quicunque civium seu vir seu femina aegrotat, virum quidem sui maxime familiares interimunt; quod dicant illum morbo tabescentem, carnes ipsis corrumpere: et licet se neget ille aegrotare, nihilominus isti non ignoscentes necant eum, epulanturque. Mulier vero si aegrotet, suae maxime necessariae feminae, idem quod viri faciunt. Qui enim ad senium pervenit, eo mactato pascuntur. Sed in huius rationem non multi eorum perveniunt; nam ante id unumquemque, qui in morbum incidit, necant.

100. Est aliorum Indorum haec diversa consuetudo, ut nihil animatum interimant, utque nihil serant, nec domos possidendas existiment, atque herba victitent. Estque eis quoddam milii instar magnitudine, sua sponte nascens e terra suo in calyce: quod cum ipso calyce lectum, coquunt, eduntque. Eorum quisquis in morbum incidit, is in locum desertum pergit, ibique decumbit, eius vel defuncti vel decumbentis curam gerente nemine.

101. Horum omnium quos recensui Indorum coitus in propatulo est, sicut pecorum: color similis ac proximus Aethiopico, genitura quam in mulieres emittunt, non alba, quemadmodum ceterorum hominum, sed atra, ut color corporis: quale virus Aethiopes quoque emittunt. Hi Indi longius a Persis absunt, et ventum austrum versus: eoque Dario neutiquam obtemperaverunt.

102. Alii vero Indorum Caspatyro urbi et Pactyicae regioni contermini sunt, versus septentrionem et ventum aquilonem habitantes aliorum Indorum, qui proximam Bactrianis vitam degunt: hi et pugnacissimi in eis sunt, et qui ad aurum mittuntur, hi sunt. Circa hanc enim plagam vasta sunt propter arenam loca, in ea igitur solitudine arenosa formicae gignuntur, canum quidem magnitunine minores, vulpium varo maiores. Earum quippe nonnullae et apud regem Persarum vi-

suntur, hinc venatu captae. Hae formicae in faciendis sub terra domiciliis egerunt arenam, ut apud Graecos formicae, atque eodem modo, ipsa etiam specie corporis simillima. Ea autem quae egeritur arena, aurea est: ad quam in desertum mittuntur Indi; ternis singuli camelis iunctis, ut utrinque funales mares trahant, femina in medio, in quam ipsi ascendunt: data opera ut a recentissimis fetibus abstractas iungant. Etenim istae apud eos cameli nihilo sunt minori pernicitate quam equi, separatim vero ad ferenda onera multo valentiores.

103. Qualem autem habeat camelus speciem, Graecis, utpote scientibus, non conscribo: sed quod de eo animali nescitur, id dicam. Camelus in posterioribus cruribus gerit quatuor femora, et totidem genua, et veretra per posteriora crura caudam versus spectantia.

104. Hunc in modum iunctis camelis, Indi ad aurum tendunt dinumerate, ut quum ferventissimi fuerint aestus, sint in rapina, siquidem prae aestu formicae sub terra se occultas tenent. Est autem illis hominibus sol ardentissimus matutinus, non quemadmodum aliis meridie, eousque capitibus imminens dum tempus est a foro discedendi: per quod spatium multo magis urit quam meridianus Graeciam, adeo ut dicantur illi tum in aqua se madefacere. Meridies vero fere Indos urit peraeque atque alios homines: declinante meridie, talis est illic sol qualis alibi matutinus: ac deinceps magis ac magis frigescens, dum ad occasum perveniens praecipue friget.

105. Ubi ad locum Indi pervenere, culeis quos attulere arena completis, quamprimum retro se recipiunt. Protinus enim illos formicae, ut a Persis fertur, olfactu perceptos insequuntur tanta pernicitate ut nulli alii sit similis: ita ut nisi viam interim dum formicae congregantur, anticipient Indi, nemo sit ipsorum inde evasurus. Ideoque camelos mares, quod impares feminis sunt in currendo, etiam plane resolvi attractos, non pariter utrosque: feminas vero, pullorum quos reliquerunt memores, nihil remittere. Isti Indi maiorem auri partem possident, ut Persae memorant, nam quod effoditur in eadem regione aurum, rarius est.

105. Et sane pulcherrima quodammodo extremae orbis habitati partes sortitae sunt, quemadmodum Graecia tempestates optime temperatas nacta est. Nam, ut paulo ante dixi, ultima plagarum quae ad orientem vergentes habitantur, Indica est: in qua tum ani-

mantes tam quadrupedes quam volucres, multo sunt grandiores quam ceteris in locis, praeterquam equi, nam quod ad eam partem attinet, ab equis Medicis vincuntur qui Nisaei vocantur; tum infinita vis auri illic est, partim effossi, partim per flumina devecti, partim ut indicavi surrepti. Praeterea agrestes arbores illic pro fructu lanam ferentes, ovillae tum pulchritudine tum bonitate praecellentem: et ab his arboribus veste Indi utuntur.

107. Porro ad meridiem ultima e regionibus quae habitantur, Arabia est: in qua sola omnium terrarum nascuntur thus, myrrha, casia, cinnamomum, et ledanum, cuncta haec difficilia Arabibus ad nanciscendum, praeter myrrham. Thus quidem Arabes styrace suffientes colligunt, ea quam Phoenices ad Graecos exportant: hanc suffientes thus capiunt. Etenim thuriferas illas arbores servant colubri subalati, exiguo corpore, discolori specie, permagno numero circa singulas arbores; iidem videlicet qui adversus Aegyptum facto exercitu tendunt. Nec ullo alio ab arboribus quam styracis fumo submoventur.

108. Universam terram oppleturi, ut Arabes aiunt, nisi, ut iidem narrabant, simile quiddam istis contingeret ei quod novimus contingere viperis, idque, ut credere debemus, solerti divinitatis prudentia, nam quae et timido animo sunt et esculenta, ea omnia fetuosa fecit, ne assiduo esu deperirent: contra, quae saeva et maligna sunt, parum fetuosa. Unde fit ut lepus, quem venatur omnis fera, ales, homo, tam ferax sit: solaque ex omnibus bestiis, quum gravida est, denuo se impleri patiatur, et alium fetum in utero gestet pilis vestitum, alium nudum, alium tantum, quod formatum; alium concipiat. Et lepus quidem talis est. At leaena validissimum ferocissimumque animal, semel in vita unum parit, nam una cum fetu uteros emittit. Cuius rei causa est haec, quod scymnus leoninus, ubi moveri in utero incipit, quum habeat ungues longe acutissimos ex omnibus feris, uteros lacerat, augescensque multo magis ungues imprimendo exulcerat; ita ut ad postremum, quum partus instat, nihil eorum relinquatur incolume.

109. Sic quoque si viperae et alati Arabiae serpentes gignerentur ut ipsis natura fert, non esset hominibus vivendi facultas: nunc autem, quum libidine agitantur, et per paria coëunt, femina collum maris in emittenda genitura comprehendit, et innexa non prius dimittit

quam devoraverit, et mas quidem hoc modo perit. Femina vero talem luit masculo poenam: quod fetus dum adhuc intra ventrem sunt, patrem ulciscentes uterum ambedunt: eiusque alvo ambesa, ita partum faciunt. Ceteri serpentes qui non sunt hominibus perniciosi, ova pariunt et magnam vim fetuum excludunt. Porro viperae per universum orbem terrarum existunt: alati vero densi in Arabia et nusquam alibi, ideo videntur frequentes esse.

110. Thus vero illud hunc in modum Arabes comparant. Casiam autem sic: Postquam et totum corpus, et faciem praeter solos oculos obligaverunt coriis aliisque pellibus, ad casiam pergunt. Ea nascitur in palude non alta, circa quam et in qua degunt ferae alatae, vespertilionibus simillimae, stridore diro, et viribus praevalentibus: quas ab oculis arcentes Arabes, sic casiam metunt.

111. Cinnamomum etiam quam superiora mirabilius colligunt, nam aut ubi nascatur aut quae terra nutriat illud, nequeunt dicere: nisi quod probabili ratione utentes quidam narrent id gigni in iis regionibus ubi Bacchus educatus est: et ipsas festucas, quas nos ab Phoenicibus edocti vocamus cinnamomum, afferri a grandibus quibusdam alitibus ad nidos e luto constructos in praeruptis montium et homini inaccessis. Ad ista igitur Arabes haec excogitaverunt: boum asinorumque defunctorum et aliorum iumentorum membra concisa quam maxima in ea loca portant: et ubi iuxta nidos posuere, procul inde abscedunt. Ad haec frusta delapsae volucres ad nidos, carnem iumentorum apportant: cui sustinendae impares nidi, dirupti ad terram labuntur: tunc Arabes accedentes ita colligere cinnamomum; quod hac ratione collectum illinc in alias regiones dimittitur.

112. At ledanum, quod Arabes ladanum vocant, etiam cinnamomo mirabilius comparatur; quippe quod in graveolentissimo loco nascens, tamen fragrantissime olet. Nam in barbis caprarum hircorum invenitur innatum, veluti mucor ligni, cum ad conficieuda multiplicia unguenta uiile, tum praecipue ad suffitionem qua Arabes utuntur.

113. Hactenus de thymiamatis dictum sit. Redolet Arabica regio mirifice iucundo quodam odore. Suntque in ea ovium duo genera admiratione digna, quae nusquam alibi sunt. Quorum unum caudas habet longas, trium cubitorum, non breviores; quas siquis eas

trahere permittat, ulcera habeant certe, dum ad terram atteruntur: nunc vero unusquisque pastorum hactenus est doctus arte fabrili, ut plostella faciant, quae singula singularum ovium caudis subligent, superque plostella caudas ipsas alligent. Alterum genus ovium ad cubitalem latitudinem caudas gerit.

114. Huic, qua parte meridies ad solem occidentem vergit, contermina est Aethiopia, terrarum habitatarum ultima. Haec et auri multum fert, et vastos elephantes, prominentibus utrinque dentibus: et cum agrestes omnes arbores, tum vero ebenum, nec non viros maximos pulcherrimosque et aevi longissimi.

115. Atque haec quidem extrema sunt Asiae Africaeque. De extremitatibus autem Europae ad vesperam quod pro comperto referam non habeo, neque enim assentior fluvium quendam Eridanum a barbaris vocitari, qui exit in mare ad septentrionem spectans, unde electrum venire narratur. Ne Cassiteridas quidem novi insulas, unde ad nos venit cassiteros, stannum, nam vel ipsum coarguit nomen Eridanus, quod Graecum est, et non barbarum, ab aliquo poëta fictum. Sed etsi hoc studiose quaesivi, a nemine qui ipse viderit accipere possum, quomodo se habeat mare ad illam Europae partem. Ab extrema itaque ad nos venit stannum electrumque.

116. Ceterum ad septentrionem Europae quam plurimam auri vim esse constat: sed quomodo acquiratur, ne hoc quidem pro comperto dicere queo. Dicuntur tamen id a gryphibus auferre Arimaspi, viri unoculi, quod nec ipsum crediderim, ut viri nascantur unoculi, ceteram naturam habentes aliis hominibus parem. Porro extremitates terrarum videntur circumcludere aliam regionem, intusque cohibere ea quae nobis pulcherrima esse putantur et habere rarissima istae.

117. Est in Asia planities undique cincta monte quinque in locis interciso, quae aliquando fuit Chorasmiorum, in finibus sita Chorasmiorum ipsorum et Hyrcaniorum et Parthorum et Sarangensium et Thamanaeorum: sed posteaquam Persae rerum potiti sunt, facta est regis. Ex hoc igitur circumclaudente monte ingens amnis profluit, nomine Aces: qui quondam per singulas undique intercisiones ductus ac distributus, totidem quas dixi gentium regiones irrigabat: ubi vero in Persae potestatem venerunt, hoc ab illo sunt passae, quod sectionibus montium ab rege obstructis, et ad earum singulas portis positis, aqua ab exitu interclusa est; et planities quae intra montes erat, pelagus facta, quum

fluat in interiora annis, sed nulla ex parte exitum habeat: atque ita ipsae gentes pristino aquae usu fraudatae afficiuntur magno detrimento. Nam hyberno tempore deus illis, quemadmodum aliis hominibus, pluit; sed aestate quum serunt panicum et sesamum, aquam desiderant. Igitur quum nihil eis aquae tribueretur, ad Persas venerunt viri atque mulieres: stantesque ad fores regis, cum eiulatu vociferabantur. Tunc rex iis qui maxime indigebant portas reserari iussit, utique eas quae ad illud ferrent; easdem, quum illorum terra humore hausto satiata esset, rursus obserari; alias vero, ut quique ceterorum populorum maxime aqua indigerent, iubet aperiri, id faciens, quantum ego auditu cognovi, magnam pecuniam exigit praeter tributum. Atque haec quidem ita se habent.

118. Ceterum unum e septem viris qui adversus magum conspiraverant, Intaphernem, accidit per insolentiam ita perire: statim post oppressos magos regiam ingressus, volebat admitti ad colloquium regis: etenim hac etiam lege conventum erat inter magi oppressores, ut eis ad regem foret aditus sine internuncio, nisi cubantem cum uxore. Itaque non oportere sibi intervenire nuncium censens Intaphernes, quia foret unus e septem, introire utique volebat, sed quum ianitor et qui a responsis erat introire non sinerent, quod regem dicerent rei uxoriae dare operam, eos mentiri ratus, educto acinace, aures utrique naresque praecidit, et annectens circa frenum equi cervicibus ipsorum circumdedit hominesque dimisit.

119. Qui quum sese regi exhibuissent et cur id passi fuerant exposuissent, Darius singulatim unoquoque arcessito, veritus ne id communi sex sociorum consilio factum esset; exploravit numquid id quod actum foret comprobarent. Ubi comperit sine horum consensu Intaphernem haec fecisse, hominem comprehendit eiusque filium atque omnem familiam; multis de causis credens, illum cum suis propinquis rebellionem fuisse moliturum; hos comprehensos ad necem vinciri iussit. Tunc uxor Intaphernis ad regias fores accedens, plorabat atque lamentabatur. Id assiduo faciendo ad sui misericordiam Darium quum adduxisset, misso ad eam nuncio, rex inquit, Mulier, offert tibi Darius unius electionem ex vinctis domesticis tuis quem velis liberare. Illa posquam secum deliberavit, ita respondit, Si quidem unius animam rex mihi gratificatur, eligo ex omnibus fratrem. Haec audiens rex, miratus huius orationem, misso nun-

cio, inquit, Percontatur te rex, qua de causa viro filiisque praetermissis, fratrem delegeris, ut superesset, qui et remotiore abs te est gradu quam filii, et minus iucundus quam maritus. Cui illa respondens, O rex, inquit, maritus mihi alius, si daemon voluerit, atque alii liberi, si hos amisero, esse possunt: alius frater, parentibus meis iam vita defunctis, nulla ratione potest esse. Hanc sequuta causam, ita loquuta est, visaque est mulier Dario probe dixisse, itaque ea re delectatus, et eum quem mulier optaverat missum fecit, et filiorum natu maximum, ceteris omnibus interfici iussis. Ita unus e septem statim eo modo, quo dixi, occubuit.

120. Enimvero illud fere circa Cambysis infirmitatem contigit: Erat Sardibus praeses quidam a Cyro praefectus nomine Oroetes Persa, quem nefariae rei cupido incessit: siquidem Polycratem Samium, a quo nullo nec facto nec dicto quantulocunque laesus esset, quemque ne vidisset quidem unquam, tamen concupivit capere ad interimendum, ob hanc, ut plerique aiunt; causam: Quum aliquando ad fores regis considerent Oroetes et alter quidam Persa nomine Mitrobates, praefectus gentis, quae est in Descylio, e verbis ad iurgia pervenerunt. Et quum de virtute disceptaretur, Mitrobates obiiciens Oroeti, inquit, Tune in pretio virorum es, qui insulam Samum tuae provinciae adiacentem, regi non acquisivisti, ita facilem captu, ut quidam e popularibus quindecim armatis fretus occuparet, eiusque tyrannide nunc potiatur? Hoc iurgium audienti Oroeti adeo doluisse quidem aiunt, ut affectaverit non de obiurgante vindictam, sed Polycratem prorsus occidere propter quem male audisset.

121. Alii, sed pauciores, inquiunt, caduceatorem in Samum ab Oroete missum cuiusdam rei rogandae causa: cuius autem, non dicitur; Polycratem autem tunc forte in conclavi virili cubantem fuisse, assistente ei Anacreonte Teio, sive id consulto quod res Oroetis contemptui haberet; sive forte aliqua huiusmodi factum sit: ad quem quum acedens Oroetis caduceator, eius mandata exponeret, Polycratem neque se ad hominem convertisse: erat enim ad parietem versus, neque quicquam respondisse.

122. Hae duplices causae mortis Polycratis fuisse memorantur, quarum utrilibet accommodare fidem quis potest. Itaque Oroetes in urbe Magnesia degens, quae est super Maeandrum flumen sita, misit Myrsum Lydum, Gygis filium, cum nuncio in Samum ad Polycratem,

cuius animum noverat. Etenim Polycrates primus extitit Graecorum, quos novimus, secundum Minoem Cnossium, et siquis alius isto prior maris imperio potitus est, qui in animum induxerit ut mari potiretur: sed quod ad generationem et aetatem attinet, quae humana vocatur, primus est Polycrates, qui multam conciperet spem Ioniae atque insulis dominandi. Hoc igitur cum in animo habere certior Oroetes factus, misit nuncium in haec verba, Oroetes Polycrati ita inquit, Audio te res ingentes agitare animo, sed proposito rem pecuniariam non suppetere. Quod si ita feceris ut suadeo, prospexeris et tibi et saluti meae. Nam rex Cambyses, ut mihi pro comperto renunciatur, de me interficiendo cogitat; nunc igitur me ipsum recipito, atque pecunias, earum partem tibi habiturus, partem mihi permissurus: et ipsarum pecuniarum beneficio omni Graeciae imperaturus. De quibus si mihi fidem non habes, mittito quempiam tibi fidissimum, cui ego monstrabo.

123. Quo audito Polycrates gavisus est, atque obsequi volebat, maiorem enim in modum pecuniam avebat. Mittit itaque prius ad rem inspiciendam e popularibus Maeandrium Maeandrii filium, scribam suum: qui non longo post haec tempore ornatum conclavis Polycratis spectatu dignum templo Iunonis omnem dicavit. Hunc Oroetes quum cognovisset speculatorem esse expectandum, ita sibi agendum putavit: Octo arcas lapidibus quum implevisset, praeter admodum parvam partem circa ipsas oras, ac superficiem lapidum aurum iniecit; easque arcas alligatas in expedito habet. Quas adveniens Maeandrius quum inspexisset, Polycrati renunciavit.

124. At ille dehortantibus multum tum vatibus, multum quoque amicis, profectus illuc est, quum etiam filia in somnio vidisset hoc visum. Videbatur sibi cernere patrem in aëre sublimem esse, qui a Iove quidem lavaretur, a sole autem ungeretur. Hanc visionem conspicata, instabat omni modo dissuadere, ne a patria proficisceretur ad Oroetem: quinetiam ad navem L remorum eunti male ominabatur. Cui quum ille minitaretur, si sospes rediret, fore ut haec perdiu maneret virgo: ipsa ut ita contingeret, sibi imprecata est, malle enim se diutius virginem esse quam patre orbari.

125. Polycrates omne consilium pro nihilo habens, ad Oroetem navigavit, cum alios multos familiarium secum ducens, tum vero Democedem Calliphontis filium, Crotoniensem medicum, qui eam artem optime omnium

suae aetatis exercebat. Ubi Magnesiam pervenit Polycrates, tetra morte est affectus, nec digna vel sua persona vel cogitationibus: nam praeter illos qui Syracusis tyranni extiterunt, ne unus quidem aliorum Graecorum tyrannorum ullus est magnificentia cum Polycrate comparandus. Eum Oroetes, postquam, indigno, qui referatur, modo occiderat, cruci suffixit: ex illis vero qui illum comitabantur, Samios quidem dimisit, iubens eos gratiam sibi habere quod liberi essent: peregrinos autem atque servos eorum qui comites fuerant, pro mancipiis sibi vendicans, retinuit. Poycrates ergo suspensus omnem filiae visionem explevit; nam ab Iove quidem, quum plueret, lavabatur, a sole autem ungebatur, dum ipse ex corpore humorem emitteret. Hunc exitum habuerunt tot prosperae res Polycratis, quem ante vaticinatus ei fuerat Amasis rex Aegypti.

126. Verum non multo post tempore Polycratis manes ab Oroete poenas petiverunt, quippe post Cambysis obitum et usurpationem a magis regni, Oroetes quum maneret Sardibus, nihil de Persis, qui a Medis imperio fraudati erant, bene meritus est: ille vero in ea rerum conturbatione Mitrobatem Dascylii praefectum, qui illi de Polycrate exprobraverat, interemit, et eius filium Cranapem, spectatos in Persis viros: et cum alia quoque generis omnis flagitia commisit; tum quendam e nunciis, qui ad ipsum a Dario venerat, quod parum iucunda nunciasset, trucidandum in via curavit, summissis qui redeuntem aggrederentur; trucidatumque cum ipso equo occultavit.

127. Darius, ubi principatu potitus est, Oroetem ulcisci cum ob alia scelera, tum praecipue ob Mitrobatem filiumque, cupiebat: sed adversus eum directo mittere copias consilii non erat, utique rebus nondum satis tranquillis, et imperio recens parto: quum praesertim audiret Oroetem multa vi nixum, quum mille Persarum satellitio stipatus esset, nam suae provinciae habebat Phrygiam, Lydiam, Ioniam. Itaque Darius adversus haec hanc rationem inivit: Accitis Persarum laudatissimis, eos alloquutus est his verbis, Persae, quis hoc vestrum mihi repromittat, exequuturus et prudentia duntaxat, et nulla vi, nullisque copiis? Ubi enim opus prudentia est, ibi vi agere nihil attinet. Ergo quis vestrum mihi Oroetem vel ducat vivum, vel interficiat? qui de Persis nihil omnino bene meruit, sed cum alia multa scelera admisit, tum haec duo: unum, quod duos e nobis, Mitrobatem eiusque filium interemit; alterum,

quod a me missos ad se arcessendum necat, insolentiam non tolerandam exhibens, ideoque priusquam maiora in Persas mala admittat, occupandus est nobis nece.

128. Haec Darius interrogabat; et triginta extiterunt qui repromitterent, singuli volentes ipsi id exequi. Quos invicem contendentes Darius reprehendens, sortiri iussit, id quum fecissent, sors Bagaeum Artontis filium ex omnibus contigit. Hic sorte delectus, hac ratione usus est: Complures literas variis de rebus ubi scripsit, sigillumque Darii impressit, cum his profectus est Sardes. Eas, posteaquam in conspectum Oroetis venit, dedit separatim recitandas regio scribae, regios autem scribas cuncti praesides habent. Reddebat autem separatim Bagaeus literas, explorandi gratia animos satellitum, numquid annuerent ad deficiendum ab Oroete. Quos animadvertens magnopere venari literas, et ea, quae in illis dicerentur, etiam vehementius, reddidit aliam epistolam in haec verba; Persae, Darius rex interdicit vobis ne apud Oroetem fungamini satellitum officio. His illi auditis lanceas deposuerunt. Tunc Bagaeus cernens illos obtemperantes huic epistolae, sumpta fiducia reddidit scribae ultimum libellum in haec verba scriptum; Rex Darius mandat Persis, qui Sardibus sunt, ut Oroetem interimant. Id ubi audiere satellites, eductis acinacibus sine mora Oroetem interemerunt. Ita vindicta Polycratis Samii Oroetem Persam insequuta est.

129. Traductis atque comportatis Susa bonis Oroetis, contigit non diu post, ut in venatu ferarum Darius rex, dum ab equo desilit, pedem torserit. Et sane tortus fuit vehementius, nam talus e iuncturis exactus est. Se itaque existimans, ut etiam prius, habere ex Aegyptiis eos qui primi putarentur arte medicinae, eorum opera utebatur. At isti retorquendo pedem ac violenter tractando malum augebant; adeo quidem, ut septem dies totidemque noctes Darius, prae molestia qua afficiebatur, transegerit insomnes. Octavo die eidem male habenti quidam Democedis Crotoniatae mentionem apud eum facit; cuius de artificio prius iam inde Sardibus audisset. Darius hominem quam celerrime arcessi ad se iubet. Ille, ut inter servos Oroetis fuit iuventus, ubi pro neglecto habebatur, in medium adductus est, sicut erat trahens compedes ac pannosus.

130. In medio positum Darius interrogavit num quid eam nosset artem. Democedes non permittere, veritus ne si se proderet, usquequaque Graecia privaretur,

sed tamen visus fuit Dario dissimulandi artes bene nosse; unde iussit eos qui hominem duxerant, verbera et stimulos afferre in medium. Tunc ille dissimulatione missa, se plane quidem scire artem illam negavit, sed aliquantulum, ob eam consuetudinem quam cum medico habuisset. Factaque ei potestate curandi, Graecis medicamentis utens, et lenia post acria admovens, Darium compotem somni fecit, et brevi tempore incolumem reddidit, nequaquam amplius sperantem sibi integrum fore usum pedum. Ob quam curationen postea quum eum Darius duobus aurearum compedum paribus donasset, interrogavit Democedes numquid ideo se duplici malo ex industria mactaret, quod ipsum sospitem fecisset. Hoc dicto Darius delectatus, ad suas uxores hominem misit. Eunuchi vero qui eum deduxerunt ad feminas, dicebant hunc esse, qui restituisset animam regi: tunc earum unaquaeque subverberans auri phialam cum theca Democedi donavit tam amplo munnere, ut famulus nomine Scidon qui sequebatur, excidentes ex phialis stateres colligens, prorsus grandem auri summam coegerit.

131. Hic Democedes hunc in modum e Crotone profectus cum Polycrate consuetudinem habuit. In Crotone continebatur ab patre, sane difficili; quem cum gravaretur, eo relicto abiit in Aeginam: ubi commoratus, primo anno superavit primos medicos etsi imparatus, et nihil instrumentorum habens, quae ad artem medicinae pertinerent. Ex quo factum est, et insequenti anno Aeginetae publice conduxerint eum talento, Athenienses tertio anno centum minis, Polycrates quarto anno talentis duobus, ita Samum profectus est. A quo viro non minimum medici Crotoniatae inclaruerunt. Tunc enim id factum est, quando primi quidem Crotoniatae medici celebrarentur per Graeciam, secundi Cyrenaei. Qua etiam tempestate Argivi ceteris Graecis praestare musica ferebantur.

132. Tunc itaque Democedes Dario sanato Susis maximas aedes obtinebat, et cum rege mensam communem habebat, omnibus rebus affluens, praeter hanc unam quod in Graeciam redire non poterat. Quin etiam Aegyptios medicos regem antea curare solitos, quum essent patibulis suffigendi, quod a Graeco medico superati forent, impetrata ab rege venia liberavit: item vaticinum quendam Eleum, qui Polycratem sequutus fuerat et inter mancipia pro neglecto relictus. Denique maximi apud regem momenti Democedes erat.

133. Interiecto deinde brevi tempore, inter alia contigit, ut Atossae Cyri filiae, quae erat Darii uxor, in mamilla ulcus exoriretur, deinde diruptum porro serperet; quod ista, quoad fuit exiguum, prae pudore occultans, nemini indicavit: sed ubi male iam se habebat, arcessito Democedi rem ostendit. Ille se redditurum sanam affirmans, iureiurando adigit eam, ut sibi vicissim ipsa inserviat in eo quod oraverit, oraturum autem nihil, unde dedecus redundaret.

134. A quo posteaquam medicis remediis curata est, edocta ab eodem, Darium, dum cum eo cubat, his verbis alloquuta est, O rex, quum tantum tu, habeas copiarum, desides, nullam neque gentem neque potentiam Persis acquirens: atqui par est virum et iuvenem et magnarum opum dominum, aliquid operis edendo se ostendere, quo etiam Persae cognoscant sibi virum praeesse. Quod ut facias, duabus de causis interest, ut Persae et eum qui ipsis praeest, virum esse intelligant, et bello atterantur: ne otium agentes tibi insidias tendant. Nunc ergo aliquod opus edas quoad in aetate iuvenili es: nam augescente corpore ingenium quoque pariter augescit, et consenescente consenescit, et ad res omnes hebetatur. Haec Atossa ex admonitu Democedis. Ad quam Darius respondens, Quae, inquit, uxor, ipse, facere destinaveram, ea omnia dixisti; ego enim constitui Scythis bellum inferre, iuncto mari e nostra hac continente in alteram ponte: et haec brevi tempore perficientur. Ad eum Atossa, Animadverte, inquit, nunc; omitte primum Scythis bellum inferre, qui, quandocunque voles, tui erunt: adversus Graeciam mihi tu eas expeditionem; concupisco enim et Lacaenas et Argivas et Atticas et Corinthias fando cognitas, mihi fieri ancillas. Et ad hoc virum habes ex omnibus maxime idoneum ad demonstrandas Graeciae res atque exponendas, hunc qui pedem tuum sanavit. Cui Darius, Quandoquidem, inquit, uxor, tibi videtur nos primum Graeciam tentare debere, mihi videtur satius ante omnia mittere illuc exploratores Persas, una cum isto quem dicis, qui percepta ominia illic et visa renuncient: et mox ego ab illis edoctus, adversus Graecos tendam.

135. Haec loquutus Darius, et statim, quod dictum, factum quoque: namque ubi primum illuxit, accitis quindecim viris Persarum spectatis, praecepit ut sequentes Democedem omnia Graeciae maritima loca collustrarent, neve committerent ut Democedes ab illis aufugeret, sed rursus eum omnino reducerent. Haec illis

ubi praecepit secundo loco Democedem ipsum arcessitum orat; ut peragrata atque monstrata Persis omni Graecia, rursus redeat; iubetque eum dona ferre patri ac fratribus omnia sua instrumenta, quae secum sumeret, affirmans se alia multo copiosiora illi in vicem donaturum; ac praeter ea conferre illi ait ad dona vehenda onerariam navim, omnigenis bonis refertam, quae cum eo esset navigatura. Quae Darius nullo doloso consilio; ut mea fert opinio, premittebat; ille tamen veritus ne se Darius tentaret, non involans cuncta sibi oblata accepit: sed sua quidem se illic velle ait relinquere, ut ea reversus haberet: verum navim onerariam quam sibi Darius promitteret ad donationem fratribus, accipere respondit. Darius postquam haec etiam Democedi praecepit, homines ad mare demisit.

136. Isti, quum in Phoenicen descendissent, et Phoenices urbem Sidonem, confestim duas triremes nautis impleverunt, et simul ingentem onerariam omnigenis bonis; comparatisque omnibus in Graeciam traiiciunt, et quum appulissent adeuntes maritima eius loca intuebantur atque describebant. Donec pleraque ac celeberrima Graeciae loca contemplati, in Italiam Tarentum transmiserunt. Ibi Aristophilides Tarentinorum rex, ex indulgentia Democedis, gubernacula Medicarum navium resolvit, pariter et ipsos Persas detinuit, tanquam certos exploratores. Interea dum isti patiuntur haec, Democedes Crotonem abiit. Quo digresso et iam reverso ad domum suam, Aristophilides Persas missos fecit, restitutis iis quae de navibus abstulisset.

137. Illinc Persae navigantes, ac Democedem persequentes, Crotonem perveniunt: nactique in foro Democedem prehendunt. Eum Crotoniatarum quidam, res Persicas reformidantes, tradere parati erant: quidam iniectis e diverso manibus, fustibus caedebant Persas, haec verba proferentes; Viri Crotoniatae, considerate quid faciatis, qui hominem regis fugitivum eripitis. An ex usu erit vobis hanc iniuriam regi Dario intulisse, ac vobis bene cedet ista fecisse, si nos spoliaveritis? Cui enim prius quam huic urbi bellum inferemus? aut quam priorem diripere conabimur? Haec dicendo Crotoniatis plane non persuaserunt, quinimo non modo Democede, sed etiam oneraria navi quam una duxerant, privati sunt; atque in Asiam reverti, omisso iam studio discendi ulteriora Graeciae, quod duce essent fraudati. Quibus tamen in digressu Democedes mandavit ut Dario dicerent, Democedem duxisse uxorem Milonis filiam; erat enim

apud regem celebre nomen milonis luctatoris. Quas nuptias videtur mihi eo tempore properasse magna erogata pecunia, ut ipsum etiam in patria sua spectatum esse Dario appareret.

138. Profecti Crotone Persae, ad Iapygiam navibus suis cursu excidentes venerunt: a quibus in servitutem redactos Gillus quidam Tarentinus exul redemit, et ad regem Darium reportavit. Ob quod meritum quum rex paratus esset donare ei quicquid vellet, optavit se in patriam reduci, exposita prius sua calamitate; sed ne omnem Graeciam conturbaret, si classis ingens ipsius causa in Italiam mitteretur, aiebat solos Cnidios pares fore ad ipsum reducendum: existimans, pro amicitia quae Cnidiis erat cum Tarentinis, sibi praecipue reditum paratum iri. Id Darius pollicitus effecit, nam misso Cnidum nuncio iussit ut Gillum Tarentum reducerent. Cnidii Dario obsequentes, id tamen a Tarentinis non impetraverunt: nam ad vim inferendam invalidi erant. Atque haec hunc in modum administrata sunt, hique Persae primi exstitere, qui ex Asia in Graeciam traiecerunt explorandi gratia, et ob hanc rem.

139 Samum vero post haec rex Darius omnium urbium, tam Graecarum quam barbararum primam, capit, ob hanc causam. Dum Cambyses in expeditione adversus Aegyptum ageret, permulti se illuc Graecorum conferebant, partim, ut credibile est, negotiandi, partim militandi, partim ipsius regionis spectandae gratia. E quibus fuit Syloson Aeacis filius, Polycratis germanus, extorris patria. Huic Sylosonti felicitas huiusmodi contigit: sumto hic amiculo rutilo ac sibi circumdato, in foro Mempheos spatiabatur: quem quum vidisset Darius, Cambysis satelles, nullius etiamnum auctoritatis vir, captus desiderio amiculi, adit hominem ut mercetur amiculum. Syloson, animadvertens Darium magnopere amiculum cupere, divina fortuna usus, Ego, inquit, amiculum hoc nulla pecunia vendo, sed tibi largior, si hoc prorsus modo debet esse. Haec approbans Darius, accepit indumentum.

140. Syloson, qui putarat sibi illud stulte perisse, interiecto tempore, quum Cambyses decessisset, et septem illi magum oppressissent, et ex septem illis Darius regnum adeptus esset, ubi certior factus est ad eum virum pervenisse regnum, cui ipse roganti dedisset in Aegypto illud amiculum, Susa ascendit, sedensque ad antefores regiae, ait, se eum esse qui de Dario sit bene meritus: haec audiens ianitor, regi nunciavit: et admi-

rabundus rex, secum; Et quis, inquit, Graecorum est beneficus, cui ego reverentiam ante debeam, recens regno potitus? Etiamnum aut aliquis aut nullus eorum ad nos ascendit: nec ullius Graeci viri mutuum dicere habeo: tamen hominem introducite, ut sciam, quid haec dicendo velit sibi. Ubi a ianitore introductus est Syloson, ac stetit in medio, interrogatur ab interpretibus quisnam esset, aut quo facto beneficus in regem extitisset? Ipse rem omnem g- -am circa amiculum refert, seseque illum esse qui id donasset. Ad haec repondens Darius, O, inquit virorum generosissime, tune ille es, qui mihi nullamdum potentiam habenti donasti ea, quamvis parva, tamen perinde grata, ac si nunc aliquid magnum acciperem? Quam ob rem immenso te auro argentoque remuneror, ut nunquam poeniteat te liberalem in Darium Hystaspis filium extitisse. Ad quae Syloson, Mihi, inquit, O rex, neque aurum neque argentum dederis, sed patriam meam da Samum, ubi eam servaveris; quam nunc post necem fratris mei Polycratis ab Oroete interfecti, occupat servus noster: hanc mihi donato citra caedem atque direptionem.

141. His Darius auditis, misit exercitum duce Otane e septem viris, iusso ut quae Syloson rogasset, ea effecta redderet. Otanes ad mare descendens, contrahebat exercitum.

142. At Sami imperium obtinebat Maeandrius Maeandrii filius, acceptum a Polycrate, ut illud procuraret. Cui, iustissimo virorum volenti esse, non licuit: nam ubi de Polycratis interitu allatus est nuncius, fecit ista: ante omnia Jovi Liberatori statuit aram, eique fanum in circuitu designavit, quod nunc quoque in suburbanis extat. Deinde ubi hoc perfecit, advocata omnium civium concione, ita verba fecit; Mihi sceptrum atque omnis potentia Polycratis, ut vos etiam nostis, demandata fuit; et mihi nunc suppeditat vobis dominari: sed quae in propinquo repehendo, ispe quoad potero non faciam. Nam neque Polycrates placebat mihi, in viros sibi ipsi pares dominatum habens, neque alius quispiam talia faciens. Et Polycrates quidem fatum suum explevit: ego autem, posito in medium dominatu, iuris aequabilitatem vobis pronuncio: postulans tamen iure optimo mihi ipsi hos honores concedi, ut e pecunia Polycratis sex talenta eximia mihi cedant; et praeterea Iovis Liberatoris, cui ego templum exstruxi, sacerdotium, tam mihi ipsi, quam meis in perpetuum posteris; et sic libertatem vobis restituo. Haec Maeandrius a Samiis postulabat.

Tunc quidam surgens, Tu vero, inquit, indignus es qui nobis imperes, tu qui malus exstitisti, et es funestus, sed dignus potius qui pecuniarum, quas intervertisti, rationem reddas. Haec Telesarchus, ita enim vocabatur, dixit, inter cives spectatus.

143. Quae Maeandrius animo accipiens, reputansque fore, ut si ipse dominatum deponeret, alius quispiam in eius locum tyrannus constitueretur, non deponendum sibi dominatum statuit: sed in arcem regressus, accitum unumquemque eorum, tanquam rationem pecuniarum redditurus, comprehendit, et in carcerem misit. Post haec, dum hi in vinculis sunt, Maeandrius morbo corripitur: quem decessurum credens frater, nomine Lycaretus, quo facilius Sami rerum potiretur, omnes vinctos interemit; neque enim, ut videbatur, liberi esse volebant.

144. Igitur ubi Samum venere Persae, Sylosontem reducentes, nihil prorsum adversus eos manum levavit, et ii qui eiusdem Maeandrio factiones erant, se paratos esse ad se submittendum data fide dixerunt; et ipse Maeandrius ex insula discedere. Approbante haec Otane atque inito foedere, eminentissimi quique Persarum positis sellis e regione arcis sedebant.

145. Erat autem Maeandrio frater subvecordior, nomine Charileus, qui ob quodcunque delictum in subterraneo loco erat alligatus. Hic quum audisset quae agebantur, et per specum suspiciens vidisset Persas tranquille sedentes, vociferando dicebat velle se in colloquium venire Maeandrii. Eum audiens Maeandrius, iussit solutum ad se adduci: ubi adductus est, confestim conviciando maledicendoque illi suadebat, ut impetum daret in Persas; haec inquiens, Me tu, O deterrime virorum, qui sum tuus frater, quique nihil vinculis dignum peccavi, in subterraneo carcere alligandum putasti: Persas autem quos cernis te expellentes atque extorrem facientes, ulcisci non audes, tam faciles ad capiendum? Quos si tu reformidas, praebe mihi auxiliares, ut istos ob suum huc adventum ulciscar: paratus etiam te ipsum ex insula emittere. Haec Charileus.

146. Quem sermonem Maeandrius suscepit, quantum ego sentio, non quia eo insipientiae venisset, ut putaret suas vires regiis superiores esse: sed invidens Sylosonti, si civitatem integram sine labore esset accepturus. Irritatis igitur Persis maluit res Samias debilitare, atque ita tradere, probe intelligens, Persas, si quid ipsis accideret, saevituros esse in Samios, et sibi tutum

sciens ex insula esse excessum quandocunque vellet: foderat enim sibi occultum cuniculum, ex arce ferentem ad mare, itaque ipse quidem Maeandrius e Samo enavigavit. Charileus autem, armatis cunctis auxiliariis, patefactisque portis egreditur in Persas nihil tale expectantes, sed omnia convenisse existimantes. Hos Persas, qui sellis gestabantur et plurimi momenti erant, dato impetu auxiliarii occiderunt. Dum haec isti agunt, ceterae Persarum copiae auxilio veniunt; a quibus repulsi auxiliarii, rursus in arcem se recipiunt.

147. Otanes imperator, cernens tantam cladem illatam Persis, memor praeceptorum quae Darius, eum mittens dederat, ne quem Samiorum aut occideret aut caperet, insulamque immunem malorum Sylosonti traderet: horum dico praeceptorum reminisci neglexit, iussitque milites, ut quemque Samium adipiscerentur, occiderent, virum pariter et puerum. Tunc pars copiarum arcem obsidebat, pars obvium quemque sine discrimine trucidabat, tam in delubro quam extra delubrum.

148. Maeandrius e Samo profugiens, Lacedaemonem navigavit. Eo ubi pervenit, ac devexisset quae secum habens excesserat, id egit; postquam pocula argentea et aurea proposuit, servi in eo erant, ut ea extergerent: interea ipse Cleomenem, Anaxandridae filium, Spartae regem, colloquendo deducit ad aedes suas. Cleomenes ubi pocula vidit, prae admiratione attonitus erat. Maeandrius eum iubere, quaecunque liberet, illinc asportare: idque quum bis et ter Maeandrius diceret, tamen Cleomenes virorum iustissimus exstitit, qui ea quae sibi donabantur, recipienda non putavit. Sed quum didicit eadem aliis civium Maeandrium elargientem habiturum patrocinium, aditis ephoris, dixit satius esse Spartae hospitem Samium e Peloponneso ablegari, ne aut ipsi aut alii cuipiam Spartanorum persuaderet fieri malum. Illi, Cleomeni obsequentes, Maeandrio indixerunt abitum.

149. Persae ubi occupavere Samum, Sylosonti tradiderunt viris desolatam. Interiecto tamen tempore etiam Otanes imperator frequentem incolis effecit, tum e visione insomnii, tum ex morbo, quo laboravit circa pudenda.

150. Ceterum, dum Samum nauticus proficiscitur exercitus, Babylonii rebellaverunt, rebus probe admodum comparatis: nam quamdiu magus imperavit, et septem insurrexerunt, per hoc omne tempus et per

turbationem se ad ferendam obsidionem instruxerunt, et in his apparandis usque latuerunt: verum ubi e professo desciverunt, haec sibi facienda statuerunt: Matribus exceptis mulierum unam, quam sibi quisque voluit, e domesticis deligit; ceteras omnes contractas strangularunt: illam vero unam quisque ad panem pinsendum eligebat; strangularunt autem eas, ne frumentum ipsorum absumerent.

151. His rebus cognitis Darius collectis omnibus copiis adversus eos contendit: et postquam pervenit, urbem obsidione cingit. Sed illi nihili pendere obsidionem: nam conscensis muri propugnaculis, tripudiare probraque ingerere Dario atque exercitui eius; quorum quidam ita inquit, Quid hic desidetis Persae? quin potius absceditis, quippe tunc expugnaturi nos, quum pepererint mulae. Hoc quidam Babyloniorum dicebat, credens nunquam parere mulam.

152. Anno ac septem mensibus in obsidione consumptis, iam Darium, atque universum exercitum, taedere quod Babylonios expugnare non posset; etsi adversus illos omnia machinamenta atque omnes insidias expertus, cum alias, tum illas quibus eosdem Cyrus expugnaverat. Omnia haec frustra fuerunt, quia Babylonii vehementer excubiis incumbebant.

153. Sed quum ne sic quidem capi possent, vicesimo quam circumvallati sunt mense, Zopyro, Megabyzi filio, unius e septem viris qui magum sustulerunt, hoc contigit portentum, ut quaedam mularum eius quae frumentum subvetabant, pareret. Quod ubi ei renunciatum fuit, non credens, fetum ipse inspicere voluit; simulque vetans servos, cuipiam rem aperire, consultabat, et ad illius Babylonii verba, qui inter initia dixerat, postquam mulae peperissent, fore ut murus, expugnaretur: ad hoc omne a Zopyro visa est expugnabilis Babylon: divino enim numine et illum loquutum et sibi mulam peperisse.

154. Igitur ubi visum est fatale esse iam Babylonem capi, adiens Darium, sciscitatus est, numquid perquam magni faceret expugnare Babylonem? Audiens perquam magni ab illo fieri, aliud consultat, quomodo ipse foret urbis expugnator, et suum hoc esset opus: bene gesta enim apud Persas permultum ad incrementa magnitudinis valent. Alio quidem nullo opere illam se imperio subdere posse cogitabat, quam si a seipso mutilatus ad illos transfugeret. Tum igitur parvi pendens se ipsum insanabili mutilatione afficit, quippe nasum sibi

praecidit auresque, comamque deformiter circumtondit, et se flagris cecidit: atque ita ad Darium perrexit.

155. Quem ille intuens, virum videlicet spectatissimum mutilatum, adeo graviter tulit, ut exiliens e solio exclamaret, interrogando quis eum et ob quod facinus mutilasset? Ad eum respondens Zopyrus, Nemo, inquit, ille vir est praeter te, cuius tanta potentia est, ut ita me possis afficere, neque alienus quispiam, O rex, haec mihi fecit, sed ipse ego: quod indigno animo fero Assyrios Persis illudere. Cui respondit, O virorum miserrime, turpissimo facto pulcherrimum nomen imposuisti, inquiens propter eos qui obsidentur, temetipsum indigne lacerasse. Numquid, O demens, te mutilato hostes citius deditionem facient? quomodo non te ipsum lanians mente excidisti? Ad eum Zopyrus, Siquidem, inquit, prodidissem, quae eram facturus, tu mihi non permisisses: nunc memet ego adhibens, id feci. Itaque iam Babylonem capimus, nisi tu tuis deeris; ego enim ita uti sum ad murum pro transfuga ibo, dicamque illis me haec abs te esse passum: et opinor, ubi persuasero illis haec ita habere, militiae fiam particeps. At tu decimo die quam murum fuero ingressus, mille milites ex eo genere, cuius iactura nihil admodum damni fiat, colloca ad portas quae vocantur Semiramis: rursus interiectis septem diebus, colloca mihi alia duo millia ad portas, quae dicuntur Niniorum: atque tertio viginti diebus interiectis, e regione portarum, quae dicuntur Chaldaeorum, alios statue, numero quatuor millia: sed neque priores neque posteriores habeant quo se defendant, praeter gladios: hoc tantum sinas eos habere. Post diem vicesimum reliquas copias iube recta muros undique subire. Verum ad portas quae Belides ac Cissiae vocantur Persas mihi statuito: etenim, ut ego arbitror, Babylonii mihi, qui magna opera ediderim, committent cum alia, tum vero portarum claves: illinc mihi atque Persis curae erit operam navare.

156. Haec ubi mandavit, ad portas perrexit, subinde respectans tanquam vere perfuga. Eo conspecto qui in turribus ad id dispositi erant, deorum decurrerunt, et alteram portam aliquantulum reclinantes, sciscitabantur, quisnam esset, et cuius rei indigens veniret. Quumque hic dixisset se Zopyrum esse, et se ad illos transfugere, eum ad Babyloniorum magistratus deduxerunt. Ante quos ubi stetit Zopyrus, conditionem suam miserabatur, referens a Dario se passum quae a semetipso passus erat; idque ob eam causam quod

suasisset illi discedere cum exercitu, quoniam nulla via ostenderetur urbis expugnandae. At nunc, inquit, ad vos venio, Babylonii, futurus vobis maximo bono, Dario autem et copiis et Persis maximo malo. Neque enim quod ita me mutilavit feret impune, quum habeam exploratas omnes consiliorum eius vias. Haec Zopyrus commemorabat.

157. Quem Babylonii virum apud Persas spectatissimum cernentes naso atque auribus privatum, vibicibus ac sanguine conspersum, existimantes omnino vera eum loqui, et ad ipsos venire socium, parati erant ad committenda ei quaecunque postulabat. Postulabat autem copias militum: quod ubi ab illis accepit, perfecit ea quae cum Dario constituerat. Siquidem decimo die eductis Babyloniorum copiis, Persas, quos collocari primos Dario mandarat, circumventos trucidavit. Eum Babylonii animadvertentes consentanea verbis facta praestare, maiorem in modum laetabantur, parati omni in re homini parere. Iste rursus interiectis diebus de quibus erat conventum, cum delectis Babyloniorum egressus duo millia Darii militum interfecit. Babylonii cernentes hoc etiam opus, nihil aliud quam Zopyrum in ore omnes habere, laudibus tollere. Hic rursus constitutis diebus supersedens ad id quod praedixerat copias educit, circumventaque quatuor millia occidit: quo et ipso opere edito, Zopyrus omnia apud Babylonios erat, adeo ut et dux exercitus et murorum custos declararetur.

158. Ubi vero e composito Darius copias undique muris admovit, ibi Zopyrus dolum omnem patefecit: nam quum Babylonii conscenso muro copias Darii adorientes arcerent, ipse apertis portis quas Cissias ac Belidas vocant, Persas intra murum introduxit. Ex Babyloniis, qui id factum videbant, alii quidem in templum Iovis Beli fugerunt; qui non videbant, hi in suo quisque loco permanserunt, donec et ipsi se proditos intellexerunt.

159. Ita Babylon iterum capta est; qua potitus Darius et muros eius circumevertit et portas omnes detraxit: quorum neutrum Cyrus fecerat prius eidem a se captae. Babyloniorum quoque procerum tria millia patibulis affixit, data ceteris venia urbem incolendi. Atque ut iidem uxores haberent unde succresceret suboles, providit; nam feminas proprias Babylonii, ut superius demonstratum est, rei frumentariae consulentes, stran-

gulaverunt. Itaque Darius vicinis circum populis negotium dedit, ut feminas Babylone exhiberent, iniungens singulis numerum. In summa igitur quinquaginta millia feminarum convenerunt, ex quibus qui nunc sunt Babylonii originem duxerunt.

160. Zopyri autem factorum praestantiam nemo Persarum, Darii iudicio, supergressus est, neque eorum qui prius, neque eorum qui posterius exstiterunt, praeter unum Cyrum; cui comparari nullus unquam Persarum dignum se existimavit. Fertur que Darius hoc dictum saepenumero usurpasse, praeoptaturum se, Zopyrum nihil esse cladis passum, quam viginti sibi Babylones ultra illam quam haberet acquiri. Egregie vero eum remuneratus est, cum dando quotannis dona, quae apud Persas sunt honorificentissima, tum tradita Babylone immuni, quoad viveret, in peculiarem portionem; sed et alia multa insuper dedit. Huius Zopyri filius fuit Megabyzus, qui dux exercitus exstitit in Aegypto adversus Athenienses et socios; atque huius Megabyzi filius Zopyrus ille, qui ad Athenienses transfugit a Persis.

HERODOTI

HALICARNASSEI HISTORIARUM

LIBER QUARTUS,

QUI INSCRIBITUR

MELPOMENE.

Post Babylonis expugnationem, ipse Darius adversus Scythas expeditionem fecit. Nam quum floreret viris Asia et magno pecuniae proventu, cupido incessit ei Scythas ulciscendi: quippe qui priores iniuriam intulissent, quum Mediam ingressi essent, et eos qui restiterant, proelio vicissent. Etenim Scythae, quemadmodum et superius a me dictum est, duodetriginta annos superiori Asiae imperitaverunt, siquidem persequentes gentem Cimmeriam, ingressi Asiam, abrogarunt imperium Medis, qui ante ipsorum adventum Asiam obtinuerant. Sed Scythas, quum octo et viginti annos peregre abfuissent, et post tantum temporis in patriam reverterentur, excepit non minor, quam Medicus fuerat, labor: offenderunt enim non exiguam militarem turbam sibi occurrentem. Uxores namque eorum, in diuturna virorum absentia cum servis consueverant.

2. Occoecant autem Scythae servos omnes lactis gratia, quod potant, ita id facientes: Sufflatoria ossa fistulis simillima sumuntur, eaque genitalibus equarum imposita ore inflantur, aliis inflantibus, alii equas emulgent. Hoc ideo se facere aiunt, quod venae equarum sufflatae implentur et uber demittitur. Posteaquam emulxere lac, in cava vasa lignea diffundunt: et compungentes ad illa vasa caecos lac agitant, cuius quod summum est delibatur, pretiosiusque habetur: vilius autem, quod subsidit. Huius rei gratia Scythae quemcunque capiunt, visu orbant, non enim agricolae sunt, sed pastores.

3. Ex his igitur servis et uxoribus Scytharum educata est iuventus, quae suorum natalium conditione cognita, obviam perrexit iis quum reverterentur a Me-

dis. Et primum quidem regionem intersepserunt ducendo latam fossam, quae a Tauricis montibus pertinebat ad Maeotin paludem maximam: deinde Scythis introire conantibus castris contra positis repugnabant. Saepe commissa pugna, quum nihil tamen Scythae pugnando proficerent, unus ex eis inquit, Quidnam rei facimus, viri Scythae? cum nostris ipsorum servis dimicantes, dum interficimur, pauciores efficimur: et illos interficiendo, paucioribus deinceps imperabimus. Mihi videtur spiculis arcubusque omissis sumenda cuilibet flagella, quibus equos verberamus, et ad illos propius eundum. Nam quoad vident nos arma habentes, arbitrantur se similes nobis, atque e similibus esse: ubi nos pro armis verbera tenere viderint, tunc se nostros servos esse intelligentes, atque id agnoscentes, non perstabunt.

4. Hoc Scythae quum audissent, ita sibi faciendum putaverunt. Qua ex re perculsi illi, pugnae immemores, fugam capesserunt. Ita Scythae imperio fuerant Asiae potiti: et rursus a Medis eiecti, ad patriam hunc in modum reversi. Hac de causa Darius ulciscendi cupidus, comparavit contra eos exercitum.

5. Scythae gentem suam omnium novissimam esse aiunt, idque hoc modo exstitisse. Virum quendam in hac terra, quum deserta esset, primum fuisse, nomine Targitaum, et eius parentes dicunt esse, mihi quidem non credenda dicentes, dicunt tamen, Iovem, Borysthenisque fluvii filiam. Tali quidem genere ortum Targitaum: eiusque tres liberos fuisse, Lipoxain, Arpoxain, et novissimum Colaxain. His regnantibus, ex coelo in Scythicam regionem cecidisse ex auro facta, aratrum, iugum, securim, phialam. Quae quum primus omnium vidisset natu maximus, accessisse prope animo illa sumendi: sed eo accedente, aurum arsisse: hoc digresso, secundum accessisse, et itidem aurum arsisse. Ambobus ab ardenti auro summotis, quum minimus natu accederet tertius, aurum constitisse, et ab illo asportatum ad domum illius, eaque re maiores fratris animadversa, totum regnum ad minimum detulisse.

6. Et a Lipoxai quidem progenitos esse Scythas, quorum genus Auchatae appellatur: ab Arpoxai vero, qui medius fuit, eos qui Catiari et Traspies nominantur: a minimo autem natu rege, qui Paralatae vocantur. Omnibus autem nomen esse Scolotis, regis cognomen, sed Scythas Graeci appellavere.

7. Hunc in modum se exstitisse Scythae memorant, et ex quo exstiterunt, a primo rege Targitao, usque ad Darii adversus ipsos transitum, annos omnino mille, non amplius, sed totidem fuisse. Aurum vero illud sacrum accuratissime custoditur a regibus, placantesque magnis sacrificiis, adeunt quotannis et qui aurum sacrum habens, die festo dormierit sub die, is ab Scythis nunquam perennare fertur: et ob id dari ipsi tantum soli quantum uno die vectus equo circumire potest. Quum autem regio sit ingens, Colaxain constituisse triplex filiis suis regnum: et in his unum maximum, ubi aurum asservatur. Quae autem ad ventum aquilonem, ultra eos, qui supremi incolae regionis sunt, dicunt non posse ulterius neque prospicere neque transire, propter fusas pennas. Pennis enim tum terram, tum aërem oppletum esse: et has praepedire visum.

8. Haec Scythae pariter de seipsis ac de regione superiore narrant. At Graeci qui Pontum incolunt, ad hunc modum: Herculem, Geryonis vaccas agentem, in hanc pervenisse terram, quae deserta esset, quam nunc Scythae incolunt. Geryonem autem habitasse extra Pontum, incolam insulae, quam Graeci Erythiam vocant prope Gades, quae sunt extra columnas Herculis in Oceano. Oceanum vero, ab ortu solis incipientem, circumfluere terram omnem, verbis quidem affirmant, sed re tamen non demonstrant. Herculem illinc in regionem quae nunc Scythae vocatur venisse, adducta sibi pelle leonis obdormisse, deprehenderat enim eum hiemans tempestas et gelu, et equas, eius a curru pascentes medio tempore divina sorte non comparuisse.

9. Eas experrectus quum indagaret omnem regionem perlustrans, tandem in terram quae dicitur Hylaea devenisse; ibique in antro quandam invenisse virginem mixtae naturae, Echidnam geminam: superne quidem, natium tenus feminam; inferius autem serpentis. Eam conspicatum Herculem atque admiratum, interrogasse nuncubi equas errabundas vidisset: Illamque respondisse, Se illas habere, sed non prius redditurам ei, quam cum ipsa coiisset: Herculem pro ea mercede cum illa concubuisse. Sed quum illa differret reddere equas, cupida diutissime cum Hercule concumbendi, at hic cuperet receptis equis abire ad postremum illis redditis eam dixisse, Has ego tibi equas, quae huc venerant, servavi: tu earum servatarum pretium solvisti. Concepi enim ex te filios tres: quibus ubi adoleverint, expone quid facere debeam; utrum hic praebeo domicilium, nam so-

la huius regionis imperium teneo, an ad te mitto? Haec percontatae respondisse, Posteaquam eos in virilem aetatem adolevisse videris, si ita facies non delinques: quem animadverteris eorum hunc arcum ita tendentem, et hoc balteo ita praecinctum, eum tu huius regionis incolam effice: qui autem his operibus, quae mando, non erit par, eum hinc ablegabis. Haec exequendo et ipsa laetaberis, et praeceptis meis obtemperabis.

10. Atque ita quidem Herculem, postquam adduxit alterum arcum, duos enim hucusque gestabat, et balteum, qui balteus in extrema commissura haberet auream phialam: et his donatis abiisse. Illam pueris natis quum in virilem aetatem adoleverunt, partim nomina imposuisse uni, Agathyrso; sequenti, Gelono; minimo, Scythae: partim eandem mandatorum memorem illa peregisse: et duos quidem filiorum Agathyrsum ac Gelonum, qui proposito certamini non suffecissent, a matre ablegatos e regione excessisse: Scytham vero minimum natu qui rem complesset, ibidem remansisse, et ab illo Scytha Herculis filio progeneratos, qui deinceps fuerint reges Scytharum: ab illa autem phiala, Scythas ad hanc usque aetatem phialas in balteis ferre: et id solum Scythae matrem excogitasse. Haec Graeci qui habitant in Ponto referunt.

11. Fertur et alius sermo ita habens, cui ipse praecipue assentior: Scythas Nomadas, qui Asiam incolunt, quum a Massagetis bello vexarentur Araxe transmisso, in Cimmeriam abiisse, nam regio quam nunc Scythae incolunt, ea fertur olim fuisse Cimmeriorium. Sed invadentibus Scythis Cimmerios, quum deliberarent, tanquam magno irruente exercitu, sententia diversos fuisse; utraque quidem rigida, sed regum meliore, nam populum quidem sensisse consultius fore, si excederent, neque quod precabantur, contra plures periclitarentur: ad reges, pro regione cum invasoribus dimicandum. Ita quum neutris alteri obtemperare vellent, et populus consilium caperet sine proelio demigrandi, tradita invadentibus regione; reges vero, in sua potius patria occumbentes iacere, nec una cum plebe fugiendum censuisse, quot bona habuissent, et quot mala evidentia habituri essent patria profugi, reputantes: haec illos sentientes, sedisse et inter se decertasse, utrosque numero pares: et omnes qui ab popularibus essent occisi, fuisse a populo Cimmeriorum sepultos ad flumen Tyren: et eorum adhuc sepulcrum manifestum est. Sepultis his illum, a

regione ingressae: quam desertam supervenientes Scythas occupavisse.

12. Extantque adhuc in Scythia tum muri Cimmerii, tum Portkmia Cimmeria, tum regio nomine Cimmeria est, et Bosporus, qui Cimmerius appellatur. Constat autem Cimmerios in Asiam fugisse Scythas, et Chersonesum condidisse, ubi nunc Sinope Graeca urbs ita est Apparet etiam Scythas in persequendis illis Mesiam intrasse, via aberrantes, nam Cimmerii quidem dugientes, iter semper iuxte mare tenebant; Saithae autem ad dexteram Caucasum habentes, eos insequebantur, donec ingressi sunt Mediam, itinere in mediterraneo converso.

13. Alia quoque fertur communis Graecorum barbarorumque narratio. Aristeas quidam Proconnesius, versificator, Caustrobii filius, memoravit se Phoebo instinctum venisse ad Issedonas: supra hos incolere Arimaspos, viros unoculos: et item supra hos esse gripas, qui aurum asservent: ac super hos esse Hyperboreos, ad mare pertinentes. Hos autem omnes, praeter Hyperboreos, Arimaspis autoribus, assidue finitimis bellum inferre, et ab Arimaspis exterminari Issedones ab Issedonibus Scythis: a Scythis autem vexatos Cimmerios, qui ad australe mare incolebant, regionem relinquere. Itaque ne Aristeas quidem cum Scythis de ea regione consentit.

14. Qui unde fuerit, qui haec retulit, dictum est: sed a me dicetur item, quidnam de eodem viro in Proconneso et Cyzico audierim. Aristeam enim aiunt, quum nullo suae civitatis esset inferior genere, ingressum in Proconneso fullonicam officinam, decessisse: fullonemque occlusa officina, abisse denunciatum rem propinquis defuncti. Dissipatoque iam per urbem rumore Aristeam esse vita functum, in quaestiones hoc affirmantibus quendam venisse Cyzicenum, ex urbe Artace profectum, qui diceret sibi occurrisse eunti Cyzicum, ac fuisse colloquutum. Et quum id iste contendendo asseveraret, propinquos mortui ad fullonicam praesto fuisse, habentes quae ad efferendos homines expediunt; sed aperta domo, Aristeam nec mortuum nec vivum comparuisse; septimoque deinde anno, quum in Proconneso comparuisset, eos versus fecisse, qui nunc a Graecis Arimaspei vocantur; quibus conditis, rursus evanuisse. Haec quidem istae civitates commemorant.

15. Sed haec ego novi evenisse Metapontinis, qui sunt in Italia, trecentis et quadraginta annis post secun-

dum recessum Aristeae, quemadmodum coniiciens et in Proconneso et apud Metapontinos inveni. Metapontini enim aiunt ipsum Aristeam, quum in regione ipsorum apparuisset, iussisse aram Apollini exstrui, et iuxta eam erigi statuam, quae cognomen Aristeae Proconnesi haberet: dixisse enim ipsis Italiotarum solis Apollinem in regionem venisse, et se illum assectari, qui nunc Aristeas esset; tum vero quum deum assectaretur, corvum fuisse: et istum haec loquutum evanuisse. Eoque aiunt Metapontini se Delphos misisse sciscitatum ex Deo quodnam illud hominis esset spectrum, sibique praecepisse Pythiam ut dicto audientes illi essent, melius enim cum ipsis actum iri, si parerent. Se igitur haec admittentes perfecisse. Et nunc statua extat cognomine Aristeae, iuxta statuam ipsam Apollinis, in foro exstructum, circumstantibus in orbem lauris. Haec de Aristea hactenus.

16. Regione autem, de qua hic sermo dicere instituit, quidnam sit ulterius, nemo exploratum habet, neque enim id inquirere ab aliquo potui, qui se diceret nosse quod ipse vidisset; sicut nec ullum Aristeas, cuius paulo ante ista feci mentionem, neque iste in iis, quos fecit, versibus, ait se ultra Issedones processisse; sed ulteriora fatebatur auditu, testatus Issedones illa commemorare. Verum a nobis, quoad longissime auditu penetrare liquide potuimus, omne referetur.

17. Ab emporio Borysthenitarum, hoc enim ex maritimis totius Scythiae est maxime medium, ab eo primi incolunt Callipidae, qui sunt Graeci Scythae, super hos alia gens, qui vocantur Alazones. Horum utrique in ceteris servant ritum Scytharum; sed frumentum serunt, eoque vescuntur, et saepe et alio et lente et milio. Supra Alazones autem incolunt Scythae aratores, qui non ad edendum serunt triticum, sed ad vendendum. Supra hos incolunt Neuri: quorum tractus qui ad aquilonem vergit, quantum nos scimus, ab hominibus desertus est. Atque hae quidem nationes iuxta flumen Hypanin colunt, ad occidentalem partem Borysthenis.

18. Verum transmisso Borysthene a mari prima est Hylaea: dehinc habitant Scythae agricolae, quos Graeci, qui ad Hypanin incolunt, Borysthenitas appellant, ipsi vero se Olbiopolitas. Hi igitur agricolae Scythae colunt quidem quod patet ad auroram trium dierum iter pertinentes ad flumen nomine Panticapem: quod vero ad ventum aquilonem, undecim dierum na-

vigatione per Borysthenem: tractus autem ulterior his, in multum sane spatii desertus est. Ultra quam solitudinem habitant Androphagi, id est, virorum carne vescentes, separata natio, ac nequaquam Scythica. At supra hos deserta iam procul dubio omnia, nec ulla hominum gens, quantum nos scimus.

19. Quae vero ad latus orientale horum Scytharum, qui agricolae sunt, plaga adiacet, transmisso flumine Panticape, Scythae iam Nomades, id est pastorii, incolunt, neque serentes quicquam neque arantes. Nuda autem arboribus est omnis haec plaga praeter Hylaeam. Nomades autem isti incolunt spatium quatuordecim dierum itineris, auroram versus, ad Gerrhum usque flumen.

20. Trans Gerrhum autem sunt ea quae vocantur regia, et Scythae optimi pariter et plurimi, et qui suos servos esse ceteros Scythas arbitrantur; a meridie quidem ad Tauricam regionem pertinentes, ab aurora vero ad fossam quam duxerunt illi qui e caecis geniti fuerunt; et ad emporium paludis Maeotidis, quod vocatur Cremni, sed eorum alia ad flumen Tanain porriguntur. At superiora ad ventum aquilonem Scythis regiis, ea incolunt Melanchlaeni, alia gens non Scythica; et supra Melanchlaenos paludes sunt, et deserta hominibus regio, quantum nos scimus.

21. Trans flumen autem Tanain non amplius regio Scythica; sed prima quidem portionum est Sauromatarum, qui a recessu Maeotidis paludis incipientes, incolunt tractum qui spectat aquilonem, iter dierum quindecim, vacuum prorsus arboribus tam agrestibus quam mitibus. Supra hos habitant secundam portionem tenentes Budini, terram colentes totam omni arborum genere spissam. Supra Budinos ad aquilonem statim excipit solitudo octo dierum itineris.

22. Post hanc solitudinem declinanti magis ad ventum subsolanum, incolunt Thyssagetae, natio copiosa et propria, et e venatu victitans. His contigui, in eisdem habitantes locis sunt, quibus nomen inditum est Iyrcae, et ipsi e venatione victitantes, hunc in modum: Conscensis arboribus, quae per omnem regionem frequentes sunt, insidiantur, singulis autem adest equus, in ventrem procumbere edoctus, humilius subsidendi gratia: est in promptu et canis. Ubi quis igitur ab arbore feram viderit, sagittaque percusserit, conscenso equo illam persequitur, et canis adhaeret. Super hos

regionem aurorам versus incolunt alii Scythae, qui a regiis Scythis deficientes, ita in hunc locum pervenerunt.

23. Ad hos usque Scythas regio omnis Scythica est campestris, et profundi soli: reliqua dehinc lapidosa atque celebrosa. Cuius regionis magno transmisso spatio, incolunt ad excelsorum montium radicem homines, qui ab ipso natali dicuntur esse calvi, mares pariter et feminae, simis quoque naribus, et ingenti mento; propriam vocem edentes, sed Scythicam gestantes vestem: ex arboribus victitantes, cui arbori nomen est Ponticum, magnitudo fere eadem quae fico, fructus fabae instar, nucleum habens. Id ubi maturuerit, vestibus excolant, et quod ab eo crassum et nigrum defluit, nomine aschy, id et lingunt, et lacte commixtum potant, et ipsius quoque crassitudine faecis massas componunt et edunt. Neque enim multum est eis pecorum, utpote non sunt ibi pascua serio culta. Sub arbore quisque habitat: per hyemem quidem, ubi arborem pileo albo firmoque contexerint; per aestatem vero, siue hoc pileo. His nemo mortalium iniuriam infert, sacri enim dicuntur esse: nihilque Martiorum armorum possident. Et partim quidem hi sunt, qui finitimorum controversias dirimunt; partim vero quisquis exulans ad eos confugit, is a nemine laeditur. Nomen eis est Agrippaei.

24. Ad hos usque calvos ingens circumcirca prospectus est regionis et gentium, quae in anterioribus sunt. Nam et Scytharum nonnulli ad eos commeant, quos non difficile est sciscitari; atque etiam Graecos ex emporio Borysthenis atque aliis Ponticis emporiis. Ex Scythis vero qui ad eos commearint, per septem interpretes totidemque linguas sua peragunt.

25. Horum tenus notitia rerum habetur, at quod supra illos calvos est, nemo pro comperto referre potest, nam montes editi inaccessi praecidunt, et eos nemo transcendit. Isti tamen calvi referunt, quae apud me fidem non habent, incoli montes ab viris capripedibus: quos ubi transieris, esse alios qui senos menses dormiant, quod ego omnino non admitto. Sed tractum illum qui ad auroram calvis est, ab Issedonibus habitari sine ambiguitate compertum est. Ille vero superior vergens ad aquilonem ventum non cognoscitur vel ab calvis, nisi quatenus isti ipsi dicunt.

26. Issedones porro talibus moribus uti feruntur: Quoties pater alicui decessit, omnes propinqui pecora adducunt; quae ubi mactaverunt, conciderunttque carnes, condicunt et mortuum patrem illius, a quo ex-

cipiuntur, commixtisque omnibus carnibus convivium exhibent. Caput autem eius depilatum, expurgatumque inaurant, eoque pro re sacrata utuntur, peragentes quotannis magna sacrificia. Haec filius patri facit, quemadmodum Graeci emortuali die. Alioqui dicuntur et illi iusti esse, et ipsorum uxores peraeque fortes ac viri. Hi et ipsi cognoscuntur.

27. Quod ab his supernum est, ibi aiunt Issedones esse, homines unoculos, et grypes auri custodes. Hoc ab eis nacti Scythae narrant, a Scythis nos ceteri pro vero habuimus, et Scythice eos appellamus Arimaspos, nam arima Scythae unum vocant, spu vero oculum.

28. Omnis autem quae dicta est regio adeo infestatur hyberna saevitia, ut octo mensibus intolerabile sit illic gelu; in quibus si aquam effundas, non facias lutum, facies autem, si illic ignem accenderis. Mare compingitur, et omnis Cimmerius Bosporus: superque glaciem qui intra fossam incolunt Scythae militant, et plaustra agunt trans eam usque ad Sindos. Ita via hyberna octo mensibus perstat, quatuor tamen mensibus reliquis frigora illic sunt. Indoles autem huius hyemis diversa est ab illis, quae ceteris in regionibus contingunt omnibus: nam quum tempus pluendi est, nihil illi quod sit ullius momenti, pluit: aestate pluere non cessat. Quin etiam tonitrua quando alibi fiunt, tum ibi nulla existunt, per aestatem vero densa: hyeme si fiat tonitru, pro ostento in admiratione est; sicut terrae motus si existat seu aestate seu hyeme in Scythica regione, prodigium creditur. Eam vim hyemis equi sustinentes ferunt, muli asinique prorsus non ferunt: quum tamen alibi stantes in gelido equi tabefiant, asini vero ac muli durent.

29. Et haec mihi videtur esse causa, cur omnino cornua bovino generi illi mutilo istic non nascantur, astipulante sententiae meae Homeri carmine in Odyssea, quod ita habet,

Et Libyen, ubi sunt cornuti protinus agni.

Quod recte dictum est, in locis festine cornua adnasci; at in vehementibus frigoribus aut non oriuntur omnino pecoribus cornua, aut si oriuntur, vix oriuntur.

30. In Scythia itaque haec propter frigora contingunt. Quo magis miror, (ab initio enim oratio mea accessiones indagabat) cur in omni Eleo agro muli nequeant gigni, quum neque locus sit frigidus, neque ulla alia causa appareat. Aiunt Elei ipsi ex imprecatione

quadam non gigni sibi mulos sed quum tempus conceptus equarum adest, ad finitimos illas educunt; ibi postquam admiserint asinos, usque dum conceperint, tunc rursus eas reducunt.

31. De pennis autem, quibus aiunt Scythae oppletum esse aërem, et idcirco non posse prospici longinquiora continentis, nec transiri, de illis haec est mea sententia: Quae super eam regionem sunt, assidue nix in ea cadit, et ut credibile est, minus aestate quam hyeme: Iam igitur cuilibet cominus intuenti cadentem nivem copiosam liquet, quod dico nix enim pennis assimilis est: et propter hanc talem hyemem inhabitabilia sunt eius continentis loca quae ad aquilonem spectant. Eoque opinor, pennas nivem esse interpretantes Scythas ac circumiectas gentes, ita loqui. Haec quidem igitur quae dicuntur, longissime dicta sunt.

32. De Hyperboreis autem hominibus neque Scythae quippiam, neque alii ulli illic incolentium memorant, praeter Issedones: ne ipsi quidem, ut mihi videtur, dicentes aliquid, dicerent enim et Scythae de hoc quemadmodum de unoculis dicunt. Quamquam et ab Hesiodo de Hyperboreis mentio fit: quinetiam ab Homero in Epigonis, si tamen Homerus re vera fecit hos versus.

33. Sed multo plurima de his Delii memorant, narrantes sacra illigata in triticea stipula ex Hyperboreis delata venisse ad Scythas, a Scythis deinceps finitimos accepisse, gradatimque per quoslibet vicinos remotissime ad Adriam, atque illinc meridiem versus deducta, a primis Graecorum Dodonaeis esse accepta, et ab his descendisse ad Meliensem sinum, pervasisseque in Euboeam, et oppidatim usque ad Carystum; ab hac vero reliquisse Andrum. Carystios enim esse qui in Tenum portarint, Tenios vero in Delum: atque ita haec sacra in Delum aiunt pervenisse. Sed primum Hyperboreos misisse duas puellas, quae ferrent haec sacra, quas Delii nominant esse Hyperochen et Laodicen, et cum his tutelae gratia quinque viros e suis popularibus, qui eas deducerent, nunc Perpherees vocatos in Delo, ubi in magno honore habentur. Sed quum isti ab Hyperboreis missi retro non redirent, indigne ipsos tulisse, si id continue ipsis accideret, ut eos quos mitterent non reciperent; ita ferentes ad fines suos sacra in stipula tritici illigata, mandavisse vicinis, iubentes illos deducere ad aliam nationem: atque ita haec gradatim missa, aiunt devenisse in Delum. His ego sacris simile

quiddam fieri animadverti a feminis Thraciis atque Paeoniis, quae in sacrificando Regiae Dianae non sine stipula triticea habent sacra: atque ipsi vidi eas haec facientes.

34. Ceterum his virginibus Hyperboreis vita functis in Delo, parentant puellae ac pueri Deliorum, tonsis utrique crinibus: puellae quidem ante nuptias spiram abcissam fuso circumvolutam, in monumento ponunt. Monumentum autem intra Dianae templum ad sinistram est intranti, oleaque supra ipsum nata: pueri autem Deliorum, ad quandam herbam partes crinium circumvolutas et ipsi imponunt sepulchro. Hoc honore ab incolis Deli afficiuntur hae virgines.

35. Aiunt vero iidem Argen et Opin virgines ex Hyperboreis eorundem hominum aetate in Delum venisse, etiam priores Hyperoche et Laodice: et has quidem venisse ad reddendum Lucinae tributum, quod quo partu maturato instituerant: Argen vero et Opin una cum ipsis deis advenisse, hosque illis alios honores donasse. Illis enim colligere mulieres agnominantes nomina in hymno, quem Olen vir Lycius fecit: et ab illis edoctos insulanos et Iones hymno celebrare Opin et Argen, nominantes et colligentes. Hic Olen e Lycia profectus, alios quoque vetustos fecit hymnos, qui cantantur in Delo; et femorum, in ara exustorum, cinerem supra capulum Opis et Arges consumi iniectum. Est autem capulus earum post Artemisium, ad auroram spectans, proxime Ceiorum coenaculum.

36. Hactenus, de Hyperboreis dictum sit. Nam de fabula Abaris, qui fertur esse Hyperboreus, nihil dico; qui dicit sagittam eum circum omnem terram vehere nihilque comedentem. Quod si qui sunt Hyperborei, id est superaquilonares, sunt et alii Hypernotii, id est superaustrales. Nempe rideo iam multos videns descripsisse ambitus terrae, et nullum habentes in exponendo sensum, qui Oceanum scribunt circumfluere, et terram esse orbiculatam tanquam a torno, Asiam quoque faciant Europae parem. Nam ego singularum magnitudinem brevi patefaciam, et quanta sint singula ad describendum.

37. Ubi Persae incolunt, id ad australe pertinet mare, quod dicitur Rubrum. Super hos ad ventum aquilonem habitant Medi, super Medos Saspires, super Saspires Colchi, ad septentrionale pertinentes mare, in quod influit flumen Phasis. Hae quatuor nationes a mari ad mare incolunt.

38. Dehinc vesperam versus ab ea duae orae terrarum ad mare procedunt, quas ego exponam. Hinc quidem ora una aquilonem versus a Phasi incipiens porrecta est ad mare iuxta Pontum et Hellespontum usque ad Sigeum Troicum: sed austrum versus, eadem ista ora a sinu Mariandico, qui Phoenicae adiacet, tendit in mare ad promontorium usque Triopium. Incolunt autem in ora hac hominum nationes triginta: talis quidem est una ora.

39. Altera vero, a Persis incipiens porrigitur ad Rubrum mare, ipsa Persica regio et gradatim Assyria atque inde Arabia: desinitque non desinens, nisi iure, in sinum Arabicum, in quem Darius e Nilo rivum induxit. A Persis ad Phoenicen tractus amplus est ac multus. A Phoenice quod sequitur, haec ora tendit per hoc mare praeter Syriam Palaestinam et Aegyptum, in qua terminatur: in qua tres sunt modo nationes. Atque haec sunt quae a Persis versus occasum Asiae continentur.

40. Quae supra Persas sunt et Medos et Sapires et Colchos, auroram versus et solem orientem, hinc mari Rubro aluntur; aquilonem autem versus, a mari Caspio et flumine Araxe, qui contra solem orientem fluit. Porro India tenus habitatur Asia. Illinc iam auroram versus deserta sunt: nec qualia sint dicere quispiam potest. Et Asia quidem talis et tanta est.

41. Africa autem in altera ora est, ab Aegypto enim Africa excipit. Haec ipsa ora circa Aegyptum iam angusta est, nam ab hoc mari ad Rubrum intercapedo est centum millium orgyiarum, quae efficiunt mille stadia. Ab his deinceps angustiis spatiosa valde ora est, quae Africa dicitur.

42. Itaque admiror eos, qui disterminarunt atque distinxerunt Africam, Asiam, Europam: inter quas non parum est differentiae. Siquidem Europa longitudine praeter utramque extenditur, latitudine vero non videtur mihi comparari digna, nam Africa se ipsam manifestat, circumflua mari, excepto duntaxat ubi Asiae contermina est, Neco Aegyptiorum rege, eorum quos novimus primo in hoc demonstrando. Is postquam destitit a deprimenda fossa a Nilo ad Arabicum sinum, misit navibus quosdam viros Phoenices, praecipiens ut evecti per columnas Herculeas penetrarent ad septentrionale usque mare, atque ita ad Aegyptum remearent. Phoenices igitur e rubro mari solventes, abierunt in mare australe: qui quum autumnus advenisset, applicitis ad ter-

ram navibus sementem faciebant, ubi identidem navigantes in Africa forent, ac messem expectabant, deinde messo frumento navigabant. Ita biennio consumto, anno tertio quum flexissent Herculea columnas in Aegyptum remearunt, referentes quae apud me fidem non habent, sed forte apud aliquem alium: circumnavigantes Africam, se habuisse solem ad dextram. Atque hunc in modum Africa primum est cognita.

43. Secundo loco (Carthaginienses sunt qui dicunt) postquam Sataspes, Teaspis filius, vir Achaemenides, Africam non circumnavigavit ad hoc ipsum missis; sed cum navigationis longitudine, tum terrae solitudine, deterritus retror ediit, non impleto labore, quem ei mater iniunxerat. Etenim vitiaverat filiam virginem Zopyri, neptem Megabyzi, quem ob hanc causam a Xerxe rege suffigendum cruci mater Sataspis, quae erat Darii soror, liberavit: quod diceret se maius illi supplicium irrogaturam quam rex, quippe necesse ei fore circumnavigare Africam, dum perveniret eam circumnavigans ad Arabicum sinum. His annuente Xerxe, Sataspes in Aegyptum abiit, sumptaque illinc nave ac nautis navigavit ad columnas Herculees quibus transmissis flectens Africae promontorium, cui nomen Soloes, in meridiem cursum tenebat. Emensusque permultum maris intra complures menses, quum assidue pluri tempore opus esset converso cursu in Aegyptum redit. Et illinc ad regem Xerxem regressus, aiebat in remotissimis homines pusillos praeternavigasse, rubra utentes veste, qui, quum ipsi terrae navim applicarent, ad montes se fuga proriperent relictis urbibus, ipsos autem nihil illis iniuriae intulisse ingressos, pecora tantum illinc accepisse. Quod autem totam Africam non circumnavigassent, hanc causam afferebat, quod navigium ulterius procedere non posset, sed retineretur. Hunc Xerxes negans loqui vera et quod operam ipsi propositam non absolvisset, in crucem sustulit, irrogata vetere poena. Huius Sataspis eunuchus, audita domini nece, Samum celerrime cum magna pecunia profugit, quam Samius quidam intervertit: cuius nomen quum sciam, volens obliviscor.

44. Ceterum Asiae bona pars a Dario pervestigata est. Is cupidus cognoscendi ubinam Indus, qui secundus omnium fluviorum crocodilos praestat, mare influat misit navibus cum alios quosdam, quos vera renunciatoros confidebat, tum Scylacem virum Caryandensem. Isti e Caspatyro urbe et terra Pactyica solventes, secundo flumine auroram versus atque solem orientem navi-

gantes in mare, dehinc per ipsum mare occasum versus, tricesimo demum mense tenuerunt eum locum, unde rex Aegyptorum eos Phoenices, quos antea dixi, miserat ad circumnavigandam. Post horum circumnavigationem Darius Indos subegit, et eo mari potitus est. Ita Asiae, praeter eam, quae orientem solem spectat, reliqua compertum est similia Africae suppeditare.

45. At Europa a nullis investigata est, neque qua ad orientem neque qua aquilonem vergit, an circumflua sit. Longitudine tamen cognoscitur praeter utramque accedere. Neque possum coniectura colligere, unde quum una sit terra, triplicia sint ei nomina indita e mulierum cognominibus: eiusque fines ponantur Nilus fluvius Aegyptius, et Phasis Colchus: alii aiunt Tanain, Maetam, Porthamiaque Cimmeria: sed neque distinxerunt, et unde nomina sumpserint. Iam enim Libya, Africa quidem a plerisque Graecorum fertur sortita nomen a Libya muliere indigena: Asia vero, ab uxore Promethei, quamquam Lydi hoc sibi nomen participant, dicentes ab Asie filio Gotys, nepote Manis, Asiam appellatam: non ab Asia Promethei: unde Sardibus tribum esse vocatam Asiadem. Europa autem an sit mari circumflua, ab nullis hominibus noscitur, neque unde hoc nomen acceperit, neque quis nominis autor exstiterit, compertum est: nisi dicamus ab Europa Tyria nomen accepisse regionem; ante vero, sicut ceterae, erat sine nomine. Tamen illam ex Asia fuisse constat, neque in hanc commeasse terram, quae nunc a Graecis vocatur Europa, sed e Phoenice tantum in Cretam, et e Creta in Lyciam. Haec hactenus dicta sint, nam illis quae existimata sunt de his, utemur.

46. Pontus autem Euxinus, in quem Darius fecit expeditionem, nationes exhibet regionum omnium imperitissimas, Scythica excepta, neque enim nationem earum quae sunt intra Pontum, aliquam, sapientiae caussa comparare possumus, neque virum eruditum fuisse novimus, praeter Scythicam gentem et Anacharsin. Ab gente autem Scythica unum quidem maximum rerum humanarum, quas nos scimus, sapientissime omnium excogitatum est, at cetera non admiror. Quod maximum ab eis excogitatum, id est, ut neque quispiam qui eos bello invaserit, aufugere, neque illi ubi nolint inveniri, possint deprehendi. Siquidem nullae sunt eis urbes, nulla moenia exstructa: sed domos ferentes singuli, equestres sunt sagittarii, non ab aratione victitantes, sed ab pecoribus: etiam domicilia sunt ad iuga iumentorum:

quidni tales invicti sint et ad commiscendum difficiles arduique?

47. Haec autem sunt eis inventa, cum opportunitate terrae, tum fluminum commilitio: nam haec terra, quum sit campestris, herbida, et aquis rigua, eamque interfluant flumina non multo pauciora numero quam in Aegypto fossae. Quorum quae sunt celebria nomine et a mari adnavigabilia, ea recensebo. Ister, quinque ostia habens, post hunc Tyres et Hypanis et Borysthenes et Panticanes et Hybacyris et Gerrhus et Tanais. Isti hunc in modum fluunt.

48. Ister, omnium quos novimus fluviorum maximus, semper sibi ipsi par, tam aestate quam hyeme fluit, ab occasu primus, omnium, qui sunt in Scythia, ob id omnium maximus quod alii in eum influunt, quis ipsum ingentem reddunt; per Scythiam quidem delapsi, numero quinque, unus, quem Porata Scythae appellant, Graeci Pyreton; alius, Tiarantus: tertius Ararus: quartus Naparis: quintus, Ordessus. Horum primo loco dictus fluvius, magnus est, et ad auroram fluens cum Istro aquam communicat: minor et secundus est Tiarantus, ad occasum magis vergens. In medio horum euntes Ararus, Naparis et Ordessus, in Istrum infunduntur. Hi sunt vernaculi Scythae amnes, qui illum augent.

49. Agathyrsis autem fluens unus, Maris, Istro se immiscet: ex Haemi vero iugis tres alii ingentes ad aquilonem ventum, Atlas et Auras et Tibisis: per Thraciam vero et Crobyzos Thraces, Athrys et Noes et Artanes influnt in Istrum: at ex Paeonibus ac monte Rhodope, medium interscindens Haemom, Cius in ipsum erumpit. Quin ex Illyriis in aquilonem tendens Angrus, planitiem Triballicam interfluens, Brongum intrat, Brongus iste Istrum, ita utrumque magnum Ister excipit. Praeterea ex regione quae est supra Umbricos, Carpis, et alius ad ventum aquilonem fluvius Alpis, in Istrum exeunt. Omnem enim Europam Ister emetitur sumpto ex Celtis initio, qui omnium in Europa ad solis occasum extremi sunt post Cynetas, totamque permensus Europam, latera ingreditur Scythiae.

50. His quae recensui fluminibus, et aliis multis aquas suas conferentibus, Ister fit omnium fluviorum maximus; nam si alterius cum alterius aqua comparetur, profecto Nilus copia aquae antecellit, quod in eum nullus neque fons ingrediens, ad incrementum aquae confert. Quod autem Ister sibi semper par fluit tam aestate quam

hyeme, ob id fit, ut mihi videtur, quod hyeme est quantus est, et parvulo maior fit sua natura: nam per hyemem penitus paululum in ea regione pluit, sed ubique ningit. Aestate vero nix, quae sub hyemem decidit permulta, undique liquefacta in Istrum dilabitur. Sic et ipsa haec nix in eum immissa, simul auget, cumque ea imbresm ulti atque vehementes; quippe per aestatem pluit: quo tempore quanto plus aquae sol ad se attrahit quam hyeme, tanto magis multiplicantur Istro immixta aestate quam hyeme. Ita quum paria faciat Ister datis aquis et acceptis, fit ut semper videatur sibi esse similis.

51. Ex fluviis ergo qui apud Scythas sunt, unus est Ister. Post hunc Tyres, qui ab aquilone means ortum trahit ex ingenti palude, quae Scythicam terram a Neuride separat: ad ostium huius incolunt Graeci, qui Tyritae vocantur.

52. Tertium flumen est Hypanis ex Scythia veniens, et ex magna palude profluens, circum quam pascuntur equi silvestres candidi: recteque vocatur haec palus, mater Hypanis. Ex hac igiur ortus amnis Hypanis fluit fere quinque dierum navigatione, brevis, et dulcis, sed inde quatuor a mari dierum navigatione sanequam amarus, propter amarum, qui in eum fluit, fontem: adeo, inquam, amarum, ut quum sit exiguus magnitudine, inficiat Hypanin flumen, in paucis magnum. Est autem hic fons in finibus regionis Scytharum, aratorum et Alazonum, eodem nomine quo totus unde emanat, Scythice quidem Exampaeus, Graeca autem lingua, ἱραὶ ὁδοί, i. e. sacrae viae. Apud Alazonas autem contrahunt terminos suos Tyres et Hypanis: mox deinde in diversum abeuntes, mediam intercapedinem laxant.

53. Quartus fluvius est Borysthenes, secundum Istrum maximus illorum, et nostra sententia, non modo Scythicorum fluviorum longe uberrimus sed etiam ceterorum omnium, praeter Aegyptium Nilum, cum quo non licet alium comparare. Ceterorum autem uberrimus est Borysthenes pascua praebens amoenissima et accommodatissima pecoribus, nec non optimorum excellenter plurimorum piscium affatim: idem ad potandum suavissimus, limpidus inter turbidos fluens: iuxta quem sementis optima fit, et, herba, ubi non seritur regio, altissima. In huius quoque ostio ingens vis salis sua sponte concrescit. Praebet idem ingentia cete ad salsuram, spinis carentia, quae antacaeos appellant. Alia praeterea praestat admiratione digna. Porro quadragin-

ta quidem dierum navigatione usque ad locum Gerrhum, cognoscitur ab aquilone vento fluere: at superiora per quae fluit nemo hominum eloqui potest: videtur tamen fluere, per solitudinem ad Scytharum agricolarum plagam, nam hi Scythae decem dierum navigatione accolunt hoc flumen. Cuius tantum ac Nili fontes nec ipse possum, nec ullum Graecorum reor posse, dicere. Idem Borysthenes prope ad mare accedit, et Hypanis cum eo miscetur eundem in lacum egrediens. Quod inter hos amnes interest rostrum regionis, Hippolai promontorium vocitatur, ubi delubrum Matris exstructum est. Ultra quod delubrum ad Hypanin incolunt Borysthenitae. Hactenus quae ab his fluviis.

54. Post hos alius, qui quintus est nomine Panticapes, et ipse ab aquilone fluens e palude: inter quem et Borysthenem incolunt Scythae agricolae. Idem Hylaeam ingreditur, qua transmissa, Borystheni immiscetur.

55. Sextus est Hypacyris, qui e palude manans, mediosque Scythas nomadas perfluens, in mare volvitur, iuxta Carcinitin oppidum, ad dexteram coërcens Hylaeam et Dromon qui dicitur Achillis.

56. Septimus est Gerrhus nomen a loco obtinens, qui a Borysthene dirimitur circa loca Borysthenes cognoscitur: cui loco nomen est Gerho; fluens autem ad mare disterminat regionem Scytharum nomadum ac regiorum, et Hypacyrin dilabitur.

57. Octavus Tanais, qui superius e vasta palude profluens, in aliam vastiorem diffunditur, nomine Maeotin, qui discludit regios Scythas a Sauromatis. In hunc Tanaim alius influit, nomine Hyrgis.

58. His celeberrimis amnibus ita Scythae praediti sunt. Gramen quod in Scythia germinat, omnium quae nos novimus germinum amarissimum est: quod ita se habere dissectis pecoribus licet discernere.

59. Et sic quidem maxima apud eos abundant, cetera autem ad ritus et leges hoc modo sunt eis instituta. Deorum hos solos placant, Vestam ante omnes, deinde Iovem ac Tellurem; existimantes Tellurem Iovis coniugem esse. Post hos Apollinem, et coelestem Venerem, et Herculem, et Martem. Hos cuncti Scythae deos arbitrantur. Sed qui regii Scythae vocantur, etiam Neptuno sacrificant. Appellatur autem Scythice Vesta Tabiti: Jupiter, Papaeus, mea sententia rectissime: Tellus Apia: Apollo, Oetosyrus: coelestis Venus, Artimpasa: Neptunus, Thamimasadas. Simulacra et aras et delu-

bra facere non statuunt, praeterquam Martis huic probant facere.

60. Idem sacrificium prorsus omnibus apud templa fieri eodem modo est institutum, quod tale est: Victima ipsa primoribus implicita pedibus sistitur, cuius a tergo stans qui sacrificat, tracto principio funis, pecudem deiicit, eaque concidente deum invocat, cui illam mactat: deinde circumdat laqueum collo, tum iniecto baculo circumagit, ac strangulat non incenso igni, non prosecans, non adspergens; sed ubi pecudem strangulavit, et pellem detraxit, ad coquendum se vertit.

61. Verum quum Scythica regio lignorum sit admodum inops, hoc ab illis ad carnem coquendam excogitatum est. Ubi victimas pelle nudarunt, nudant quoque ossa carnibus, dehinc iniiciunt, si ad manum habeant, lebetes indigenas, Lesbiis crateribus maxime assimiles, nisi quod sunt multo capaciores; in hos iniicientes succensis ossibus hostiarum, coquunt. Si autem non adfuerit lebes, omnes carnes hostiarum in alvos illarum iniicientes aqua admixta, ossa succendunt. Quibus acerrime ardentibus, et alvis facile capientibus carnes ossibus separatas, ita fit ut bos ipse excoquat: et item cetera sacrificia unumquodque se ipsum. Coctis carnibus, is qui immolavit, earum atque intestinorum prosicias sumens ante se porricit. Immolant autem et alia pecora, tum praecipue equos.

62. Et aliis quidem diis hunc in modum et tales pecudes immolant: Marti vero sic. Per praefecturas singulis in curiis ab eis struitur tale templum: Sarmentorum faces congeruntur trium in longum latumque stadiorum, minoris tamen sublimitatis: desuper quadrata planities efficitur: tria latera praerupta sunt, quartum acclive, per quod adscendatur. Eo quotannis comportant centum quinquaginta plaustra sarmentorum, nam semper propter coeli atrocitatem illa marcescunt. Super hanc congeriem ferreus acinaces a singulis vetustus statuitur. Idque est Martis simulacrum, cui annuus hostias offerunt pecudum et equorum; et sane plura his sacrificant quam ceteris diis. Ex hostibus captivis centesimum quemque immolant, non eodem, quo et pecora modo, sed diverso: nam ubi capitibus vinum libaverunt, ipsos in vas iugulant: dehinc in congeriem sarmentorum sublatum acinaci cruorem invergunt. Hunc quidem supra ferunt: inferius autem prope templum ita faciunt: Virorum interemptorum omnes humeros dextros praecidunt una cum manibus et in aërem iaciunt;

et ceteris deinde solennibus confectis abeunt: quo autem ceciderit manus, ibi iacet, ac seorsum cadaver.

63. Et sacrificia quidem haec eis sunt instituta. Sues vero illi nihil morantur, quas nec alere omnino in regione volunt.

64. Quae vero ad bellum attinent, hunc in modum sunt eis comparata. Quem primum virum deiecerit vir Scytha, eius sanguinem potat: quoscunque in proelio interemerit, eorum capita regi offert: nam capite allato, fit praedae quamcunque ceperint particeps, alioqui expers. Caput hoc modo pelle nudat: In orbem illud amputat circa aures, verticeque sumpto excutit, deinde carnem costa bovilla detergens, manibus subigit ac mollitum, tanquam mantile possidet, eoque ex habenis equi quem agitat, appenso gloriatur: ut quisque enim coria mantilia plurima habet, ita vir iudicatur praestantissimus. Sunt quoque multi qui ex corii huius frustis laenas densari curant, consarcinantes tanquam sisyras pastorias. Multi etiam occisorum hostium manus dextras cum ipsis unguibus excoriant, opercula haec pharetrarum habentes. Est autem inter omnia coria humanum fere et crassum maxime et candore splendidum. Multi etiam totos homines excoriatos, et super ligna extentos, in equis circumferunt. Haec ab illis ita sunt recepta.

65. Ipsis autem capitibus non utique omnium, sed inimicissimorum haec faciunt; quisque ubi omne, quod infra supercilia, serra abcisum, prorsus expurgat, et crudo tantum bovis corio, si pauper sit, sin dives, non modo exterius inducit bovino corio, verum etiam interius inaurat, et sic pro poculo utitur. Idem agunt de familiaribus, si inter eos exstiterint discordiae, et alter eorum apud regem victoria sit potitus. Haec capita hospitibus, qui ad eum veniunt alicuius apud ipsum existimationis, exhibet; refertque illos, quum essent domestici, et ad pugnam lacessissent, ab ipso esse superatos: id strenuitatis loco ponentes.

66. Semel autem quotannis quilibet regionis princeps sua in regione miscet vini craterem, de quo bibunt Scythae, e quibus hostes sublati sunt; at non inde gustant qui nihil tale ediderint, sed sine honore seorsum sedent: quae res apud eos maximae est ignominiae. Qui vero illorum complures caedes fecerunt, hi duobus pariter quos habent calicibus potant.

67. Apud eosdem multi sunt vaticinatores, qui pluribus virgis salignis divinant, ad hunc modum: Grandes

virgarum fasces quum attulerunt, humi positos dissolvunt, ac separatim ponentes illarum singula, fata praedicunt, et dum ista dicunt, vice versa virgas convolvunt, ac rursus sigillatim componunt. Haec est illis tradita a maioribus divinatio. Sed Enarees, qui semiviri, aiunt sibi a Venere tradi divinationem. Tiliae igitur cortice vaticinantur. Tiliam ubi quis trifariam sciderit, digitis suis eam implicans ac resolvens vaticinatur.

68. Horum tres maxime probatos arcessit rex Scytharum, quoties aegrotat, eo modo quo dixi vaticinantes; et semper fere hi dicunt talia, nempe hunc aut illum civem, indicant autem hominem de quo loquuntur, peierasse per regia solia: est autem Scythis mos plerumque iurandi per regia solia, quum maximum volunt interponere iusiurandum, protinusque is, quem dixerint peierasse, adductus, coarguitur scientia divinandi, tanquam compertus falso deierasse per regia solia, et ob id regem aegrotare. Si ille inficiatur se dicens non peierasse, atque indignatur, rex duplum numerum vaticinorum arcessit: qui inspecta divinandi ratione, si et ipsi hominem periurii convicerint, sine mora caput abscidunt; eiusque facultates inter se partiuntur primi vaticini. Sin vero illi qui supervenerunt vaticini hominem absolverint, alii atque alii praesto sunt: quorum si plures absolverint, decretum est primis illis vaticinis esse pereundum.

69. Eosque hunc in modum necant. Plaustrum concameratum ubi sarmentis referserunt, bobusque iunxerunt, vaticinos pedibus implicatis, et manibus post tergum revinctis, atque ore obstructo, infulciunt in medium sarmentorum: incensisque sarmentis illis territando agitant boves, quorum boum multi cum vaticinis concremantur, multi ambusti, cremato illorum temone, aufugiunt. Hoc quem dixi modo comburunt vaticinos, etiam ob alias causas, appellantque falsos vates. Sed quos morte rex afficit, eorum nec liberos linquit, sed universos mares interficit, feminis nihil laesis.

70. Foedera cum quibuscunque ineunt Scythae, hoc modo ineunt: Infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscent eorum sanguinem qui feriunt foedus, percutientes cultello aut incidentes gladio paululum corporis; deinde in calice tingunt acinacem, sagittas, securim, iaculum. Haec ubi fecerunt, multa apprecantur: postea vinum epotant non modo ii, qui foedus faciunt, sed etiam comitum ii, qui sunt maximae dignitatis.

71. Regum autem sepulchra in Gerrhis sunt. Ubi Borysthenes iam navigabilis est, ibi, quum rex eis decessit, ingentem in terra scrobem fodiunt forma quadrata: hoc ubi praepararunt, suscipiunt cadaver, corpore incerato, alvo discissa atque expurgata, quam silere contuso et thymiamate apiique semine et anisi quum expleverunt, consuunt rursus, et in plaustro ad aliam gentem ferunt. Qui vero delatum cadaver excipiunt, eadem agunt quae regii Scythae: auris aliquid decidunt, crinem circumtondent, brachia circumcidunt, frontem nasumque consauciant, sinistram manum sagittis traiiciunt. Postmodum regis cadaver in plaustro ferunt ad aliam gentem cui imperitant, quae ipsos comitatur ad eos unde primum venerant. Ubi iam mortuum ferentes, lustraverunt universas gentes, in Gerrhis extrema habitantibus sunt gentium, quibus imperant, et in his sepulchris. Quem postquam in loculis posuerunt super torum, mucronibus hinc atque hinc defixis, desuper ligna extendunt, ac deinde salignis ramis contegunt. In reliqua loculi spatiositate aliquam eius pallacam strangulatam sepeliunt, et pincernam, et cocum, et equisonem, et ministrum, et internuncium, nec non equos et aliarum rerum omnium primitias, quinetiam phialas aureas: nam argentum aut aes in usu non habent. His actis, humum certatim atque avide iniiciunt, cupientes tumulum quam maximum efficere.

72. Circumacto anno, rursus hoc agunt: E famulis reliquis aptissimos sumunt: sunt autem his indigenae Scythae; illi enim serviunt, quos ipse rex iusserit; nam pecunia emptos servos non habent. Horum ministrorum quinquaginta quum strangulaverunt ac totidem praestantissimos equos, alvo eorum exempta et expurgata, paleis implent, ac consuunt: et dimidium fornicis super duo ligna, supinum statuentes, alterumque dimidium fornicis super altera duo ligna, tali modo defixis multis illis: ligna deinde crassa per equorum longitudinem ad cervicem usque quum traiecerunt, attollunt eos supra fornices, quorum priores fornices sustinent armos equorum, posteriores vero iuxta femora suscipiunt ventres, utrisque cruribus superne dependentibus. Equos autem infrenant, eorumque habenas anteriora extendunt, et mox ad palos alligant: dehinc super eorum singulos statuunt singulos quinquaginta iuvenum strangulatorum hunc in modum. Unicuique eorum rectum stipitem praeter spinam ad cervicem usque transfigunt: quod inferius extat aliquid stipitis, id in-

gunt foramini ligni alterius, quo equus traiectus est. His equitibus sepulchro circumpositis abeunt.

73. Hunc in modum reges sepeliunt. Alios autem Scythas, quum decesserunt, proximi quique in plaustris colocatos ad amicos circumferunt: eos singuli amicorum excipientes, epulum comitatibus praebent; sed et cadaveri similiter ex omnibus apponit, quae ceteris. Ad hunc modnm quadraginta diebus privati homines circum aguntur: dehinc humantur: Scythae autem qui sepeliverunt tali modo purgantur. Ubi caput terserunt abluerunt que, circa corpus ista agunt. Tria ligna statuunt mutuo inclinata, circa haec praetendunt lanea pilea, quam maxime constipantes, et in alveum in medio lignorum pileorumque positum lapides coniiciunt ex igne perlucidos.

74. Nascitur autem apud eos cannabis lino simillima, praeterquam crassitudine ac magnitudine: sed multo ista cannabis est praestantior, vel sua sponte nascens, vel sata: ex qua Thraces quidem etiam vestimenta conficiunt lineis simillima: neque saue nisi quis admodum peritus sit eius, linea sint an cannabina, queat dignoscere: et qui non viderit cannabem, existimabit lineum esse vestimentum.

75. Huius ergo cannabis semen ubi acceperint Scythae sub pileis succedunt, ac deinde id supra lapides igne perlucidos iaciunt. Id vero aggrediens suffire etiam vaporem reddit tantum, ut Graecum nullum thuribulum eum superet. Hoc odore gaudentes Scythae fremunt; quod apud ipsos loco lavacri est; neque enim aqua lavant omnino corpus, sed uxores eorum adfundentes aquam, ad lapidem scabrum conterunt cypressi et cedri et thuris ligni aliquid: deinde istud detritum quod est crassum, etiam oblinunt toto corpore et facie. Id eas simul bene olentes facit, simul postero die, auferentes illud oblitum, mundas ac splendidas.

76. Externis vero et hi ritibus uti manopere cavent, ne quidem mutuis inter se: sed Graecorum etiam minime, ut Anacharsis et deinde iterum Scyles. Siquidem Anacharsis quum multum orbis terram contemplatus esset, et magnam sapientiam ibi ostendisset, ad sedes Scytharum proficiscebatur. Is quum per Hellespontum navigans tenuisset Cyzicum, vovit Matri deorum, offendit enim Cyzicenos ei diem festum magnifico sane apparatu celebrantes, si salvus sospesque domum revertisset, sacrificaturum se eodem ritu, quo Cyzicenos sacrificantes vidisset, et pervigilium instituturum. Quum igitur in Scythiam venisset, ingressus regionem quae

dicitur Hylaea, eaque est iuxta Achillis Dromon sita; ubique omnigenis arboribus referta; in hanc ingressus Anacharsis, omnem festi ceremoniam deae persolvit, tympanum tenens, alligatisque simulacris. Haec eum agentem quidam Scytha animadvertens, indicium detulit Saulio regi. Rex quum et ipse contulisset se eo, et Anacharsin ea facientem inspexisset, excussa sagitta necavit. Et nunc siquis de Anacharsi interrogat, Scythae negant se novisse hominem, ob id quod in Graeciam peregrinatus externosque sit mores sectatus. Sicut autem ego accepi ex Timne tutore Ariapithis, esse eum patruum Idanthyrsi Scytharum regis, filium Gnuri, nepotem Lyci, pronepotem Spargapithis. Itaque si ex hac familia extitit Anacharsis, sciat se ab fratre fuisse interemptum. Idauthyrsus enim fuit filius Saulii, Saulius autem fuit, qui Anacharsin interemit.

77. Quanquam et aliud quiddam Peloponenses audivi referentes, Anacharsin a rege Scytharum missum, Graeciae fuisse discipulum, et quum redisset, dixisse ei qui ipsum miserat, cunctos Graecos esse in omni sapientia occupatos, Lacedaemoniis exceptis, quibus solis datum esset prudenter dare et accipere rationem. Verum haec narratio per ludum temere ab ipsis Graecis ficta est. Hic igitur vir, quemadmodum antea dictum est, trucidatus fuit, et tale aliquod fetum propter externos ritus et Graecas consuetudines consequentus.

78. Multis autem sane annis postea interiectis similia excepit Scyles, Ariapithis filius; etenim Ariapithes Scytharum rex, cum alios filios multos sustulit, tum Scylem ex uxore Istrina, haudquaquam cive, quae filium Graecam linguam literasque edocuit. Interiecto deinde tempore, Ariapithe per dolum occiso a Spargapithe Agathyrsorum rege, Scyles regnum suscepit, et uxorem patris, nomine Opoeam. Erat autem Opoea haec civis, ex qua erat Aripithi filius Oricus. Scyli regnum Scytharum obtinenti Scythicus tamen vivendi mos nihil prorsus cordi erat, sed multo magis convertebatur ad Graeca, in quibus fuerat imbutus a puero; et tale quid fecit. Utique quum ad urbem Borysthenitarum Scythicum ducebat exercitum, (Borysthenitae autem se a Milesiis aiunt esse oriundos,) ad hos quoties Scyles veniebat, relicto in suburbanis exercitu, ipse muros ingressus portas obserabat; deposita Scythica veste, Graecum sumebat vestimentum, et eo indutus, in foro spatiabatur, nullo neque satellitum neque alio comitatu; sed portas servabant, nequis Scytharum cerneret eum gestantem huiusmodi vestimentum;

gunt foramini ligni alterius, quo equus traiectus est. His equitibus sepulchro circumpositis abeunt.

73. Hunc in modum reges sepeliunt. Alios autem Scythas, quum decesserunt, proximi quique in plaustris colocatos ad amicos circumferunt: eos singuli amicorum excipientes, epulum comitatibus praebent; sed et cadaveri similiter ex omnibus apponit, quae ceteris. Ad hunc modum quadraginta diebus privati homines circum aguntur: dehinc humantur: Scythae autem qui sepeliverunt tali modo purgantur. Ubi caput terserunt abluerunt que, circa corpus ista agunt. Tria ligna statuunt mutuo inclinata, circa haec praetendunt lanea pilea, quam maxime constipantes, et in alveum in medio lignorum pileorumque positum lapides coniiciunt ex igne perlucidos.

74. Nascitur autem apud eos cannabis lino simillima, praeterquam crassitudine ac magnitudine: sed multo ista cannabis est praestantior, vel sua sponte nascens, vel sata: ex qua Thraces quidem etiam vestimenta conficiunt lineis simillima: neque sane nisi quis admodum peritus sit eius, linea sint an cannabina, queat dignoscere: et qui non viderit cannabem, existimabit lineum esse vestimentum.

75. Huius ergo cannabis semen ubi acceperint Scythae sub pileis succedunt, ac deinde id supra lapides igne perlucidos iaciunt. Id vero aggrediens suffire etiam vaporem reddit tantum, ut Graecum nullum thuribulum eum superet. Hoc odore gaudentes Scythae fremunt; quod apud ipsos loco lavacri est; neque enim aqua lavant omnino corpus, sed uxores eorum adfundentes aquam, ad lapidem scabrum conterunt cypressi et cedri et thuris ligni aliquid: deinde istud detritum quod est crassum, etiam oblinunt toto corpore et facie. Id eas simul bene olentes facit, simul postero die, auferentes illud oblitum, mundas ac splendidas.

76. Externis vero et hi ritibus uti manopere cavent, ne quidem mutuis inter se: sed Graecorum etiam minime, ut Anacharsis et deinde iterum Scyles. Siquidem Anacharsis quum multum orbis terram contemplatus esset, et magnam sapientiam ibi ostendisset, ad sedes Scytharum proficiscebatur. Is quum per Hellespontum navigans tenuisset Cyzicum, vovit Matri deorum, offendit enim Cyzicenos ei diem festum magnifico sane apparatu celebrantes, si salvus sospesque domum revertisset, sacrificaturum se eodem ritu, quo Cyzicenos sacrificantes vidisset, et pervigilium instituturum. Quum igitur in Scythiam venisset, ingressus regionem quae

dicitur Hylaea, eaque est iuxta Achillis Dromon sita; ubique omnigenis arboribus referta; in hanc ingressus Anacharsis, omnem festi ceremoniam deae persolvit, tympanum tenens, alligatisque simulacris. Haec eum agentem quidam Scytha animadvertens, indicium detulit Saulio regi. Rex quum et ipse contulisset se eo, et Anacharsin ea facientem inspexisset, excussa sagitta necavit. Et nunc siquis de Anacharsi interrogat, Scythae negant se novisse hominem, ob id quod in Graeciam peregrinatus externosque sit mores sectatus. Sicut autem ego accepi ex Timne tutore Ariapithis, esse eum patruum Idanthyrsi Scytharum regis, filium Cnuri, nepotem Lyci, pronepotem Spargapithis. Itaque si ex hac familia extitit Anacharsis, sciat se ab fratre fuisse interemptum. Idauthyrsus enim fuit filius Saulii, Saulius autem fuit, qui Anacharsin interemit.

77. Quanquam et aliud quiddam Peloponenses audivi referentes, Anacharsin a rege Scytharum missum, Graeciae fuisse discipulum, et quum redisset, dixisse ei qui ipsum miserat, cunctos Graecos esse in omni sapientia occupatos, Lacedaemoniis exceptis, quibus solis datum esset prudenter dare et accipere rationem. Verum haec narratio per ludum temere ab ipsis Graecis ficta est. Hic igitur vir, quemadmodum antea dictum est, trucidatus fuit, et tale aliquod fetum propter externos ritus et Graecas consuetudines consequentus.

78. Multis autem sane annis postea interiectis similia excepit Scyles, Ariapithis filius; etenim Ariapithes Scytharum rex, cum alios filios multos sustulit, tum Scylem ex uxore Istrina, haudquaquam cive, quae filium Graecam linguam literasque edocuit. Interiecto deinde tempore, Ariapithe per dolum occiso a Spargapithe Agathyrsorum rege, Scyles regnum suscepit, et uxorem patris, nomine Opoeam. Erat autem Opoea haec civis, ex qua erat Aripithi filius Oricus. Scyli regnum Scytharum obtinenti Scythicus tamen vivendi mos nihil prorsus cordi erat, sed multo magis convertebatur ad Graeca, in quibus fuerat imbutus a puero; et tale quid fecit. Utique quum ad urbem Borysthenitarum Scythicum ducebat exercitum, (Borysthenitae autem se a Milesiis aiunt esse oriundos,) ad hos quoties Scyles veniebat, relicto in suburbanis exercitu, ipse muros ingressus portas obserabat; deposita Scythica veste, Graecum sumebat vestimentum, et eo indutus, in foro spatiabatur, nullo neque satellitum neque alio comitatu; sed portas servabant, nequis Scytharum cerneret eum gestantem huiusmodi vestimentum;

et cum in ceteris Graecorum disciplina utebatur, tum sacra diis faciebat ritu Graeco. Et quum ibi, tempus menstruum aut amplius triverat, abscedebat, induta sibi Scythica veste. Idque saepenumero faciebat, extructis sibi aedibus in Borysthenide, et uxore illinc accepta.

79. Sed quum deberet ei male cedere, ex hac occasione evenit. Affectabat Baccho per Bacchanal initiari, ac initiationem iam sumpturo in manibus, oblatum est ingens ostentum. Erant ei in urbe Borysthenitarum circum aedes (quarum etiam paulo ante habui mentionem) magnas atque magnificas spatii laxitas, circaque eam e lapide candido sphinges et grypes stantes: in has aedes deus fulmen iaculatus est, totaeque deflagraverunt. Scyles nihilominus propterea initiationem peragit. Enimvero Scythae Graecis probro dant bacchari, negantes esse credibile deum invenisse, quo homines ad dementiam adigantur. Posteaquam bacchanali initiatus est Scyles, quidam Borysthenitarum Scythis indicium detulit, inquiens, Nos enim irridete Scythae quod bacchanalia agamus, quodque nos deus corripiat; at nunc daemon hic vestrum quoque regem insedit, nam bacchatur et a deo insanit. Quod si mihi non habetis fidem, sequimini me rem vobis ostensurum. Primores Scytharum sequuti sunt: quos Borysthenita ille deductos clanculum in turri collocavit. Ubi adfuit Scyles cum thiaso; Scythae eum bacchabundum conspicati, rem ingentis calamitatis esse duxerunt: digressique, ea quae viderant omni exercitui indicarunt.

80. Post haec ubi ad lares suos redibat Scyles, praeposito fratre Octamasade, ex filia Terei genito, insurrexerunt contra Scyen. Scyles cognito quid de se fieret, et quam ob causam, profugit in Thraciam. Id quum audisset Octamasades, cum exercitu adversus Thraciam contendit: cui ad Istrum progresso Thraces occurrerunt. Et quum conflicturi essent, Sitalces ad Octamasadem misit caduceatorem, cum his mandatis, Quid opus est inter nos tentare? Tu quidem sororis meae es filius, sed habes germanum meum, quem si mihi reddideris, ego vicissim Scylem trado tibi. Ita neque tu, neque ego periclitabor exercitu. Per hoc verba pacem firmabat Sitalces. Erat enim apud Octamasadem frater Sitalcis profugus. Et Octamasades ista accepit, redditoque Sitalci avunculo suo, Scylen cepit fratrem. Et Sitalces quidem accepto fratre reduxit exercitum: Octamasades autem eodem loco caput Scyli dempsit. Adeo sua instituta

Scythae observant: et iis qui externos ritus adsciscunt, tales irrogant poenas.

81. Multitudinem autem Scytharum non potui exacte indagare, quum de eius numero varia referentes audiam, et permultos illos, et rursus paucos esse, utique Scythas. Quantum autem sub aspectum meum venit: Est inter Borysthenem et Hypanin flumina, locus nomine Exampaeus: cuius etiam aliquanto antea habuimus mentionem, quum dicebam fontem in eo esse aquae amarae, Hypanin in quem fluit, impotabilem reddentis. Hoc in loco iacet ahenum sexies tantum quantus crater qui est in ostio Ponti, a Pausania Cleombroti filio dedicatus. Quod siquis illum non inspexit, huic ei in modum declarabo: Sexcentarum est amphorarum facile capax istud in Scythis ahenum, crassitudine digitorum sex. Id aiunt indigenae ex aculeis sagittarum esse factum: regem enim suum, nomine Ariantan, quum numerum Scytharum scire vellet, iussisse singulos Scythas conferre singulos sagittarum aculeos, proposita morte ei qui non ferret. Ita magnam vim collatam esse aculeorum: et ex his confectum ahenum illud placuisse ei pro monumento relinquere, et in hoc Exampaeo dedicare.

82. Haec de multitudine Scytharum audiebam. Miracula autem haec regio nulla habet, praeter flumina cum multo maxima, tum numero plurima. Si quid tamen et magnitudinem campi exhibetur admiratione dignum, id dicetur. Vestigium Herculis ostendunt petrae impressum; virili vestigio simile, bicubitali magnitudine, iuxta fluvium Tyrem. Et hoc ita se habet. Redeo ad eam quam ab initio institueram orationem.

83. Dario adversus Scythas exercitum comparanti, dimissis nunciis ad imperandum, aliis ut peditatum, aliis ut classem praestarent, aliis ut Bosporum Thracium ponte iungerent: Artabanus, Hystaspis filius, Darii frater, nolebat illum ullo pacto Scythis inferre bellum, commemorans Scytharum inopiam, utilia suadens: quum tamen non persuaderet illi, destitit a dissuadendo. Darius, ubi omnia et in expedito fuere, copias eduxit ex urbe Susis.

84. Ibi eum Oeobazus ex Persis, cui tres filii erant, et omnes militantes, obsecrabat ut unum sibi relinqueret. Cui Darius tanquam amica et modesta obsecranti respondit, se omnes liberos relicturum. Eo responso Oeobazus magnopere laetabatur, sperans liberos suos missionem habere militiae. At ille adstantes iussit, ut omnes Oeobazi filios interimerent. Ita filii Oeobazi obtruncati, illic sunt relicti.

85. Darius Susis movens, postquam pervenit ad Bosporum Calchedoniae, ubi pons iunctus erat, illinc conscensa navi, transmisit in Cyaneas, quae dicuntur, quas Graeci prius errabundas fuisse aiunt. Ibi sedens in templo subiiciebat oculis Pontum, rem spectaculo dignam, nam inter omnia maria est maxime admirabilis. Cuius longitudo est undecim millium ac centum stadiorum: latitudo (qua latissimus sui est) trium millium trecentorum. Huius pelagi os latitudinis est quatuor stadiorum: longitudo oris (quod est collum) quae Bosporus dicitur, ubi pons connectebatur, circiter centum viginti stadia. Bosporus ad Propontidem pertinet. Propontis autem latitudinis quingentorum stadiorum est, mille et quadringentorum longitudinis, influens in Hellespontum. Ipse Hellespontus, ubi angustissimus, stadiis septem, quadringentis longus, intrans pelagi hiatum quod, Aegaeum vocatur. Haec autem ita dimensa sunt.

86. Navis fere meat omnino septuaginta millia orgyiarum longo die, nocte vero sexaginta millia. Itaque e faucibus Ponti ad Phasin (hoc est enim Ponti longissimum) novem dierum est navigatio, et octo noctium, quae fiunt centum ac decem millia orgyiarum et centum, hoc est, stadiorum undecim millia ac centum. E Sindica autem ad Themiscyram, quae est super flumen Thermodontem (hic namque Ponti latissimum est) trium dierum duarumque noctium est navigatio, quae fiunt orgyiarum trecenta ac triginta millia, stadiorum vero tria millia et trecenta. Hunc igitur in modum Pontus ac Bosporus et Hellespontus a me dimensi sunt, et secundum ea quae dixi situm habent. Quinetiam Pontus hic paludem habet influentem in se, non multo quam ipse est minorem, quae Maeotis appellatur, et mater Ponti.

87. Darius, ubi Pontum contemplatus est, renavigavit ad pontem, cuius architectus extitit Mandrocles Samius. Contemplatus item Bosporum, duos ad eum cippos erexit e candido lapide, incidens literis in uno quidem Assyriis, in altero autem Graecis, omnes gentes quas ducebat. Ducebat autem omnes gentes quibus imperabat, continentes numero septingenta millia hominum cum equitatu, praeter classem, quae constabat e navibus sexcentis. His postea cippis Byzantii in urbem suam translatis usi sunt ad aram Dianae Orthosiae, praeter unum lapidem, qui apud Bacchi delubrum in eadem urbe relictus est literis Assyriis oppletus. Ceterum Bospori locus, quem rex Darius ponte commisit, coniectanti

mihi videtur medius inter Byzantium et templum quod ad eos est.

88. Post haec Darius ponte ratito delectatus, autorem eius Mandroclem Samium donavit denis omnibus. Ex quorum primitiis Mandrocles pingendo totam commissionem Bospori et regem Darium in solio sedentem, ac copias ibi transeuntes, effinxit, eamque picturam templo Iunonis dedicavit, cum hac inscriptione,

Qui rate piscosum coniunxit Bosporon, implens
Darii regis vota, iubentis opus,
Iunoni Mandrocles haec monumenta dicavit,
Esset honor Samiis unde, corona sibi.

Haec igitur monumenta extiterunt eius qui pontem compegit.

89. Quem ubi remuneratus est Darius, transmisit in Europam, iussis Ionibus navigare in Pontum usque ad Istrum, atque ubi eo pervenissent, se illic opperiri fluvium ponte iungentes. Ducebant enim classem Iones et Aeolenses et Hellespontii. Hi praetervecti Cyaneas, recta ad Istrum navigarunt: subvectique duorum dierum itinera a mari ad collum fluminis, ubi in ostia scinditur, illud ponte iungunt. Darius, transmisso per ratem Bosporo, faciebat per Thraciam iter, et quum ad fontes Teari amnis perventum esset, triduo hic habuit stativa.

90. Tearus fertur ab accolis amnium esse optimus cum ad alios morbus, tum ad scabiem curandam vel hominum vel equorum. Eius enim fontes duodequadraginta sunt, ex eadem petra manantes, partim frigidi, partim calidi. Ad hos tantundem viae est ab Heraeo urbe iuxta Perinthum, et ab Apollonia, quae est in Ponto Euxino, duorum dierum utraque. Pluit autem Tearus hic in fluvium Contadesdum, Contadesdus in Agrianem, Agrianos in Hebrum, Hebrus in mare iuxta urbem Aenum.

91. Ad hunc igitur amnem quum pervenisset Darius, castraque posuisset, oblectatus amne, cippum erexit etiam illic, his literis inscriptum, Teari amnis capita optimam aquam atque pulcherrimam cunctorum amnium continent, et ad ea pervenit, exercitum ducens adversus Scythas, vir optimus atque pulcherrimus cunctorum hominum, Darius Hystaspis filius, Persarum cunctaeque continentis rex.

92. Haec sunt illic scripta. Darius hinc movens venit ad alium amnem nomine Artiscum, qui per Odrysas fluit: quo ubi pervenit, ita agendum sibi putavit.

Ostenso certo loco copiis suis, iussit illic virum quemque praetereuntem ponere unum lapidem in isto demonstrato loco. Id quum exercitus fecisset, grandes acervos lapidum istic relinquens adduxit exercitum.

93. Sed priusquam ad Istrum perveniret, primos subegit Getas, qui de immortalitate sectam sequuntur. Nam Thraces qui obtinent Salmydessum, quique supra Apolloniam et Mesambriam urbem incolunt, et qui Scyrmiadae et Nipsaei vocantur, sine pugna sese ipsos Dario dediderunt. Getae vero ad pervicaciam conversi, statim in servitutem redacti sunt, quum sint fortissimi Thracum atque iustissimi.

94. Immortalitatem autem tenent hoc modo: Non mori se putant, et eum qui defunctus est, meare ad Zalmoxin daemonem, quem nonnulli eorum opinantur eundem esse Gebeleizin. Per singula quinquennia eum qui forte ductus est, assidue ex se ipsis dimittunt nuntium ad Zalmoxin, praecipientes ea quibus semper indigent: eumque ita mittunt; Quibusdam eorum datur negotium, ut tria iacula teneant: aliis, ut comprehensis eius qui ad Zalmoxin dimittitur, manibus pedibusque, hominem agitantes in sublime, iactent in iacula. Qui si tranfixus extinguitur, propitium istis deum arbitrantur: sin minus, ipsum nuncium causantur, asseverantes, malum illum esse virum. Hoc vituperato, alium dimittunt, dantes adhuc viventi mandata. Iidem hi Thraces, dum tonat fulguratque, in coelum sagittas excutiunt, deo minitantes, nec ullum alium deum praeter suum esse arbitrantes.

95. Verum, ut ego a Graecis accepi, Hellespontum et Pontum incolentibus, Zalmoxis hic, homo fuit, Sanique servitutem servivit Pythagorae Mnesarchi filio. Illinc nactus libertatem, quum multum pecuniae comparasset, in patriam rediit. Qui quum animadverteret Thraces male viventes et subinscite, ipse edoctus Ionicum vivendi genus et mores liberaliores quam Thracum, ut qui versatus esset cum Graecis, cumque Pythagora non infirmissimo inter Graecos sophista, domicilium virile extruxit, in quod primos quosque popularium convivio accipiebat, et inter convivandum docebat, neque se neque suos convivas, neque illos qui inde semper gignerentur, interire: sed in eum locum venturos ubi superstites perpetuo omnium bonorum compotes essent. Dum ea quae commemorata sunt ageret atque diceret, interim subterraneum aedificium struebat. Quo prorsus absoluto, e Thracum conspectu subductus fuit; descendens in illud subterraneum aedificium, ubi circiter triennium egit, desi-

derantibus eum Thracibus, ac deflentibus tanquam mortuum, quarto anno se eisdem in conspectum dedit, atque ita credibilia sunt effecta quae illis exposuerat. Haec Zalmoxin aiunt fecisse.

96. Cuius subterraneo aedificio neque fidem detraho, neque valde credo, sed multis eum ante Pythagoram annis extitisse arbitror. Verum sive Zalmoxis quispiam fuerit homo, sive sit daemon Getarum indigena, valeat. Getae hoc ritu utentes, ubi a Persis subacti fuerunt, reliquum sunt exercitum sequuti.

97. Darius ubi ad Istrum pervenit, et una pedestres copiae, cunctique flumen transmiserunt, tunc vero iussit Iones, postquam ratem solvissent, sequi se pedestri itinere, cum nauticis copiis. Qui quum ratem soluturi essent et imperata facturi, Coes Erxandri filius, Mitylenaeorum dux, ita apud Darium verba facit, sciscitatus antea num quid ei gratum foret audire sententiam dicere volentis. Quum adversus eam terram rex facias expeditionem, in qua fertur nihil arari, nullas urbes coli, sinito nunc pontem hoc loci stare, relictis ad eius tutelam custodibus iis, qui eum contexuerunt: per quem sive ex sententia rem geremus, Scythis inventis, sive illos invenire nequibimus, tutus nobis sit reditus. Neque enim veritus fuerim, ne proelio a Sythis superemur: sed potius ne si eos invenire nequeamus, aliquid patiamur errabundi. At enim credat me quispiam mei ipsius causa haec dicere, ut hic subsistam: ego vero, quod in tuam rem esse sentio, rex, id in medium profero, ipse tamen te sequi volo, neque hic relinqui. Delectatus admodum eo consilio Darius, ita respondit, Hospes Lesbie, fac omnino quum sospes domum rediero, praesto mihi sis, ut te ob egregium consilium egregiis factis remunerem.

98. Haec loquutus, ubi sexaginta nodis lorum innodavit, accitus ad colloquium tyrannis Ionum, ita loquutus est, Viri Iones, quam prius habueram de ponte sententiam, eam missam facio, vos sumpto hoc loro, haec ita velim agatis: simul atque videritis me iter facere in Scythas, ex eo tempore incipientes, solvite quotidie unum nodum: intra quod tempus nisi adfuero, sed dies nodorum vobis exierint, vela facite in patriam vestram: interea, quoniam consilium sic mutavi, agite custodiam ratis, omne studium illi et conservandae et custodiendae adhibentes: quod facientes, maiorem in modum mihi gratificabimini. Haec loquutus Darius, promovet exercitum.

99. Thracia tellus in mare tendens, Scythiae praetenditur; sed sinu eius terrae ducto Scythica excipit: et Ister ad hanc in ventum eurum os conversus exit. Quod autem ab Istro soli ipsius Scythici secundum mare est, id metiendo indicare aggrediar: Ab Istro haec iam vetus Scythia est, meridiem versus et austrum posita, usque ad urbem Carcinitin: eiusdem deinceps quod ad idem mare fert montanae regionis, et in Pontum prominens, incolit genus Taurica usque ad Chersonesum dictam asperam. Haec ad mare pertinet quod ad ventum subsolanum est. Sunt autem finium Scythicae partes duae, ferentes ad mare, tum quod ad meridiem, tum quod ad orientem, quemadmodum Atticae regionis. Et similem partem Scythiae Tauri incolunt, ut si Atticae iugum Suniacum alia gens, non Athenienses, incoleret, quod magis in pontum ab Thorico usque ad Anaphlystum pagum, se porrigit promontorium: talis est, ut parva cum magnis comparem Taurica regio. Qui autem non est has Atticae partes praetervectus, huic alio modo planum faciam: ut si Iapygiae alia gens et non Iapyges, incipientes a Brundusio portu praecidantur usque Tarentum, et promontorium incolant. Quum haec duo dico, multa persimilia dico, quibus aliis Taurica est comparanda.

100. Ab Taurica deinceps Scythae supra Tauros et orientale versus mare incolunt, et quae Bospori Cimmerii sunt ad vesperam vergentia, et quae paludis Maeotidis Tanai fluvio tenus, qui influit in huius paludis recessum. Itaque ab Istro iam quae ad superiora pertinet ferentia in mediterranea, secluditur Scythia ab primis Agathyrsis, deinde a Neuris, deinde ab Androphagis, postremo a Melanchlaenis.

101. Itaque Scythiae veluti formam quadratam habentis, duabus partibus ad mare pertinentibus, prorsus aequale, tum quod ad mediterranea fert, tum quod ad mare: nam ab Istro ad Borysthenem, decem dierum est iter, tantundem a Borysthene ad Maeotin paludem. A mari mediterranea versus, ad Melanchlaenos qui supra Scythas habitant, viginti dierum iter. Supputantur autem a me in singulas dies itineris ducenta stadia. Ita transversa Scythiae erunt quatuor millium stadiorum: recta quae ad mediterranea ferunt, aliorum totidem stadiorum. Tantae est haec terra magnitudinis.

102. Scythae inter se colloquuti, quum soli impares essent copiis Darii proelio repellendis, nuncios ad finitimos misere. Eorum reges quoque, ubi convenere,

consultabant, ut ingenti exercitu invadente. Erant autem qui convenerant reges, Taurorum, et Agathyrsorum, et Neurorum, et Androphagorum, et Melanchlaenorum, et Gelonorum, et Budinorum, et Sauromatarum.

103. E quibus Tauri huiusmodi moribus utuntur; Virgini naufrages immolant, et quoscunque Graecos ceperint illuc delatos, hoc modo; postquam auspicati fuerunt, hominis caput clava feriunt, truncum eius quidam aiunt deturbari e rupe: nam in rupe praerupta templum est situm; cruci affigunt caput. Quidam de capite suffigendo consentiunt, sed truncum e praecipitio deiici negant, sed humo contegi dicunt. Daemonem, cui immolant, ipsi Tauri aiunt esse Iphigeniam, Agamemnonis filiam. In hostes autem, quos ceperint, hoc agunt: Amputatum quisque caput hostis domum reportat, et ingenti fuste transfixum supra tecta eminens multum statuit, et plerumque supra fumarium; ideo in sublimi suspendi dicentes quasi totius domus custodes. Vivunt autem e rapto et ex bello.

104. At Agathyrsi lautissimi viri sunt, et aurum plerumque gestantes. In commune cum mulieribus coeunt, ut inter se germani sint ac domestici omnes, nihil neque livoris neque odii mutuo exercentes: in ceteris ad Thracum consuetudines accedunt.

105. At Neuri Scythicis quidem utuntur moribus, quibus una ante Darii expeditionem aetate contigit, ut totam linquerent regionem propter serpentes; nam serpentum cum magna vis ex ipsorum solo est edita, tum maior superne e locis desertis ingruerat: quibus usque adeo infestati fuerunt, ut relicto suo solo cum Budinis habitaverint. Videntur autem hi homines esse praestigiatores: dicuntur enim a Scythis et ab iis, qui in Scythia incolunt, Graecis, semel quotannis singuli ad paucos dies effici lupi, et rursus in pristinum habitum redire, quod tamen dicentes mihi non persuadent: nihilominus tamen illi aiunt ita esse, ac deierant.

106. Androphagi agrestes maxime omnium hominum mores habent, non iudiciis, non legibus utentes, pecuariam exercentes, vestem Scythicae similem gestantes, propriam linguam habentes. Soli autem humana carne vescuntur.

107. Melanchlaeni omnes indumenta nigra gerunt, unde et cognomen habent; institutis Scythicis utentes.

108. Budini, ingens natio atque numerosa, vehementer caesiis oculis omnis ac rufa: quorum urbs nomine Gelonus e materia constructa est: muri ea magni-

tudo est, ut singula latera tricenorum stadiorum sint; est vero altus et totus ligneus. Aedes quoque cum privatae, tum sacrae sunt e materia. Nam sunt ibi deorum Graecorum templa Graecanice extructa, simulacris, aris, delubris ligneis. Baccho triennalia agunt, et bacchanal exercent: quippe Geloni sunt ab originis vetustate Graeci, sed ex emporiis summoti inter Budinos habitaverunt, lingua partim Scythica partim Graeca utentes.

109. Budini non lingua, non victu utuntur eodem cum Gelonis: nam Budini, utpote indigenae, tum pastores sunt, tum soli eius regionis pediculos edunt: at Geloni agriculturae operam dantes frumento victitant, et hortos possident, nihil illis neque aspectu neque colore similes: a Graecis autem etiam Budini vocantur Geloni, non recte vocantibus. Horum regio omnis generis frequens; et ubi plurimum consita, ibi est lacus ingens et multus, et palus, ac circa eam arundo. In eo lacu lutrae capiuntur, et castores, et aliae ferae oris quadrati, quarum pelles circa renones adsuuntur, et testiculos habent ad uterorum medelam utiles.

110. De Sauromatis vero ita memoratur: Quum Graeci bellaverunt cum Amazonibus (quas Scythae Oeorpata vocant, quod nomen potest transferri, Viricidae: oeor enim virum dicunt, pata autem, occidere) feruntur post victoriam praelii ad Themodantem facti, abiisse, portantes tribus in navibus quascunque potuerant ex Amazonibus vivas capere: quibus illae in pelago insidiatae, cunctos trucidavere. Sed quum naves haberent incognitas, nec gubernaculis aut velis aut remis uterentur, interfectis viris, ferebantur secundum fluctus et ventum; delataeque sunt ad paludis Maeotidis Cremnos, praerupta, quae Scytharum liberorum telluris sunt. Ibi e navibus egressae Amazones, ad loca habitata iter facientes, quod primum nactae sunt equorum armentum, diripiunt conscenduntque; et obequitantes, e Scythis praedas agunt.

111. Scythae quid hoc rei esset conicere nequibant, quum neque vocem, neque gentem agnoscerent; admirabundi unde venirent, et rati cunctos esse viros eiusdem aetatis. Ergo commissa cum eis pugna fuit; unde potiti quibusdam mortuarum, ita demum feminas esse cognoverunt. Itaque consilio habito visum est eis, nullo pacto posthac quampiam illarum occidere: sed ex se qui maxime iuvenes essent, in eas dimitti, eodem numero quo illas esse coniectabant, qui sua prope castra habe-

rent, et eadem quoque cum illis facerent. Si invaderentur, non quidem pugnare, sed subterfugere: ubi subsisterent illae, ipsos etiam proxime accedentes castra ponere. Hoc Scythae idcirco decreverunt, quod prolem ex illis suscipere cupiebant.

112. Adolescentes qui missi sunt, mandata peregerunt: quos ubi Amazones intellexerunt neutiquam ad se laedendas venisse, valere sinebant: quotidie tamen castra castris propius admovebantur. Ceterum ne ipsi quidem adolescentes quicquam habebant, quemadmodum neque Amazones, praeter arma et equos, et vitam eandem cum illis vivebant, venando atque praedando.

113. Circa meridiem Amazones solebant aut singulae aut binae separatim a reliquis ad ventrem levandum longius vagari; ea re Scythae cognita, et ipsi idem faciunt, quorum aliquis uni illarum, quae solivagae erant, quum se admovisset, non se avertit Amazon, sed uti permissit: nec appellare quidem poterat, non enim intelligebant se invicem, tamen manu significavit, ut ad eundem locum postridie rediret, adducto secum altero, ut duo essent; se quoque alteram adducturam. Digressus ab ea iuvenis haec enarrat ceteris: posteroque die socium secum ducens, ad locum praesto fuit, ac reperit Amazonem cum altera expectantem.

114. Eius rei certiores facti reliqui iuvenes, et ipsi conciliaverunt ceteras. Post haec commixtis castris pariter habitarunt; eam quisque uxorem, cum qua primum coierat, habentes. Earum vocem quum ipsi discere non possent, ipsorum illae discebant. Et quum se mutuo intelligerent, viri ad Amazones ista dixerunt, Nobis parentes sunt; sunt et facultates: proinde non agamus diutius hanc vitam, sed hinc digressi, in hominum frequentia degamus, ubi vos habebimus uxores, nequaquam alias. Ad haec illae responderunt, Nos vero non possumus vestris cum feminis habitare, quibus non iidem qui nobis sunt mores; nos enim arcu tela excutimus, et iaculamur, et equitamus, muliebria opera non edoctae: vestrae feminae nihil eorum quae recensuimus, sed opera muliebria factitant, manentes in plaustris, non ad venationem atque alia huiusmodi prodeuntes, proinde non possumus inter illas versari. Quod si vobis cordi est habere nos coniuges, et iustissimi videre vultis, ita ad parentes vestros, et facultatem sortiti partem, postea redite, ut deinde semoti ab illis habitemus.

115. Id approbantes iuvenes ita fecere, et sortiendo accepta facultatem quae ipsis contingebat portione, rur-

ens ad Amazones redierunt. Ad quos illae, Duplex, inquiunt, metus et terror nos tenet in hoc loco habitandi: partim quod nos parentibus vestris vos privavimus: partim, quod terram vestram magnopere vastavimus. Sed quoniam dignamini nos habere uxores, hoc una nobiscum agatis. Agedum proficiscamur e regione hac, et Tanai fluvio transmissa habitemus.

116. Huic quoque rei optemperavere iuvenes; traiectoque Tanai, et orientem versus trium quidem dierum itinere confecto a Tanai, trium quoque a Maeotide palude ad aquilonem. Pervenientes vero ad eum locum, quem nunc incolunt, ibi subsederunt, et inde prisca consuetudine vivendi feminae Sauromatarum utuntur; nam ad venationem una cum viris ac sine viris. equis insidentes, et ad proelium proficiscuntur, eandemque cum viris vestem gerunt.

117. Sauromatae adsueverunt linguae Scythicae soloecizante in ea iam antiquitus, quod eam non probe didicerint Amazones. Quod ad coniugia pertinet, ita ab eis est institutum: Nulla virgo nubit, priusquam aliquem hostium interemerit, ideoque nonnullae earum decedunt iam vetulae, antequam nubant, quod legi satisfacere nequeant.

118. Ad harum igitur quas dixi gentium coactos reges nuncii Scytharum quum pervenissent, certiores eos fecerunt, Persam, ubi omnia, quae sunt in altera continente, in suam ditionem redegit, cervice Bospori ponte iuncta, in hanc traiecisse continentem, subactisque illic Thracibus, fluvium Istrum ponte iunxisse, animo haec omnia in suam redigendi potestatem. Proinde vos nolite ullo pacto ex medio sedentes sinere ad perniciem nos devenire; sed idem sentientes, obviam eamus invadenti: quod nisi facitis, nos in ultimum discrimen adducti, aut regionem deseremus, aut manentes inibimus: quid enim cladem subeamus, nolentibus, vobis auxilio esse? Quamquam non commodius post id agetur vobiscum; venit enim Persa nequaquam magis adversus vos: neque, nos subegisse contentus, a vobis abstinebit. Cuius rei magnum hinc accipite documentum: quod si nobis solis inferret ille bellum, animo superioris servitutis ulciscendae, oportebat a ceteris hominibus abstinentem sic in nostram tendere regionem. Ostenderet enim omnibus se adversus Scythas, et non adversus alios ire; at nunc, simulatque traiecit in hanc continentem; ut quisque ipsi occurrit, pacat: ceteros, veluti Thraces et nobis confines Getas, suo subiectos imperio habet.

119. Haec quum Scythae denunciassent, ii qui e nationibus venerant reges deliberabant, sed discordes eorum erant sententiae. Nam Gelonus quidem et Budinus Sauromates concordes receperunt se Scythis auxilio futuros: Agathirsus autem et Neurus et Androphagus et Melanchlaenorum Taurorumque reges ita Scythis responderunt: Si vos in iniuria Persis facienda ac bello inferendo priores non fuissetis, recte videremini precari quae precamini; et nos vestris precibus morem gerentes, idem vobis ageremus. Nunc autem vos sine nobis illorum terram ingressi imperitastis Persis, quamdiu deus vobis indulsit: illi itidem, quandoquidem eos idem, deus excitat, vicem vobis reddunt. Nos neque tunc quicquam intulimus iniuriae his viris, neque nunc conabimur priores infestare. Quod si hic nostram regionem invaserit, et prior iniuriam fecerit, nos haudquaquam tolerabimus: id donec cernamus, apud nosmet ipsos manebimus: neque enim in nos venire Persas opinamur, sed in eos qui fuerunt autores iniuriae.

120. Scythae, ubi haec relata audiere, statuerunt nullam sibi pugnam recta atque ex aperto conferendam, quando ipsis isti ad societatem non accedebant. Itaque subducentes se ac longius progressi, puteos quos ipsi praeterirent, ac fontes obstruunt, bifariamque divisi herbam terrestrem atterunt. Et ad unam e partibus, ubi regnabat Scopasis iubent Sauromatas pergere, qui se subducerent, si eo Persa declinaret, suffugientes recta ad flumen Tanain, secundum Maeotin: iidem Persam abscedentem invadendo persequerentur. Haec erat una pars regni ordinata ad hanc viam, quemadmodum dictum est. Reliquas duas regiorum, et magnam, cui imperabat Idanthyrsus, et tertiam in qua regnabat Taxacis, in unum coëuntes, accedentibus Gelonis atque Budinis, iubent hos uno die praegressos exercitum Persarum, clam progredi, subeuntesque et facientes ea quae decrevissent: et ante omnia hostem subducere recta in agros illorum, qui societatem ipsorum abnuissent, ut eos etiam irritarent; et, si minus volentes bellum adversus Persas susciperent, et invitos redderent istis hostes: deinde in suam terram reflectere, et aggredi, si quid ipsis consultantibus videretur.

121. Haec ubi decrevere Scythae, copiis Darii ex oculto occurrebant, praestantissimis equitum praecursoribus missis: plaustra autem in quibus eorum filii uxoresque omnes degunt, una cum pecoribus omnibus, praeter quae ad victum suppetebant, tot relinquentes, reliqua cum

plaustris praemiserunt, dato suis mandato, ut semper aquilonem versus tenderent. Haec quidem praevehebantur.

122. Scytharum vero praecursores, posteaquam comperererunt Persas ab Istro trium fere dierum et ante se unius diei itinere abesse, positis castris, germina terrae vastant. Persae, ubi Scytharum equitatus in conspectum se dedit, incesserunt per vestigia se semper subducentium: et deinde, nam ad unam partium recta tetenderunt Persae, auroram versus et Tanain, persecuti sunt. Quibus Tanai fluvium traiicientibus, Persae itidem traiecto eo insequuntur, donec peragrata Tauromatarum plaga, pervenirent in Budinicam.

123. Ceterum quamdiu Persae fuerunt in Scythica ac Tauromatide regione, nihil eis detrimenti inferre potuerunt, quippe quum regio foret vasta: ubi vero Budinicam ingressi sunt, ibi obvii ligneo castello a Budinis deserto et omnibus rebus vacuo, id incenderunt. His actis, ipso vestigio ire porro tendunt, dum eam regionem pervagati, in solitudinem devenerunt. Haec solitudo a nemine hominum colitur, posita supra Budinorum regionem, septem dierum itineris magnitudine: ultra quam Thyssagetae incolunt, ex quibus quatuor ingentes amnes per Maeotas effluunt in paludem nomine Maeotin: quibus haec sunt indita nomina, Lycus, Oarus, Tanais, Syrgis.

124. Darius, ut ad solitudinem pervenit, curso omisso copias super fluvium Oarum locavit. Post haec, octo castella eaque ingentia condidit, pari inter se spatio distantia, sexaginta fere stadiorum, quorum ad meam usque memoriam adhuc ruinae extabant. Dum in his Darius occupatur, interim Scythae, quos ille insequebatur, circumitis locis superioribus, reverterunt in Scythiam. Quibus e conspectu omnino semotis, nec se amplius exhibentibus, ita Darius castellis illic relictis dimidiatis, convertit iter ad occasum, ratus et hos esse cunctos Scythas, et ad occasum fugere. Proinde cum exercitu maturans ire, in Scythiam devenit; ubi in duas Scytharum incidit Partes. Hos nactus insequebatur unius diei spatio subterfugientes.

125. Et Scythae, non enim intermittens incedebat Darius, subterfugiebant ex consulto in terram eorum qui societatem ipsorum resuperant, et primum in Melanchlaenorum. Quos quum perturbassent tam Persae quam Scythae eorum terram ingressi, Scythae in loca Androphagorum Persas adducunt. Perturbatis autem

et Androphagis, hostem in Neuridem ducunt. Neuris quoque consternatis, tendunt subterfugiendo ire ad Agathyrsos. Sed Agathyrsi cernentes fugari finitimos a Scythis ac perturbari, priusquam a Scythis ager ipsorum invaderetur, misso caduceatore, Scythis ingressum suorum finium prohibent, praedicentes, si conarentur invadere agrum suum, cum eis primum se proelium commissuros. Hoc interminati Agathyrsi, in fines procurrunt, animo arcendi ingredientes. At Melanchlaeni et Androphagi et Neuri, invadentibus Persis una cum Scythis, neque virium neque minarum memores, sed timore perculsi, fugam capesserunt aquilonem versus in solitudinem. Scythae partim ad Agathyrsos, iam non excusantes societatem, se conferebant, partim e Neuride regione in suam Persis praeibant.

126. Id quum diu factitaretur, neque desisteretur, Darius ad Idanthyrsum Scytharum regem misso equite, inquit, Virorum infelicissime, quid assidue fugam facis, quum liceat tibi horum facere alterutrum? si tibi videris idoneus ad resistendum negotiis meis, stans et vagatio remmittens proeliare: sin agnoscis te imparem esse, sic quoque siste cursum, et hero tuo munera offerens, terram atque aquam, in colloquium veni.

127. Ad haec Scytharum rex Idanthyrsus ita respondit; Sic res meae habent, Persa, ut neque ullum mortalium ego metuens ante fugerim, neque nunc fugiam te, neque quicquam feci diversum nunc atque in pace facere consueveram. Cur autem non protinus tecum ineam proelium, id ego etiam declarabo. Nobis neque oppida sunt neque agri culti, quos invadi aut tonderi metuentes, properemus vobiscum conferre pugnam: ad quam si opus est continuo devenire, sunt paterna sepulcra, quae vos quum nacti fueritis, agedum tentate labefactare; et tunc intelligetis, pugnaturi vobiscum simus pro sepulcris, necne: prius autem, nisi nos ratio traxerit, tecum proelium non conseremus. Hactenus, quod ad proelium pertinet, dictum sit: heros autem meos ego solos arbitror Iovem progenitorem meum, et Histiam Scytharum reginam. Tibi autem pro donis terrae et aquae, mittam quae decet ad te venire dona: pro eo quod herum te meum esse dixisti, iubeo te flere. Hoc a Scythis responsum est: quod caduceator reversus Dario renunciavit.

128. Scytharum reges, audito nomine servitutis, ira perfusi, partem illam quae cum Sauromatis ordinata erat, cui praeerat Scopasis, mittunt ad colloquendum

cum Ionibus qui Istrum ponte iunctum asservabant. At ipsorum illis, qui relinquebantur, visum fuit non amplius cogendos esse Persas vagari, sed adoriendos esse, quoties cibum sumerent. Observantes igitur tempus, quo ab illis cibus sumebatur, quae decreta erant exequebantur. Enimvero equitatus Scytharum semper in fugam vertebat equitatum, sed Persarum equites fugientes incidendo in peditatum, ab eo defensabantur. Ita Scythae summoto equitatu hostili, tamen metu peditum recedebant, et nihilominus noctibus quoque tales incursiones faciebant.

129. Ceterum quod Persis auxilio erat, Scythis vero infestum, aggressis castra Darii, referam: res valde admirabilis, asinorum vox ac mulorum species. Nam, ut superius a me demonstratum est, nullus in terra Scythica neque asinus neque mulus gignitur, propter frigora. Itaque rudentes asini perturbabant Scytharum equos: et quum Scythae saepenumero Persas adorirentur, interim equi audita asinorum voce consternati avertebantur, arrectis auribus stupefacti, utpote insolentia tum vocis, quam prius non audissent, tum formae quam nunquam inspexissent. Atque hoc quidem paululum quiddam momenti ad bellum afferebat.

130. Ceterum Scythae ubi animadverterunt Persas tumultuantes, quo diutius in Scythia illi commorarentur, et commorantes torquerentur omnium rerum inopes, faciendum ita sibi putarunt, ut suis ipsorum pecoribus una cum pastoribus relictis, in alium ipsi abscederent locum. Persae illuc se conferentes, excipiebant pecora. Quo facto exsultabant.

131. Sed quum saepius idem tentarent, ad ultimum Darius inopia consilii laboravit. Id reges Scytharum intelligentes, mittunt ad eum cum muneribus caduceatorem, ave, mure, rana, et quinque sagittis. Persae, eum qui munera ferebat, percontabantur quid illa significarent. Iste negare sibi aliud esse mandatum, nisi ut quum illa tradidisset, celerrime rediret: iubere tamen ipsos Persas, si solertes forent, interpretari quid sibi dona vellent. Hoc quum audissent Persae, consultabant.

132. Et Darii quidem sententia erat, Scythas seipsos ei donare, et terram atque aquam: hac ratione coniectantis, quod mus quidem in terra gignatur, eodem quo homines fructu victitans; rana autem in aquis; avis vero sit equo assimilis: et sagittis dandis quod suum robur traderent. In hanc sententiam Darius interpretabatur. At Gobryas unus e septem viris, qui

magum sustulerunt, hoc dicere dona coniectabat, O Persae, nisi conversi in aves subvoletis in coelum, aut effecti mures subeatis terram, aut collati in ranas insiliatis in paludes, non remeabitis unde venistis, his sagittis confecti. Et Persae quidem illa munera sic interpretabantur.

133. At una pars Scytharum, cui datum ante erat negotium Maeotidis paludis custodiendae, tunc autem cum Ionibus qui ad Istrum erant colloquendi, ubi ad pontem venit, ita verba fecit, Viri Iones, libertatem vobis ferentes venimus, si modo exaudire volueritis. Accepimus enim, Darium vobis praecepisse, ut ad sexaginta duntaxat dies custodiam pontis ageretis; si intra id tempus ipse non afforet, domum abiretis. Itaque vos id facientes, et apud illum et apud nos culpam devitaveritis: proinde quum ad praestitutam diem permanseritis, iam abscedite. Haec se facturos recipientibus Ionibus, Scythae celerrime retro abiere.

134. At ceteri Scythae, post missa Dario dona, cum peditatu ac equitatu adversus Persas in acie instructi steterunt tanquam conflicturi: quum interim lepus in medium prosiluit, quem ut quisque vidit, insequebatur. Perturbatis Scythis ac vociferantibus, sciscitabatur Darius unde hostium tumultus existeret: et quum audisset illos leporem insectari, inquit ad eos Persas, cum quibus cetera colloqui consueverat, Hi viri videntur magno nos habere contemptui, et nunc Gobryas recte dixisse de Scythicis donis. Unde quum mihi quoque iam ipsi ita habere videantur, bono consilio est opus, ut tutus nobis eo unde venimus sit receptus. Ad haec Gobryas, Equidem, inquit, O rex horum ego virorum inopiam videbar mihi fere fama habere cognitam, sed ubi adveni, evidentius intellexi, animadvertens eos habere nos ludibrio. Proinde mihi videtur, quum primum nox venerit, incensis ignibus, prout alias quoque consuevimus facere, maxime imbecillis ad aerumnas deceptis asinisque omnibus alligatis, abeundum, priusquam versus Istrum recta pergant Scythae ad pontem solvendum, aut Ionibus aliquid videatur, quod nos queat perdere.

135. Hoc Gobryas consilium dabat. Cui assentiens Darius, ubi nox adfuit, reliquit in castris viros languidos, et eos quorum amissio minimi facienda esset, nec non omnes asinos alligatos: reliquit vero et asinos et infirmos ex agmine idcirco, ut asini quidem vocem ederent; homines autem relinquebantur infirmitatis causa;

sed scilicet hoc titulo; quasi ipse cum flore copiarum adoriturus foret Scythas, isti interea tutarentur. Haec persuadens iis qui relinquebantur Darius, accensis ignibus quam maturrime ad Istrum contendit. Asini, quod multitudine destituti essent, eo magis rudere: quos audientes Scythae, credere omnio Persas in eisdem permanere castris.

136. Verum ubi illuxit, ii qui relicti erant, cognito se quae decebat edere. His illi auditis, repente collecti, duae Scytharum partes, et una, Tauromatae Budinique ac Geloni, Persas recta ad Istrum persequuntur. Quum vero Persicus exercitus magnam partem essent pedites, et itinera nesciret, utpote viis non sectis, Scythicus vero forent equites, et compendia viarum scientes, utrique ab alteris aberrantes, multo priores ad pontem Scythae pervenere quam Persae. Ibi cognito nondum venisse Persas ita ad Ionas, qui in navibus erant, verba fecerunt. Viri Iones, et dierum numerus iam pertransiit, et iniurii estis qui adhuc permanetis sed quoniam antea prae timore mansistis, nunc solvite traiectum, atque quam celerrime abite liberi, diis ac Scythis gratiam habentes. Nam eum qui antea dominus vester erat, ita tractabimus, ut adversus nullum mortalium sit facturus expeditionem.

137. De hac re consultantibus Ionibus, Miltiadis quidem Atheniensis ducis ac tyranni Chersonensium, qui sunt in Hellesponto, sententia erat, Scythis obtemperandum esse, et Ioniam servitute liberantam. At Histiaei Milesii diversa, quod diceret nunc quidem eos suae quemque urbis tyrannos esse ob Darium: potentia vero Darii sublata, neque se Milesiis, neque alium quemquam usquam praeesse posse. Fore enim ut singulae civitates popularem statum quam tyrannicum mallent. Hanc sententiam quum dixisset Histiaeus, omnes confestim qui Miltiadi assensi fuerant, in eam transierunt.

138. Fuere autem qui sententias tulerunt et alicuius apud regem existimationis. Hellespontiorum quidem tyranni, et Daphnis Abydenus, et Hippoclus Lampsacenus, et Herophantus Parienus, et Metrodorus Proconnesius, et Aristagoras Cyzicenus; et Ariston Byzantius: et isti quidem ex Hellesponto. Ab Ionia autem, et Strattis Chius, et Aeaces Samius, et Laodamas Phocaeensis, et Histiaeus Milesius; cuius sententia praelata est contrariae sententiae Miltiadis. Aeolensium vero unus affuit qui esset alicuius auctoritatis, Aristagoras Cymaeus.

139. Hi, posteaquam Histiaei probavere sententiam, hoc sibi praeterea agendum dicendumque censuerunt, pontis partem versus Scythicam ripam solvere, solvere autem quantum ex arcu sagitta adsequitur: ut et facere aliquid viderentur, quum tamen nihil facerent, neve Scythae tentarent vim afferentes, et volentes Istrum ponte transire, et dicere solventes ab ista parte pontem quasi omnia ad voluntatem Scytharum facerent. Haec sententiae Histiaei addiderunt; et mox pro universis ad Scythas Histiaeus ista verba fecit, Viri Scythae, utilem nobis rem attulistis, et opportune instatis: atque ut vos nobis probe viam ostenditis, ita nos vobis obsequenter obtemperamus. Ut enim cernitis, et traiectum rescindimus, et adhibebimus omnem pronitatem mentis, cupidi assequendae libertatis. Ceterum dum nos haec solvimus, interea vos inquirere illos tempus admonet, et inventos, tam vestro quam nostro nomine ita ulcisci ut merentur.

140. Scythae, Ionibus iterum fidem habentes, tanquam vera eloquutis, ad inquirendos Persas reverterunt: atque ab omni illorum itinere aberrarunt: cuius ipsi fuerunt causa, quod pabula equorum illis in locis corruperant, fontesque obstruxerant: quae nisi fecissent, facile si voluissent Persas invenissent: nunc ita faciendo, visi sibi fuerant optime consuluisse, ob quae tamen eos res frustrata est. Quippe eam suae regionis partem consectantes in qua cibaria equis atque aquae forent, hostem indagabant, rati illum eadem parte fugam intendisse: at ille observato quod prius tenuerat itinere, abierat, atque ita aegre traiectus reperit locum. Et quum noctu pervenisset, nactus pontem solutam, animo prorsus concidit, veritus ne se relicto Iones abiissent.

141. Erat autem apud Darium Aegyptius vir, omnium hominum vocalissimus: hunc Darius supra labrum Istri positum iubet inclamare Histiaeum Milesium: Histiaeus primam inclamationem exaudiens, omnes naves admovit ad traiiciendum exercitum, et pontem iunxit.

142. Atque hunc in modum Persae effugerunt, quos indagantes Scythae, iterum aberraverunt: et ob id Iones tum quasi liberos, sed pessimos et ignavissimos omnium hominum esse iudicant: tum de eis tanquam de servis loquentes, mancipia dominos amantia esse aiunt, et minime fugientia. Haec in Iones Scythae probra iaciunt.

143. Darius per Thraciam iter faciens, Sestum Chersonesi pervenit, atque illinc in Asiam navibus ipse transiit, relicto in Europa exercitus duce Megabazo,

viro Persa, cui Darius aliquando hunc honorem habuit, ut hoc verbum inter Persas diceret: quum esset esurus mala Punica, simulac primum malum aperuit, interrogatus a frater Artabano, quid tam multiplex fieri sibi optaret quantum in malo esset acinorum. respondit, Se praeoptare tot numero sibi esse Megabazos quam Graeciam subditam. His verbis apud Persas hominem honoravit: quem tunc praetorem reliquit cum octoginta millibus suorum militum.

144. Megabazus autem hic immortalem sui memoriam apud Hellespontios reliquit, hoc dicto, quod quum Byzantii ageret et inquirens audisset Chalcedonios septem et decem annis ante Byzantios regionem condidisse, inquit Chalcedonios eo tempore caecos fuisse; qui quum pulchrior adesset locus ad condendum, nequaqum turpiorem elegissent, nisi caeci fuissent. Hic igitur Megabazus in Hellespontiorum plaga pro praetore relictus, eos qui diversarum a Medis partium erant, subigebat: et iste quidem talia agebat.

145. Per idem sane tempus alia ingens in Africam extitit militaris expeditio, ob eam quam ego commemorabo causam, his prius expositis: Argonautarum posteri quum a Pelasgis, qui feminas Atheniensium ex Braurone praedati sunt, essent ejecti a Lemno, Lacedaemonem navigaverunt, considentesque apud Taygetum ignem accenderunt. Quos Lacedaemonii quum vidissent, nuncium misere sciscitatum quinam et unde essent. Illi nuncio sciscitanti responderunt se Minyas fuisse, ab iis heroibus oriundos, qui in Argo navigassent, quique quum Lemnum appulissent, illic eos procreassent. Hanc mentionem stirpis Minyarum quum audissent Lacedaemonii, misso iterum nuncio scicitantur, quid sibi velit ipsorum adventus in hanc regionem, atque ignis accensio. Illi vero se respondent a Pelasgis eiectos, redire ad parentes, aequissimum enim id factu esse, orareque ut liceat una cum eis habitare, tum honorum, tum agrorum participes. Eos recipere conditione qua ipsi vellent, Lacedaemoniis placuit, cum ob alia ad hoc faciendum inductis, tum praecipue quod Tyndaridae in Argo navigaverant. Receptos Minyas et agris impertierunt et in tribus cooptarunt. Ibi confestim ablocatis in alios, quas e Lemno duxerant, mulieribus, matrimonia contraxerunt.

146. Non longe deinde interiecto tempore, statim Minyae lascivierunt, tum regnum affectantes, tum alia flagitiosa perpetrantes. Quo nomine eos Lacedaemonii

morte mulctandos quum censuissent, comprehensos in carcerem coniecerunt. Quoscunque autem Lacedaemonii morte plectendos censent, eos noctu plectunt, interdiu neminem. Quum igitur essent in illos animadversuri, exorati sunt ab eorum uxoribus, quae cives erant et primorum Spartanorum filiae, veniam ingrediendi carcerem, et cum suo cuiusque viro colloquendi, nullum in illis dolum fore suspicantes. Horum permissu Minyarum uxores ingressae carcerem, omni veste, quam gestabant, viris tradita, illorum vestem illae sumpserunt. Ita Minyae muliebri veste amicti, veluti mulieres, foras prodierunt, et hoc modo erepti rursus ad Taygetum consederunt.

147. Hac eadem tempestate Theras, Autesionis filius, Tisameni nepos, Thersandri pronepos, Polynicis abnepos, missus est in coloniam ex Lacedaemone. Erat hic Theras genere Cadmeo, avunculus Aristodemi filiorum, Eurysthenis et Proclis: quorum, quum pupilli essent, tutelarem habebat regni Spartani curam. Adultis mox sororis filiis, ac recepto imperio, Theras ita graviter tulit sibi ab aliis imperari, quoniam imperium gustasset, ut negaret se Lacedaemone moraturum, sed ad cognatos navigaturum. Erant autem in insula, quae nunc Thera vocatur, quondam Callista, posteri Membliari Poecilis filii, qui fuerat Phoenix. Cadmus enim Agenoris filius Europam quaeritans, in insulam quae nunc Thera vocatur, quum appulsus esset, sive regionis amore captus, sive qua alia voluntate, relinquit illic cum alios quosdam Phoenices, tum Membliarem consanguineum suum. Isti hominum aetatibus octo antequam Theras Lacedaemone venisset, insulam quae Callista vocabatur, incoluerunt.

148. Ad quos Theras cum multitudine ex tribubus petita discessit nequaquam ad illos eiiciendos, sed ad una habitandum, et valde concilians. Postea vero quam Minyas e carcere elapsos et ad Taygetum considentes, Lacedaemonii necare deliberant, Theras necem eorum deprecabatur ne fieret, recipiens se illos ex regione abducturum. Et huic postulato Lacedaemoniis assentientibus, cum tribus triginta remorum navibus ad posteros Membliaris navigavit, ducens secum non universos Minyas, sed paucos quosdam, quia plurimi ex ipsis ad Paroreatas Cauconasque diverterunt, quos quum e regione expulissent, seipsos in sex partes distribuerunt, et totidem illic oppida condiderunt, Lepreum, Macistum, Phrixas, Pyrgum, Epium, Nudium, quorum

pleraque Elei memoria mea deleverunt. Insulae autem a conditore Thera nomen est inditum.

149. At filius omnino negabat se cum eo navigaturum: propterea dixit se relicturum ovem in lupis: ex quo dicto nomen adolescenti impositum est Oiolycus, et id nomen valuit. Oiolyco natus est filius Aegeus, a quo vocantur Aegidae, in Sparta ingens tribus. Ex hac tribu viri, quum sibi non permanerent filii, ex oraculo delubrum Erinnyum Laii et Oedipodis extruxerunt: quod ipsum postea in Thera mansit illis, qui ex his viris procreati fuere.

150. Hactenus Lacedaemonii in narrando cum Theraeis consentiunt: quod deinceps contigit, soli Theraei factum hoc modo esse memorant. Grinus, Aesanii filius, ab hoc Thera oriundus, quum esset Therae insulae rex, contulit se Delphos, ducens ex urbe sacrificium centum victinarum, comitantibus eum tum aliis civibus, tum etiam Batto, filio Polymnesti, apud Minyas prosapia ex Euphymi posteris. Consulenti autem Grino Theraeorum regi de aliis rebus, Pythia respondit, urbem in Africa condere. Cui vicissim iste, Equidem, inquit, ego, O domine, senior sum et gravis ad moliendum: tu vero quempiam horum iube ista facere, Simul haec dicens, Battum ostendebat. Haec hactenus. Deinde ubi reversi sunt, pro nihilo habuere responsum; neque ubi terrarum Africa esset gnari, neque in negotium ignotum coloniam mittere audentes.

151. Septem post hac annos quum in Thera non pluisset, et omnes ipsis praeter unam arbores in insula exaruissent, consulentibus Theraeis Pythia obiecit coloniam in Africam. Illi, quoniam nullum mali remedium erat, mittunt in Cretam nuncios investigatum, siquis aut indigenarum aut advenarum illic esset qui in Africam navigasset. Nuncii, quum Cretam pererrassent, et ad urbem Itanum pervenissent, in ea notitiam contraxerunt cum purpurario, cui nomen erat Corobius; is aiebat se ventis abreptum in Africam applicuisse ad Plateam insulam Africae. Hunc nuncii mercede inductum in Theram duxerunt. Verum non multi ad rem explorandam ex Thera primo profecti sunt; sed quum ipse in eam insulam deduxisset Corobius, relinquunt eum cum aliquot mensium cibariis; ipsi vero quam celerrime navigaverunt ad renunciandum de insula civibus.

152. Quibus ultra praestitutum tempus redire differentibus, omnia Corobio deerant; sed appulsa in insu-

iam Plateam navi Samia, quae versus Aegyptum navigabat, cuius gubernator erat Colaeus, Samii, omni re gesta a Corobio audita, in annum homini cibaria reliquerunt. Ipsi ex hac insula quum solvissent, Aegyptum optantes, vento subsolano abrepti navigabant: nec intermittente flatu, Herculeas transvecti columnas, pervenerunt in Tartessum, divina vi eos mittente. Erat ea tempestate id emporium intemeratum, adeo ut inde revertentes isti ex mercibus quaestum maximum fecerint inter omnes quos novimus Graecos, duntaxat post Sostratum, Laodamantis filium Aeginetam, cum quo nemo possit contendere. Ex hoc quaestu Samii decima, id est sex talentis, exempta, fecerunt ahenum ad exemplum crateris Argolici, gryptum capitibus in circuitu altrinsecus obversis: et in templo Iunonis collocarunt, sustinentibus illud tribus colossis septenum cubitorum, genu nixis. Ex hoc facto primum ingens amicitia Cyrenaeis Theraeisque cum Samiis contracta est.

153. Theraei, ubi relicto in insulam Corobio ad Theram reversi renunciarunt esse illis insulam Africae appositam conditam, placuit Theraeis ut e singulis regionibus, quae septem erant, viri mitterentur, fratribus inter se sortitis uter mitteretur, et rex simul eorum ac dux foret Battus. Ita duas quinquaginta remorum naves in Plateam miserunt.

154. Haec Theraei memorant. Cetera iam Theraeis cum Cyrenaeis conveniunt: nam quod ad Battum pertinet, Cyrenaei nequaquam cum Theraeis consentiunt; sic enim narrant. Est in Creta oppidum Axus, in quo fuit Etearchus rex: hic amissa uxore, induxit filiae, nomine Phronimae, novercam: quae domum ingressa, ut erat, ita re ipsa se Phronimae novercam praestitit, cum laedendo atque omne genus iniuriarum excogitando, tum ad extremum impudicitiam exprobrando: atque ita rem habere viro persuasit. Iste, ab uxore deceptus, rem de filia nefariam commentus est. Erat in Axo negociator quidem Theraeus, nomine Themison: hunc ad hospitii sacra acceptum Etearchus iureiurando obstringit, ut quam rem oraret, in ea se ministrum praeberet. Ubi hominem iureiurando adegit, adductam ei tradidit filiam suam: iubens ut eam abductam in mare demergeret. Themison tristi animo ferens se deceptum iureiurando et hospitium gravatus ita sibi faciendum putavit: accepta puella mare ingressus, quum in alto fuit, iuriiurando quod instituerat Etearchus satisfaciens, re-

vinctam funibus puellam demisit in pelagus: ea deinde retracta Theram pervenit.

155. Ibi Polymnestus, vir inter Theraeos spectatus, in concubinatum Phronimam accepit, ex qua interiecto tempore natus est ei filius, sono vocis exili ac balbutienti, cui nomen impositum est Batto, ut Theraei et Cyrenaei aiunt: ut autem ego sentio, aliud aliquod; sed eum cognominatum Battum, postquam in Africam abiit, cum propter oraculum apud Delphos sibi redditum, tum propter honorem quem assequutus est. Battum enim Afri regem appellant, et ob id reor Pythiam quum oraculum reddidit, lingua Africana vocasse Battum, quia noverca futurum regem esse in Africa. Hic enim, ubt in virilem adolevit aetatem, Delphos adit de voce. Cui consulenti Pythia respondit,

Batte ades ad vocem, sed tu, Rex Phoebus Apollo
Laanigeram in Libyam venias, vult, conditor urbis.

Perinde ac si lingua Graeca oraculum reddens dixisset, O rex, vocis causa venisti. Ad haec Battus sic vicissim inquit, O Rex, ego ad te veni gratia consulendi de voce: tu de aliis mihi respondes quae nequeunt fieri, iubens colonos ducere in Africam: qua copia? quave manu? Haec loquens non persuasit illi, ut alia responderet; sed eadem quae prius respondente, illinc digressus abiit in Theram.

156. Mox deinde et huic ipsi et ceteris Theraeis male cedebat: sed ignorantes casuum originem mittunt Delphos de praesentibus adversis. Quibus quum respondisset Pythia, melius cum ipsis actum iri, si Cyrenem in Africa conderent cum Batto, miserunt Theraei Battum cum duabus quinquaginta remorum navibus. Isti in Africam profecti, quandoquidem non aliud habebant quod agerent, retro ad Theram se receperunt. Sed eos Theraei arcentes accessu Therae repellebant, ac rursus reverti iubebant: necessitate adacti, remenso iterum mari, condiderunt oppidum in insula Africae adiacenti, nomine ut prius dictum est, Platea, quae fertur Cyrenaeorum urbi quae nunc est, par esse magnitudine.

157. Hanc biennio incolentibus, quum nihilo melius secum ageretur, uno e suis relicto, ceteri Delphos navigaverunt ad oraculum consulendum. Eo postquam venerunt, sciscitantibus quid ita secum in Africam pro-

fectis nihilo tamen melius ageretur, Pythia respondit his verbis,

Lanigerae Libyae scis quam nec adiveris urbem,
Me melius, tuum ego ingenium mirabor euntis.

His auditis, ii qui cum Batto erant, rursus abnavigarunt; neque enim dimittebat eos deus ab colonia priusquam in Africam ipsam devenissent. Reversi ad insulam, receptoque quem reliquerant, condiderunt locum in Africa ipsa, e regione insulae, nomine Aziris, amoenissimis collibus utrinque conclusum, et alterum latus flumine praeterlabente.

158. Hunc locum sex annis quum incoluissent, septimo deprecantes Afri persuaserunt relinquere, ut in meliorem transirent. Ita illinc eos Afri quum excivissent, vesperum versus et ad locorum speciosissimum duxerunt, et quidem noctu, ne Graeci interdiu facientes iter, diurnum spatium metiendo animadverterent. Est autem huic loco nomen Irasa. Eos, ubi ad fontem qui Apollinis esse fertur, duxerunt, inquiunt, Viri Graeci, hic vobis incolere commodum est, ubi coelum foratum est.

159. Sub Batti igitur conditoris vita, qui annos quadraginta regnavit, et sub eius filio Acresilao, qui regnavit annos sexdecim, Cyrenaei habitaverunt tot omnino quot in coloniam missi fuerant. Sub tertio autem, qui Battus Felix est appellatus, cunctos Graecos ad navigandum, ut in Africa cum Cyrenaeis habitarent, induxit suo oraculo Pythia. Nam arcessebant Cyrenaei ad agri partitionem. Induxit autem haec verba respondens,

Serior in Libyen quisquis pervenerit almam
Post discretum agrum, mox hunc, affirmo, pigebit.

Quum ergo ingens multitudo Cyrenen se contulisset, finitimi Afri spoliati magna agrorum parte eorumque rex, nomine Adicran, quippe agris exuti et contumeliose habiti a Cyrenaeis, missis in Aegyptum quibusdam, sese dediderunt Apriae Aegypti regi. Iste comparatum grandem Aegyptiorum exercitum misit adversus Cyrenen. Cyrenaei, instructa apud Irasa locum et ad fontem Thesten acie, cum Aegyptiis conflixerunt, eosque superaverunt, utpote inexpertos antea atque contemptores Graecorum: adeoque profligarunt, ut pauci ex eis in Aegyptum redirent. Qua de re Aegyptii tum succensentes Apriae, ab eo desciverunt.

160. Huius autem Batti filius extitit Arcesilaus, qui regnum adeptus, inter initia cum fratribus suis seditiones exercuit, donec illi relicto eo in alium Africae locum migraverunt, ubi inter se deliberantes urbem hanc condiderunt, qua, ut tunc, Barce nunc appellatur. Et inter condendum Afros sollicitabant ad deficiendum a Cyrenaeis. Arcesilaus tam illis, qui ex Afris eos receperunt, quam ipsis iis, qui defecerant, bellum intulit: quem reformidantes Afri, fugam ad orientales Afros intenderunt. Sed fugientibus Arcesilaus usque institit insequendo, dum ad Leuconem Africae perveniret: et Afris visum fuit eum adoriri. Itaque congressi cum eo, adeo superavere Cyrenaeos, ut ex illis septem millia gravis armaturae ibi ceciderint. Post hanc cladem, Arcesilaum aegrotantem epoto medicamento frater Learchus strangulavit: sed hunc dolo uxor Arcesilai interfecit, nomine Eryxo.

161. Arcesilao successit in regno puer Battus, claudus, et pedibus non integer. Cyrenaei ob acceptam calamitatem Delphos miserunt per quosdam interrogatum, quam rationem ineuntes optime habitarent. His Pythia respondens, iussit, ex Mantinea Arcadum adducerent moderatorem. Itaque petentibus Cyrenaeis Mantineenses dederunt quendam nomine Demonactem, virum inter populares probatissimum. Hic igitur vir Cyrenen profectus, ubi singula quaeque edoctus est, tum in tres tribus distribuens illos, ita digessit, ut unam quidem partem faceret Theraeorum atque confinium: alterum autem Peloponnesiorum atque Cretum; tertiam vero, cunctorum insulanorum; tum Batto regi fana ac sacerdotia eximens, alia omnia quae superiores reges obtinuerant, contulit in medium populo.

162. Quae instituta sub hoc quidem Batto sincera permanserunt: verum sub eius filio Arcesilao de honoribus vehementes sunt excitatae turbae, negante Arcesilao Batti illius claudi et Pheretimae filio se toleraturum quae Mantinensis Demonax constituisset, ac reposcente honorum suorum maiorum. Hinc seditione orta, inferior profugit in Samum, mater eius Salaminam Cypri. Obtinebat ea tempestate Salaminis imperium Euelthon, qui Delphis dedicavit thuribulum spectatu dignum, quod in thesauro Corinthiorum situm est. Ad hunc profecta Pheretima precabatur, ut se filiumque Cyrenen cum exercitu reduceret. Ille omnia potius quam exercitum huic dabat. Pheretima id quod dabatur accipiens, dicere etiam bonum id quidem esse, sed me-

lius facturum eum si ei petenti daret exercitum. Quumque identidem ad omnia quae dabantur, hoc diceret, tandem misit ad eam Euelthon dono fusum aureum, atque colum penso circumdatam: dicentique quae consueverat verba Pheretimae, inquit talibus rebus donari feminas, non exercitu.

163. Arcesilaus interea Sami agens, unumquemque solicitabat conditione divisionis agrariae: coactoque ingenti exercitu, navigavit Delphos ad consulendum de reditu. Cui Pythia ita respondit, Ad quatuor Battos, ac totidem Arcesilaus, octo hominum aetates dat vobis Apollo Cyrene regnare: ulterius vel conari dehortatur. Tibi vero suadet, ut reversus in domum tuam, quietem agas. Quod si fornacem inveneris plenam amphorarum, ne eas excoquas, sed ad auram emittas. Sin fornacem incenderis, ne committas ut circumfluam introëas: alioqui peribis tu periter at taurus optime opus faciens.

164. Haec Arcesilao Pythia respondit. Iste, sumptis iis qui erant e Samo, rediit Cyrenen: recuperatoque rerum dominio, immemor oraculi, vocatis ad dicendam causam iis, qui contra ipsum in partibus fuerant, obiecit culpam fugae suae, At illorum alii exilio solum vertebant, alii ab eo comprehensi, in Cyprum ad perniciem mittebantur: quos Cnidii ad suam terram appulsos liberaverunt, ad Theramque dimiserunt. Quosdam, qui in grandem quandam et privatam Aglomachi turrim refugerant, circumdata materia Arcesilaus igni cremavit. His perpetratis, agnoscens id esse oraculum, quo Pythia non sinebat eum inventas in fornace amphoras excoquere, abstinebat ultro urbe Cyrene, extimescens necem oraculo praedictam, et Cyrenen existimans esse circumfluam. Uxorem vero habebat cognatam suam regis Barcaeorum, cui nomen erat Alazir, filiam. Ad hunc proficiscitur. Et quidam tum Barcaei, tum exules Cyrenaei quum in foro agentem eum animadvertissent, obtruncarunt, insuper et eius socerum Alazira. Ita Arcesilaus, sive volens sive invitus oraculo non obsequutus, fatum suum implevit.

165. Mater eius Pheretima, dum filius Arcesilaus mali sui sibi autor Barcae agit, ipsa interea honoribus filii Cyrene fungebatur, ac munera obibat cum alia, tum in senatu assidebat. Ubi autem cognovit filium suum filium suum Barcae occisum esse, fuga se proripuit in Aegyptum: nam Arcesilaus fuerat de Cambyse Cyri bene meritus; quod is extitisset qui Cyrenen Cambysi tradiderat, ac tributum instituerat. Haec in Aegy-

ptum quum pervenisset, supplex Aryandi sedit: hortansque eum ad se ulciscendam, etiam praetendens titulum quod ideo filius suus, quia cum Medis sentiret, interemptus esset.

166. Erat hic Aryandes Aegypti praetor a Cambyse constitutus, qui aliquanto post tempore, quum aemulari Darium vellet, ab eo est interfectus. Siquidem audiens atque animadvertens, Dario cordi esse memoriam sui relinquere opere quod a nullo alio regum factum esset, id sibi imitandum putavit, donec mercedem accepit. Etenim Darius ex auro quam potuit purgatissimo monetam percussit: Aryandes autem Aegypti praetor idem ex argento fecit; et nunc quoque exstat purissimum argentum Aryandicum.

167. Ea re comperta Darius instimulatum quasi rebellaret, morte affecit. Tunc autem Aryandes hic misertus Pheretimae, omnes ei copias Aegypti tradidit, pedestres simul et nauticas, praeposito quidem pedestribus Amasi, viro Maraphio, nauticis autem Badre, qui genere Pasargades erat. Sed priusquam copias mitteret, caduceatore Barcam misso percontabatur quisnam percussor Arcesilai extitisset. Barcaei se omnes extitisse respondent: multa etenim se ab illo mala esse perpessos. His auditis Aryandes ita exercitum una cum Pheretima mittit. Atque hic quidem titulus inferendi belli extitit. Verum, ut mea fert opinio, exercitus mittebatur ad Afros subigendos. Afrorum enim multae sunt et variae nationes, quarum paucae regi obtemperabant, pleraeque Darium contemnebant.

168. Habitant autem Afri hoc modo ab Aegypto incipientes, Afrorum primi Adyrmachidae, eisdem fere quibus Aegyptii moribus utentes. Vestum gestant qualem et alii Afri; uxores eorum in utraque tibia armillam aeream. Eaedem capitis comam alentes, pediculos si capiant, quaeque suos mordet, atque ita abiicit. Hoc isti ex omnibus Afris soli facitant: solique virgines nupturas regi exhibent, et quae illi placuerit, eam devirginat. Pertinent hi Adyrmachidae ab Aegypto ad portum usque nomine Pleunum.

169. His confines sunt Giligammae, regionem versus occasum incolentes, Aphrodisiade tenus insula. In huius loci medio adsita est insula Platea, quam condidere Cyrenaei. Atque in continente est portus Menelaius et Aziris, quam Cyrenaei incoluere. Et hinc Silphium incipit, ab insula Platea pertinens usque ad os-

Syrtis. Apud hos iidem pene ritus, qui apud alios sunt.

170. Giligammae ab occasu contingunt Asbystae, qui supra Cyrenen incolentes non pertinent ad mare: nam maritima Cyrenaei incolunt. Iidem non postremi, sed praecipui Afrorum sunt in quadrigis regendis, studiosi in Cyrenaeorum legibus pleraque ex parte imitandis.

171. Horum sunt occasum versus confines Auschisae, qui supra Barcam incolentes ad mare pertinent prope Euesperidas. Circa mediam Auschisarum plagam habitant Cabales, exigua natio, ad mare pertinentes circa Tauchiram oppidum agri Barcaei, eisdem quibus ii qui supra Cyrenen sunt legibus utentes.

172. Auchisarum quod ad occasum vergit, contingunt Nasamones, grandis natio, qui sub aestatem relictis ad mare pecoribus, adscendunt ad locum Augila decerpturi palmulas: nam palmae illic et permultae sunt, et amplae, et fructiferae omnes. Locustas ubi venando ceperint ad solem siccantes molunt, deinde lacte adsperso sorbillant. Uxores multas singuli e consuetudine habent, et cum eis communem faciunt coitum, eodem paene quo Massagetae modo, prius scipione praefixo. Nasamonibus mos est, quum quis primum ducit uxorem, prima nocte ut sponsa singulos convivas obeat concubitus gratia, et ut quisque illorum cum ea concubuit, donum det illi quod secum habet domo allatum. Iuriiurando ac divinatione tali utuntur: Per eos viros qui iustissimi atque optimi apud illos fuisse dicuntur, iurant illorum sepulcra tangentes. Divinant, ad maiorum accedentes monumenta, et illis, ubi preces peregerunt, indormiunt: ubi quodcunque per quietem insomnium viderunt, eo utuntur. Fidei dandae consuetudo haec est: De manu alterius uterque invicem bibit: quod si nihil humoris habuerint, sumptum e terra cinerem lingunt.

173. Nasamonibus confines sunt Psylli, qui hunc in modum interciderunt: Notus eis omnia receptacula aquarum arefecerat: erat autem omnis eorum regio intra Syrtin et aquarum inops. Ob id isti publico colloquio atque consilio expeditionem fecere adversus notum: (quae Afri memorant ipsa refero;) et quum ad arenas venissent, notus spirans ipsos obruit. Psyllis exstinctis, eorum terram Nasamones obtinent.

174. Super hos notum versus, in regione feris frequenti Garamantes habitant, qui fugiunt quemcunque hominem et cuiuscunque commercium, nihil bellicae armaturae habentes, ac ne defendere quidem sese scientes.

175. Hi supra Nasamones incolunt. Circa maritima vero, occasum versus, confines sunt Macae, qui cristas tondentur; in medio capillos crescere sinentes, hinc atque hinc ad cutem usque tondentur. In bellum pelles subterraneorum struthionum ferunt pro tegumento. Per eos flumen Cinyps e colle, qui vocatur Gratiarum, fluens, in mare influit. Hic collis Gratiarum nemoribus frequens, est, quum cetera, cuius memini, Africa sit arboribus nuda: ducentorum ab eo ad mare stadiorum est intercapedo.

176. Horum Macarum finitimi sunt Gindanes: quorum uxores ferunt fascias ad pedum malleolos ex pellibus singulae multas, ob hoc, ut memoratur, quod ut a quoque viro venerem passa est, fasciam circumligat, et ut quaeque plurimas habet, ita praeclarissima censetur, tanquam a pluribus viris adamata.

177. Horum Gindanum oram in mare porrectam incolunt Lotaphagi, qui solum loti fructum manducantes victitant: cuius fructus est magnitudine instar lentisci, suavitate assimilis fructui palmarum. Ex hoc fructu Lotophagi vinum quoque conficiunt.

178. Lotophagis secundum mare vicini sunt Machlyes, loto et ipsi utentes, sed minus quam superiores. Pertinent autem usque ad ingentem omnem nomine Tritonem, qui in grandem paludem Tritonidem influit, in qua est insula quae dicitur Phla. Hanc vero insulam aiunt dici oraculum esse Lacedaemoniis condere.

179. Aiunt autem et haec: Iasonem, posteaquam sub Pelio compacta est ab eo Argo, quum eam oneravisset tum alio centum victimarum onere, tum vero etiam tripode aereo, circuisse Peloponnesum, animo Delphos eundi: eumque, quum teneret cursum circa Maleam, abreptum a vento aquilone, et abductum in Africam, et priusquam tellurem cerneret, in brevibus paludis Tritonidis fuisse: eique haesitanti de egressu fama fert apparuisse Tritonem, ac iussisse dari sibi tripodem, quod diceret ostensurum se illis exitum, atque incolumes dimissurum. Assentiente Iasone, ita demum Tritonem ostendisse qua ratione e brevibus enavigarent, et tripodem in suo templo posuisse, eique tripodi oraculum indidisse, et iis qui cum Iasone erant, rem omnem indicasse. Fore enim, ut quum quis ex posteris eorum qui in Argo simul navigarent, tripodem acceperit, necessario tunc centum Graecae civitates accolerent paludem Tritonidem; haec quum audissent Afri incolae, tripodem occultasse.

180. Iuxta hos Machlyes habitant Auseenses: et cir-

cum paludem Tritonidem utrique habitant, ita ut medio Tritone dirimantur. Quorum Machlyes quidem occiput crinitum gestant, Ausenses vero sinciput. Horum virgines anniversario Minervae festo, in honorem ipsius deae inter se bifariam divisae proeliantur lapidibus fustibusque, dicentes se ritus patrios peragere indigenae Deae, quam Minervam nominamus, et quae virgines e vulneribus decedunt, eas falsas virgines appellant. Sed priusquam a pugnando desistant, hoc faciunt: Quae virgo in pugna navavit optimam operam, eam semper communi consensu ornant cum cetera armatura Graeca, tum galea Corinthia, et currui impositam circa paludem circumducunt. Quibus autem rebus ornarentur olim hae virgines, antequam accolerent Graeci, non habeo dicere: arbitror autem ornari suetas armis Aegyptiis: nam ab Aegypto affirmarim et scutum et galeam Graecis esse tradita. Aiunt autem Minervam Neptuni esse filiam ac paludis Tritonidis, eamque succensentem, nescio quid, patri donasse se ipsam Iovi, et Iovem sibi illam ascivisse filiam. Haec illi aiunt. Iidem promiscue cum mulieribus, non una habitantes, sed pecudum more concumbunt. Ubi apud mulierem puer robustus est factus, cui virorum similis sit puer, nam tertio quoque mense viri conveniunt, eius filius censetur.

181. Isti quidem maritimi Afrorum Nomadum dicti sunt. Supra hos autem ad partem mediterraneam Africa est feris abundas. Supra hanc ferinam supercilium soli sabulosum est, porrectum a Thebis Aegyptiis ad columnas Herculis. In hoc supercilio ferme decem dierum itinere sunt frusta salis fere grumi grandes in collibus, et singulorum collium vertices e medio sale eiaculantur aquam dulcem pariter et gelidam. Circa quam homines habitant ultimi solitudinem versus, et supra plagam ferinam dictam, a Thebis itinere dierum decem primi Ammonii, habentes templum ab Thebano Iove. Etenim Thebis, quemadmodum a me etiam memoratum est, aspectu arietino Iovis simulacrum est. Apud hos est alia quoque aqua fontana, quae sub matutinum quidem tepet, sub horam autem fori repleti frigescit: sub meridiem valde frigida est: eaque hora hortos irrigant. Declinante iam die remittitur frigus, donec sol occidit: tunc tepescit; magis ac magis calescens, ad mediam accedit noctem; quo tempore fervens exaestuat: praeterita nocte media, ad auroram usque refrigescit: cognominatur autem fons iste Solis.

182. Post Ammonios autem per supercilium sabuli

decem rursus dierum itinere est collis salis illi Ammonio par et aqua, hominibus circumhabitantibus: cui loco nomen est Augila, ad quem locum Nasamones veniunt palmulas decerptum.

183. Rursus decem dierum spatio ab Augilis alius collis est salis, et aqua, et palmularum fructiferarum magna vis, quemadmodum apud alios: incolentibus illic hominibus quibus nomen est Garamantibus, natione sane magna, qui inducta super salem humo, ita serunt. Ab his ad Lotophagos brevissimum iter. A quibus triginta dierum spatium est ad eos, apud quos gignuntur boves retro pascentes. Propterea autem retro pascentes, quod cornua inclinata anterius habent, et ob id cessim euntes pascunt, nam praeniicientibus in terram cornibus, progrediendo nequeunt: alioqui nihil differentes a ceteris bobus, praeter hoc ipsum et crassitudinem pellis atque duritiem. Garamantes hi Troglodytas Aethiopes quadrigis venantur; nam Troglodytae Aethiopes, omnium hominum, quos fando cognovimus, pernicissimis pedibus sunt, serpentibus, lacertisque et aliis id genus reptilibus vescentes, lingua nulli alteri simili utentes, sed vespertilionum more stridentes.

184. A Garamantibus decem quoque dierum itinere alius collis est salis, et aqua: accolentibus hominibus quibus nomen est Atarantibus, solis omnium hominum, quos ipsi novimus, innominatis: nam congregati quidem vocantur Atarantes, singulis autem eorum nullum nomen imponitur. Hi solem transcendentem execrantur, eique praeterea omnia convitia ingerunt, quod torridus et ipsos et regionem perdat. Post totidem dierum iter alius tumulus salis est, cum aqua, et hominibus accolentibus. Cui sali confinis est mons nomine Atlas, angustus, et undique teres: et, ut fertur, adeo celsus ut eius cacumen nequeat cerni, quod a nubibus nunquam relinquatur neque aetate neque hyeme: quem esse columnam coeli indigenae aiunt. Ab hoc monte cognominantur hi homines: nam Atlantes vocantur: dicunturque nec ulla animante vesci, nec ulla somnia cernere.

185. Ad hos usque Atlantes possum recensere nomina eorum, qui in supercilio habitant, post hos non amplius. Porrigitur autem id supercilium ad columnas usque Herculeas, atque extra illas. Intra quod est salis metallum, decem dierum itinere, et homines incolentes, qui domicilia sua faciunt ex grumis salinis: isti enim iam tractus Libyae vacant imbribus: nam si plueret, non possent manere parietes salis: ibi autem et

albus et purpureus sal foditur. Supra autem hoc supercilium, notum versus ac mediterranea Africae, deserta iam plaga est, et sine aqua ferisque, sine pluvia ac lignis, omni prorsus humore vacans.

186. Ita ab Aegypto ad Tritonidem paludem, pastoricii Afri sunt, carne victitantes ac lacte, nihil vaccinum gustantes, quia nec Aegyptii; et neque suem alentes. Vaccam quidem nec Cyrenaeae feminae tangere sibi fas putant, ob Isidem, quae est in Aegypto, cui etiam ieiunia et dies festos studiose agunt. At mulieres Barcaeae non modo gustu vaccinae carnis, sed etiam suillae abstinent. Atque haec quidem ita habent.

187. Ad occasum vero Tritonidis paludis iam non sunt pascuales Afri, neque eisdem moribus utentes, neque idem circa infantes, quod pascuales solent, factitantes. Nam Afrorum qui pastorales sunt plerique hoc faciunt, an omnes, non queo pro certo dicere. Ubi filii ipsorum quadrimi effecti sunt, venas verticis illorum lana ovium succida inurunt, nonnulli venas temporum: eam ob causam ne eis ullo unquam tempore phlegma, id est, pituita, defluens e capite, officiat: eaque de re aiunt esse optima valetudine. Et sunt revera Afri inter omnes, quos nos novimus, homines, saluberrimo corpore: incertum mihi an ob hanc utique causam, certe optima valetudine sunt. Quod si pueris inurendis convulsio existat, inventa est ab eis medicina: urina enim hirci aspersa eos liberant. Ea autem refero quae Afri ipsi narrant.

188. Porro sacrificia apud pastoricios talia sunt: Ubi pro primitiis aurem pecudis praesecuerunt, eam supra domum aiiciunt: hoc acto, cervicem eius avertunt. Solis autem immolant Soli et Lunae: et his quidem universi Afri sacrificant: at qui circa Tritonidem paludem incolunt, etiam Minervae inprimis, tum Tritoni ac Neptuno.

189. A quibus Afris Graeci vestem et aegidas simulacrorum Minervae mutuati sunt; praeterquam enim quod coriacea sit vestis Africanarum, et prodeuntes ex aegidibus ipsis fimbriae non sunt serpentes, sed e loris factae: cetera vero omnia ad eandem formam effecta est: nomine quoque ipso testificante venisse ex Africa Palladiorum stolam. Quippe Africanae mulieres circa vestem amiciuntur nudis aegeis, caprinis pellibus non villosis, fimbriatis ac rubrica delibutis, a quibus aegeis, caprinis pellibus, aegidas denominavere Graeci. Quinetiam hinc primum mihi videtur ululatus in tem-

plis exstitisse, quod eo Africanae mulieres utuntur ac utuntur belle. Et ab Africa quadriiugos equos iungere Graeci didicere.

190. Sepeliunt autem pastorales Afri defunctos ut Graeci, praeter Nasamones, qui illos sedentes sepeliunt, observantes ut dum quis coepit agere animam, eum sedentem constituant, ne supinus expiret. Domicilia eorum sunt compacta ex asphodeli caulibus immissis circa iuncos, ei ea quoquoversus mobilia. Et isti quidem talibus utuntur moribus.

191. Contingunt autem hos Ausenses ab occidentali parte Tritonis fluminis ii Afri, qui sunt aratores, et domos possidere in usu habent; quibus nomen impositum est Maxyes, qui dextram capitis partem comatam gestant, sinistram tondent, corpus minio tingunt, asseverantes se a Troianis esse oriundos. Regio autem haec et reliqua Africae ad occidentem vergens, multo frequentior est feris sylvisque, quam regio pastoralium. Nam quae ad auroram Africae respicit, quam pastorales incolunt, Tritone flumine tenus et depressa est et arenosa: hinc deinceps quae aratorum est, vesperam spectans, montana valde est ac nemorosa, ferisque frequens. Siquidem apud hos et serpentes sunt supra modum grandes ac leones, elephantes quoque et ursi, et aspides, et asini cornibus praediti; et cynocephali, capita canina habentes, et acephali, non habentes capita, qui in pectoribus oculos habent, ut ab Afris memorantur, viri feminaeque ferae, et aliae permultae ferae haud ementitae.

192. Quorum nihil apud pastorales est, sed alia, veluti pygargi, et capreae, et bubali: et asini, non illi quidem cornua habentes, sed alii impoti: nunquam enim bibunt; et oryes, quorum cornua Phoenicibus inserviunt ad fidium normas in cithara: huius ferae magnitudo est ad bovem: et bassaria, et hyaenae, et hystriches, et arietes feri, et dictyes, et thoës, et pantherae, et boryes, et crocodili tricubitales ferme terrestres, lacertis simillimi et struthi subterranei, et serpentes pusilli cum singulis cornibus. Hae sunt illic ferae, et item ceterae quae alibi, praeter cervum et aprum: cervus enim et aper prorsus in Africa nullus est. Sunt ibidem quoque tria murium genera, quorum alii bipedes vocantur, alii zegeries, Africana lingua, quod in Graeca pollet idem quod βουνοὶ, colles, alii echines. Sunt praeterea mustelae quae in silphio nascuntur, Tartessiacis simillimae. Tot habet feras Afro-

rum pastoralium regio, quantum nos maxime scrutando longissime investigare potuimus.

193. Maxyum autem Afrorum confines sunt Zauetes, quibus feminae aurigantur currus ad bellum.

194. His finitimi sunt Gyzantes, ubi magnam vim mellis apes conficiunt, sed multo plus opifices viri facere dicuntur: omnes autem minio inficiuntur, ac simiis vescuntur, quarum est affatim iis in montibus nascentium.

195. Iuxta hos aiunt Carthaginienses sitam esse insulam nomine Cyraunin, ducentorum stadiorum longitudine, arctam latitudine, in quam transiri e continente potest, oleis refertam ac vitibus; et in ea esse lacum, unde virgines indigenarum pennis volucrum pice illitis ramenta auri referunt e limo. Haec an vera sint haud equidem scio, sed quae narrantur scribo. Fuerit autem totum, ut ipse ego in Zacyntho vidi picem e lacu et aqua referri. Sunt eo loci quoque complures lacus, quorum qui maximus, septuaginta quoquoversus pedum est, altitudinis duum orgyiarum, in hunc demittunt contum, cuius in summitate myrtus alligata est, deinde efferunt myrto picem, odorem quidem bituminis habentem, sed cetera praestantiorem pice Pieria, eamque in scrobem quam iuxta lacum foderunt, et ubi multum illius aggesserunt, ita e scrobe in amphoras transfundant. Quicquid autem in lacum decidit, id sub terram means rursus apparet in mari, quod a lacu quatuor stadiis abest. Ita quae de insula adiacenti Africae dicuntur, consentanea sunt veritati.

196. Aiunt praeterea Carthaginienses, locum esse Africae extra columnas Herculis habitatum hominibus: eo quoties ipsi applicuere, se merces e navibus exponere, easque in crepidine maritimae terrae ordine collocare; tum conscensis navibus fumum excitare: fumo autem conspecto, indigenas ad mare contendere: dehinc auro pro mercibus posito, procul ab eis abscedere, tum se e navibus egressos considerare, et si dignum mercibus aurum videatur, eo sumpto abire; sin minus, conscensis iterum navibus considere: illos vero accedentes, plus auri ad id quod posuerunt addere, donec persuadeant. Neutros autem iniuste agere: neque enim illos aurum attingere, priusquam illis adaequatum fuerit ratione mercium, neque illos contingere merces priusquam ipsi sumpserint aurum.

197. Atque hi sunt Afrorum quos nominare possumus: quorum plerique neque tunc de rege Medorum

curabant quicquam, neque nunc curant. De qua regione eatenus adhuc queo dicere, a quatuor eam nationibus, quantum nos scimus, et non a pluribus incoli: quarum duae sunt indigenae, totidem non indigenae. Indigenae quidem, Afri atque Aethiopes: quorum alteri ad aquilonem, alteri ad notum Africae incolunt: advenae vero, Phoenices et Graeci.

198. Neque vero videtur mihi bonitas Africanae terrae cum bonitate Asiae atque Europae comparanda, praeter unam Cinypem, quae tellus fluvio cognominis est. Haec autem optimae cuique telluri par est proventu fructus cerealis, nec omnino similis est ceterae Africae. Est enim nigra glebis et uda fontibus, ac secura siccitatis aëris: ac ne imbrem quidem, qui sit vehementior, imbibens laeditur: nam in eo tractu Africae pluit. Ex proventibus autem fructuum terrae, totidem mensurae illic quot e Babylonica tellure percipiuntur. Bonum solum et illud est, quod Euesperitae colunt: nam quoties id eximie seipsum ubertate superat, centuplum reddit: at illud Cinypis, circiter trecenta.

199. Porro Cyrenaica regio, quae huius Africae editissima est, quam pastorales incolunt, tres in se tempestates continet admiratione dignas. Primi enim in locis propter mare fructus desiderant meti vindemiarique: his comportatis, media in locis, quae supra maritimam sunt, quos bunos appellant comportari fructus appetunt: et simul hic medius fructus collectus est, etiam is, qui in editissima plaga, maturuit et idem petit. Itaque primus fructus bibitur atque editur et simul adest ultimus. Atque hunc in modum ad octo menses perceptio fructuum Cyrenaeos occupat. Haec hactenus de his dicta sint.

200. Persae autem ad ulciscendam Pheretimam ab Aryande missi, postquam ex Aegypto Barcen pervenerunt, oppidum obsederunt, missis illico qui denunciarent dedi autores necis Arcesilai. Eorum verbis oppidani, ut qui caedis omnes participes essent, non adhibuerunt. Ita novem menses Barcen quum obsedissent Persae subterraneos cuniculos fodientes ad murum ferentes, et validos incursus fecerunt: sed cuniculos quidem faber quidam aerarius deprehendit aereo scuto, sic ratiocinans. Circumferens illud intra murum, admovebat pavimento urbis: et alia quidem quibuscunque admovebatur, erant surda: ad locum autem qui fodie-

batur, aes clypei sonabat: ubi contra fodientes Barcaei, Persas terrae fossores interemerunt: sic quidem istud adinventum est. Irruptiones autem Barcae ipsi repulsabant.

201. Verum quum multum temporis contereretur, et multi utrinque caderent, nec pauciores ex Persis, Amasis, dux peditatus, talem rem commentus est: animadvertens Barcaeos vi non posse superari, sed dolo, hoc facit; latam fossam per noctem depressit, eique fragilia superstravit ligna, et super ea humum ingessit, reddens solum cetero aequabile: simulatque illuxit, Barcaeos in colloquium evocat. Illi libenter obtemperavere, quod eis cordi erat ad pactionem venire. Pactionem autem in hanc formulam inierunt, inter sacra iurantes super illam occultam fossam: ut quoad humus ea ita se haberet, tamdiu foedus et iusiurandum ratum foret, Barcaeis, quod aequum foret se pensuros regi, et Persis, se nihil rerum novarum adversus Barcaeos esse molituros, promittentibus. Barcaei dehinc foederibus freti, et ipsi ex urbe prodibant, et ex hostibus cuicunque libebat intrandi urbem faciebant potestatem, patefactis omnibus portis. At Persae, resciso ponte, occulte in urbem proruperunt: ideo autem pontem, quem fecerant, resciderunt, ut starent iureiurando, quo cum Barcaeis pacti erant, tamdiu ratum fore foedus, quamdiu maneret terra in statu, quem tunc habebat: refracto enim ponte, non manebat iusiurandum in suo loco amplius.

202. Pheretima deditos sibi a Persis Barcaeos qui faciendae caedis principes fuerant, crucibus suffixit per ambitum murorum. Feminarum quoque decisas mammas circa muros appendit. Ceteros Barcaeos Persis ut diriperent imperavit, praeter Battiadas, et qui caedis affines non exstiterant, hisque urbem permisit Pheretima.

203. Reliquis igitur Barcaeorum in servitutem abreptis Persae redierunt, qui quum ad urbem Cyrenen redissent, Cyrenaei eos oraculi cuiusdam servandi gratia, per urbem deduxerunt: sed inter transeundum praefectus navalis exercitus Bares illis praecepit, ut urbem diriperent, recusante Amasi peditum duce, se enim adversus unam Barcen Graecam civitatem esse missos. Verum postquam transierunt, et ad collem Lycaei Iovis subsederunt, poenitentia eos subiit quod Cyrenen non occupassent: eamque iterum ingredi conati sunt,

Cyrenaeis non permittentibus. Et licet nemo contra ferret arma, tamen incessit eis metus: illiusque cursu se proripientes sexaginta circiter stadia consederunt: ubi stativa habentibus, ab Aryande nuncius advenit ad eos revocandos. Quum igitur a Cyrenaeis commeatum sibi praeberi precati essent Persae, et eum accepissent, in Aegyptum revertebantur. Quos deinde Afri excipientes, vestitus atque utensilium gratia, ut quisque relinquebatur trahebaturque, interficiebant, donec in Aegyptum perventum est.

204. Hic Persam exercitus in Africam longissime ad Euesperidas processit. Quos autem Barcaeorum cepere, eos ex Aegypto abduxere ad regem; iis Darius rex ad incolendum dedit vicum Bactrianae regionis, cui viro nomen imposuere Barcae, ad meam usque memoriam etiam incolis in Bactriana regione frequentem.

205. Verum ne ipsa quidem Pheretima facilem vitae finem habuit: nam simulatque ulta Barcaeos ex Africa in Aegyptum rediit, male periit. Vivens enim vermibus exaestuavit. Sic acres admodum ultiones hominibus sunt invidiosae apud Deos. Talis ac tanta Pheretimae Batti uxoris in Barcaeos vindicta extitit.

HERODOTI
HALICARNASSEI HISTORIARUM
LIBER QUINTUS,
QUI INSCRIBITUR
TERPSICHORE.

At Persae qui in Europa sub Megabazo relicti a Dario erant, primos ex Hellespontiis Perinthios, Dario parere recusantes, subegerunt, antea quoque a Paeonibus male affectos. Siquidem a Strymone Paeones, admoniti divino responso ut bellum Perinthiis inferrent: et si quidem a Perinthiis ex adverso considentibus provocarentur, nominatim compellantibus, eos invaderent; sin minus, ab invadendo abstinerent; ita fecerunt. Enimvero considentibus Perinthiis e regione Paeonum in suburbanis, ibi singulare certamen triplex ex provocatione commissum est, viri cum viro, equi cum equo, canis cum cane. Et quum victores duobus certaminibus Perinthii prae gaudio paeana cantarent, tunc Paeones hoc ipsum esse responsum dei coniectantes, inter se dixere, Nunc oraculum dei perfectum est, nunc nostrum est opus. Atque ita in Perinthios paeana canentes impetum fecerunt, egregieque vincentes ex illis paucos reliquere.

2. Sic ista quidem prius a Paeonibus gesta hunc in modum acciderant. Tunc autem Perinthii pro libertate strenue pugnantes, tamen multitudine a Persis et Megabazo superati sunt. Perintho capta, Megabazus per Thraciam arma circumferebat, omnes eius urbes atque omnes nationes inibi viventes pacatas regi reddens. Hoc enim illi a Dario fuerat imperatum, ut Thraciam subigeret.

3. Gens Thracum, secundum Indos, omnium hominum maxima est; quae si aut unius imperio regeretur, aut idem sentiret, ut mea fert opinio, inexpugnabilis foret, et omnium gentium multo validissima; sed quia id

nimis arduum illis est, et nulla ratione contingere potest, ideo imbecilles sunt. Habent autem multa nomina per singulas regiones singuli. Moribus tamen ac opinionibus consimilibus imbuti sunt, praeter Getas et Trausos, et qui supra Crestonaeos incolunt.

4. Ex quibus quae a Getis fiant, qui se pro immortalibus gerunt, a me commemoratum est. Trausi vero in ceteris quidem omnibus idem quod Thraces, verum circa natalia suorum atque obitus hoc factitant: Edito puero, propinqui eum circumsidentes cum ploratione prosequuntur, ob ea mala quae necesse est illi, quod vitam ingressus sit, perpeti, humanas omnes calamitates recensentes; hominem autem fato functum, per lusum atque laetitiam terrae demandant, referentes quot malis liberatus in omni sit felicitate.

5. At qui supra Crestonaeos incolunt, ista agunt: Singuli plures uxores habent: quorum ubi quis decessit, disceptatio magna fit inter uxores, acri amicorum circa hanc rem studio, quaenam dilecta fuerit a marito praecipue. Quae talis iudicata est et hunc honorem adepta, ea a viris ac mulieribus exornata, in tumulo, a suo propinquissimo mactatur, unaque cum viro humatur, ceteris uxoribus id sibi pro ingenti calamitate ducentibus: nam id eis summo dedecori datur.

6. Reliquis Thracibus hic mos est: Liberos sub conditione avehendi venundant. Virgines autem non asservant, sed quibus libuerit cum viris concumbere sinunt: at uxores asservant vehementer, easque magno aere a parentibus coëmunt. Punctam notis habere cutem, nobile iudicatur: non habere notas, ignobile. Otiosum esse, pro honestissimo habetur: agricolam vero, pro contemptissimo E bello atque rapto vivere, pulcherrimum. Atque hi quidem sunt eorum maxime insignes mores.

7. Deos autem hos solos colunt, Martem, Liberum, Dianam: sed reges, praeter populares alios etiam Mercurium, eumque e diis praecipue: per quem solum iurant, a quo progenitos quoque se aiunt.

8. Optimatibus eorum tales sunt sepulturae: Prolato triduum cadavere, mactatisque omnis generis hostiis, convivantur, illudque defletum prius, deinde combustum sepeliunt, aut aliter humo tectum. Aggestoque desuper tumulo, omnis generis agona proponunt, in quo praemia maxima ponuntur ex ratione singularis certaminis. Et sepulturae quidem Thracum huiusmodi

9. Quod autem huius regionis ad aquilonem vergit, nemo potest pro comperto referre quinam homines eam incolant: sed illam quae trans Istrum plaga est, apparet vastam esse atque infinitam. Solos tantum rescíscere possum habitantes ultra eum homines nomine Sigynnas, veste Medica utentes, eorumque equos toto corpore hirsutos esse, ad quinque digitos altitudine pilorum, eosdemque pusillos ac simos, invalidosque ad viros gestandos, sed currui iunctos esse pernicissimos: atque ob haec curribus indigenas uti. Horum fines pertinere prope ad Enetos, qui sunt in Adria. Eos quoque se colonos Medorum dicere: qui quo pacto coloni Medorum fuerint, equidem non queo cogitare: sed fiat quidlibet in longo tempore. Sigynnas Ligures qui supra Massiliam incolunt, institores appellant: Cyprii autem iacula.

10. Verum, ut Thraces aiunt, apes loca quae sunt trans Istrum obtinent, et propter illas ulterius procedi non potest. Quae quum dicunt, haud credibilia apud me dicunt, quoniam hoc animal constat frigoris intolerans esse. Sed mihi videntur loca quae septemtrionibus subsunt, ob gelu inhabitabilia esse. Hactenus de hac regione: cuius oram maritimam Megabazus Persis obedientem reddidit.

11. Darius simulatque transmisso Hellesponto Sardes venit, recordatus est beneficii in se ab Histiaeo collati, et consilii Cois Mitylenaei. Quibus arcessitis in eam urbem, obtulit electionem. Histiaeus, ut qui esset Mileti tyrannus, nullam sibi insuper tyrannidem poposcit: sed Myrcinum Edonidem, animo urbis in ea condendae. Et iste quidem hanc elegit. Coëes autem, ut qui non tyrannus sed privatus esset, optavit Mitylenes tyrannidem. Impetrato uterque quod optaverat, eo se contulit.

12. At Dario res huiuscemodi oblata est, ut illam videnti incesserit cupido mandandi Megabazo, ut Paeonas ex Europae sedibus in Asiam transportaret. Erant Pigres et Mantyes viri Paeones, qui, postquam Darius transmisit in Asiam, et ipsi Sardes venere, cupidi tyrannidis apud Paeonas potiundae, ducentes una sororem procera statura atque speciosa. Observato tempore dum in suburbano Lydorum Darius ante fores ederet, talem rem sibi agendam putarunt, sororem quam optime poterant, quum exornassent, ad aquam mittunt, vas capite tenentem, equumque e brachio trahentem, linumque nentem. Eam praetereuntem Darius attente considerabat, quod neque Persica erant illa quae ageret

mulier, neque Lydica, neque ullarum ex Asia feminarum. Haec considerans, misit quosdam suorum satellitum, iussos observare in quam rem uteretur mulier equo. Istis a tergo sequentibus, femina ubi pervenit ad flumen, equum adaquata est; et mox vas aqua implevit. His actis, eadem via regreditur, aquam capite sustinens equum e brachio trahens, ac fusum versans.

13. Admiratus Darius, tum iis quae ab exploratoribus audisset, tum iis quae ipse vidisset, adduci coram feminam iubet. Ea adducta, adolescentes fratres qui aderant, non procul rem ipsam speculantes, interroganti Dario cuias illa esset, aiunt se Paeonas esse, et illam suam sororem. Ad quos Darius, quinam homines essent Paeones, et ubi locorum habitarent, et cuius rei gratia illi venissent Sardes, percontari. Adolescentes, se vero venisse dicere ut res ei donarent. Paeoniam autem esse ad flumen Strymonem sitam, qui Strymon non procul abesset ab Hellesponto. Esse vero Paeonas coloniam Teucreorum qui e Troia fuerunt. Haec singulatim illi referebant. Interrogantique Dario nunquid omnes illic femine tam laboriosae essent, affirmare prompte id ita se habere huius enim reigratia illud fiebat.

14. Ibi Darius literas ad Megabazum dat, quem in Thracia praefectum reliquerat, iubens e sedibus suis Paeonas ad ipsum transferri cum liberis pariter et uxoribus. Eques cum hoc nuncio confestim ad Hellespontum cucurrit, Hellespontoque transmisso literas Megabazo reddidit. Quibus ille lectis, sumptis e Thracia ducibus, adversus Paeoniam exercitum ducit.

15. Paeones, cognito Persarum in se adventu, contractis copiis processere ad mare, rati illac Persas ingressuros ad dimicandum. Et Paeones quidem ad arcendum exercitus Megabazi ingressum parati erant: Persae autem certiores facti Paeonas convenisse ad intercludendum ab ora maritima ingressum, usi ducibus, quos habebant, iter ad superiora convertunt, hostemque fallentes in Paeonum oppida irrumpunt, et illa, utpote vacua, facile occupant. Quod ubi rescivere Paeones, protinus dispersi, ad sua quisque dilabuntur, seque Persis dedunt. Ita e Paeonibus Siropaeones et Paeoplae, et qui ad Prasiadem usque paludem incolunt, e suis sedibus emoti, in Asiam sunt abducti.

16. Qui vero circa Pangaeum montem incolunt, Doberasque et Agrianus et Odomantos, et ipsam Prasiadem paludem, omnino non cepit Megabazus. Ten-

tavit tamen eos etiam expugnare qui paludem incolunt, hunc in modum: In media palude stant tabulata compacta in altissimis sublicis, angustum a continente ingressum uno ponte habentia. Has sublicas tabulatis suppositas olim quidem communiter omnes cives statuerunt: mox tali lege usi statuunt, ut pro singulis uxoribus quas quisque duceret, ducunt autem singuli multas uxores, ternas defigeret sublicas, e monte sumptas, cui nomen est Orbelus. Hoc autem habitant modo: obtinent singuli super ea tabulata tugurium in quo degunt, et ianuam depactam per tabulata ferentem deorsum ad paludem. Parvulos autem liberos per pedem reste illigant, metuentes ne devolvantur. Equis autem et iumentis pisces pro pabulo praebent. Porro piscium tanta est copia, ut quoties quis ianuam depactam resupinaverit, demissam tunc sportam vacuam in paludem non multo post retrahat piscium plenam, quorum duo sunt genera, unum quod vocant Papraces, alterum Tilones.

17. Ceterum e Paeonibus ii qui capti fuere, in Asiam sunt abducti. Paeonibus subactis, Megabazus nuncios in Macedoniam, septem Persas, qui post eam erant in exercitu spectatissimi, misit ad Amyntam, petituros regi Dario terram et aquam. Est autem e palude Prasiade brevis admodum in Macedoniam via, nam in primis paludi confinis est fodina, unde post ea tempora Alexandro in singulos dies singula argenti talenta proveniebant. Post fodinam superato monte, quem vocant Dysorum, Macedonia intratur.

18. Igitur isti Persae ad Amyntam missi ubi pervenere, in conspectum Amyntae admissi regi Dario terram et aquam petunt: Amyntas et ea dedit, et homines in hospitium vocavit; instructaque splendide coena, percomiter accepit. Persae, postquam a coena ad potum pervenere, Hospes, inquiunt, Macedo, nobis Persis consuetudinis est, quoties magnam exhibuimus coenam, tunc etiam concubinas et quas virgines duximus uxores ad assidendum introducere. Proinde tu nunc, quoniam comiter excepisti nos, et liberali hospitio prosequutus es, et regi Dario et terram dans et aquam sectare consuetudinem nostram. Ad haec Amyntas, Nobis, inquit, Persae, ista consuetudo non est, sed viros a feminis semovendi: verum quandoquidem vos exigitis qui domini estis, hoc quoque vobis praestabitur. Haec loquutus Amyntas, feminas arcessit. Illae, ut vocabantur, praesto fuerunt, et e regione Persarum deinde con-

sederunt. Quae Persae conspicati formosas, Amyntam alloquuntur, negantes omnino id factum esse sapienter; satius enim futurum fuisse, ab initio non venisse feminas, quam, postquam venerant, non assidere, sed ex adverso sedere, oculorum ipsis dolores. Ita coactus Amyntas illas assidere iussit. Quae quum obtemperassent, illico Persae mamillas illarum tractare, utpote pluseulo vino temulenti, nonnemo etiam tentare suaviari.

19. Haec Amyntas intuens etsi iniquo ferebat animo, tamen prae metu Persici nominis quiescere. Verum eius filius Alexander quum adesset, atque haec aspiceret, utpote adolescens, et malorum inexpertus, nequaquam amplius tolerare posse: itaque graviter ferens, ad Amyntam inquit, Tu quidem, pater, cede aetati; abique hinc ad requiescendum, neque adesto potationi: ego vero hic remanens, omnia hospitibus quae oportet exhibebo. Amyntas eum iuvenile aliquid facturum animadvertens, ad haec respondit, Fili, inquiens, verba tua ad iram accensi paene intelligi, ideo enim me dimittis, quod aliquid novi agere in animo habes. Quare nolo te quicquam novi in hos viros perpetrare, futurum in perniciem nostram: sed tolera adspectans quae geruntur: nam quod ad discessum meum pertinet, parebo. His rogatis Amyntas abiit.

20. Tum Alexander ad Persas, Vobis, inquit, hospites, cum his feminis vel omnibus, si libet, facillime licet concumbatis: sed cum qua earum concumbere libeat indicate. Nunc enim fere tempus cubandi adventat, et vos bene potos esse temulentosque video. Proinde has feminas, si vobis cordi est, sinite ire ad lavandum; lotas denuo exspectate. Haec loquutus Alexander, approbantibus Persis, egressas feminas in muliebre remittit conclave: ac totidem viros laeves malas habentes, muliebri veste exornat, traditisque pugionibus introducit: idque faciens Persis dixit, Vos vero, Persae, a nobis in convivium estis omni munificentia accepti: quippe quibus et quae habemus, atque insuper, quae invenire potuimus, ea omnia adsunt: et quod omnium maximum est, etiam nostras ipsorum matres et sorores liberaliter vobis exhibemus: ut prorsus universo honore affectos vos esse a nobis intelligatis quo digni estis: ac denique ut regi qui vos misit, a Graeco Macedonum principe vos et mensa et lecto bene acceptos esse renuncietis. Haec loquutus Alexander, singulos Macedonas tanquam mulieres videlicet, assidere

iussit singulis Persis: qui postquam a Persis attrectari coepere, illos obtruncavere.

21. Et hac quidem morte affecti sunt Persae ipsi et eorum comitatus. Comitabantur enim eos et vehicula, et famulitia, et omnis generis multus apparatus, quae cuncta cum illis omnibus pariter intercepta sunt. Non multo deinde interiecto tempore, quum magna horum virorum a Persis inquisitio fieret, Alexander illos prudentia occupavit, tum multas pecunias dando, tum sororem suam nomine Gygaeam. His datis Bubari, viro Persae, uni ex inquisitoribus interfectorum ducum rem disiecit. Et horum quidem Persarum caedes tali astu perfecta silentio suppressa est.

22. Esse autem Graecos hos qui a Perdicea progeniti sunt, quemadmodum ipsi aiunt, et ego scio, et esse tales ostendam in iis quae postea dicam. Quinetiam et ii qui in Olympia certamini Graecorum praesunt, ita esse decreverunt. Nam quum Alexander certandi studio captus ad hoc ipsum descendisset, aemuli in cursu Graeci arcebant eum, quod negarent barbarorum id esse certamen, sed Graecorum. at ubi probavit sese Argivum, tum Graecus esse iudicatus est; tum stadium certans, proximus primo extitit. Et haec quidem ita gesta sunt.

23. Megabazus autem Paeonas ducens, abiit ad Hellespontum: illo transmisso, pervenit Sardes: quum interim Histiaeus Milesius iam muris cingeret locum, quo a se petito donatus a Dario fuerat in pretium servatae ratis, qui locus est ad flumen Strymonem nomine Myrcinus. At Megabazus, cognito quod fiebat ab Histiaeo, quum primum venit Sardes ducens Paeonas, ita est Darium alloquutus, O Rex, quidnam tu rei fecisti, dato loco ad urbem condendam in Thracia viro Graeco, eique solerti atque industrio? ubi affatim materiae est ad naves fabricandas, multumque remigum, quin et argentifodinae? multis etiam eum Graecis, tum barbaris accolentibus? qui nacti ducem, facient quicquid ille vel die vel nocte praeceperit. Nunc igitur tu virum hunc ita facientem inhibe, ne domestico bello afflicteris. Inhibe autem miti modo, arcessitum: quem quum acceperis, da operam nequando in Graeciam revertatur.

24. Haec loquutus Megabazus, facile Dario persuasit, tanquam probe prospiciens quod esset eventurum. Darius misso in Myrcinum nuncio ad Histiaeum, haec inquit, Histiaee, rex Darius haec dicit, Mihi rebusque meis melius consulentem quam te invenio neminem

quod non verbis, sed factis compertum habeo, proinde quum res magnas agere destinem, praesto mihi sis, ut eas tibi aperiam. His verbis fidem habens Histiaeus, et simul magni faciens consiliarium regis fieri, Sardes profectus est. Cui advenienti Darius, Histiaee, ego, inquit, ea de causa te arcessivi, simulatque ab Scythis redii, et tu ab oculis meis abfuisti, nullius rei desiderium brevi tam me tenuit, quam ut tu in conspectum et colloquium meum venires: quum sciam omnium possessionum pretiosissimam esse virum amicum, solertem, bene sentientem: quae tibi ambo ad res meas adesse ego testari possum. Quare tibi ego, qui fecisti probe, quod veneris, haec offero, ut omissa Mileto, et recens condita in Thracia urbe, me sequaris Susa, eadem quae ego habiturus, meusque convictor ac consiliarius futurus.

25. Haec loquutus Darius, una secum Histiaeum ducens, Susa versus iter intendit, praefecto Sardibus Atapherne, fratre suo ex eodem patre: item praefecto Otane orae maritimae; cuius patrem Sisamnem, unum e regiis iudicibus, quod iniuste ob pecuniam iudicasset, rex Cambyses quum mactavisset, pellem humanam totam detraxit, eamque in lora concidit, illisque tribunal in quo ille sedens iudicarat, intendit; ibidem eius filium Otanem pro Sisamne patre deglupto esse iudicem praecipiens, atque in memoria habere in quo tribunali sedens iudicaret.

26. Hic igitur Otanes in eo tribunali sedere iussus, tunc Megabazi in ducatu successor, Byzantios ac Calchedonios cepit: cepit item Antandrum, quae est in terra Troade: cepit quoque Lamponium. Sumpta etiam a Lesbiis classe, cepit Lemnum et Imbrum, a Pelasgis tunc adhuc utramque habitatam.

27. Sed Lemnii quoniam egregie repugnaverant, etiam aliquamdiu se defendentes, mala perpessi sunt: quorum qui superfuere, iis praefectum Persae imposuere Lycaretum, Maeandrii eius qui Sami regnavit, germanum. Hic Lycaretus quum Lemno praeesset, hac de causa mortem oppetiit, quod omnes in captivitatem redigebat, atque evertebat, alios insimulans desertores Scythicae expeditionis, alios vexatores copiarum Darii a Scythis revertentium. Haec iste in sua praefectura perpetrabat: sed non diu post malis fuit resolutus.

28. Et coeperunt iterum e Naxo atque Mileto calamitates Ionibus afferri, e Naxo quidem, quod inter insulas felicitate praestabat: e Mileto autem, quod ea tempestate prope seipsa superata maxime florebat, erat-

que Ioniae praetextum; quum aegrotavisset duabus superioribus aetatibus seditione, donec eam Parii sedaverunt, ex omnibus Graecis restitutores a Milesiis delecti.

29. Hunc autem in modum eos Parii conciliaverunt: Quum Miletum venissent viri ex illis praestantissimi, cernerentque eos domi vehementer labefactatos, dixerunt velle se regionem ipsorum peragrare. Id facientes, et omnem agrum Milesium lustrantes, ut quemque fundum acclivi regione animadvertebant bene cultum, conscribebant domini nomen. Peragrata omni regione, quum paucos huiusmodi fundos comperissent, simulatque ad urbem descenderunt: coactoque populo, decreverunt urbem ab iis esse administrandam, quorum fundos bene cultos invenissent, videri enim illos ita curaturos publica, ut sua ipsorum curavissent. Ceteros Milesios, qui prius seditionem movissent, iusserunt his dicto audientes esse. Ita Milesios Parii correxerunt.

30. Ex his tunc urbibus hoc modo coeperunt Ioniae mala contingere: Ex Naxo quidam locupletes a plebe in exilium missi, Miletum se contulerunt. Miletum autem procurabat Aristagoras, Molpagorae filius, idemque gener ac consobrinus Histiaei, Lysagorae filii, quem Darius Susis detinebat: nam Histiaeus Mileti erat tyrannus, et per id tempus Susis degebat, quum Naxii venere iam pridem Histiaei hospites. Quum autem Miletum Naxii advenere, obsecrarunt Aristagoram, ut aliquantulum copiarum ipsis praestaret ad redeundum in patriam. Ille colligens, si per eum isti in patriam redirent, fore ut Naxo imperaret, tamen praetendens Histiaei hospitium, ita eos est alloquutus, Meae quidem vires ad tantum copiarum praebendum non suppetunt, ut invitis iis qui Naxum tenent, vos possim reducere, quum audiam octo millia scutatorum Naxiis esse ac multas longas naves: tamen omne studium ad istud efficiendum adhibebo, hoc scilicet in animo versans: Est mihi amicus Artaphernes, Hystaspis filius, Darii regis frater, qui praeses est omnium in Asia litoralium, multo exercitu instructus ac multa classe: hunc ego virum opinor facturum omnia ex animi nostri sententia. His auditis Naxii tradiderunt Aristagorae negotium, ut quam optime posset conficeret, utque munera homini pollliceretur, iubent, et exercitui sumptum, utpote ipsis suppeditaturis; magnam videlicet spem habentes, quum ipsi in Naxo apparuissent, Naxios omnia quae ipsi iuberent esse facturos, atque adeo ceteros insulanos: nulla dum enim Cycladum insularum sub Dario erat.

31. Profectus Sardes Aristagoras, ait Artapherni, esse insulam Naxum, non spatiosam illam quidem, sed pulchram alioqui et bonam, Ioniaeque vicinam, multis praeterea et pecuniis et mancipiis refertam. Proinde tu adversus hanc regionem ducito exercitum, eius exules illuc reducens. Quod ubi feceris, partim magnae tibi sunt penes me in expedito pecuniae, praeter illas quae in exercitum erogabuntur: has enim aequum est nos praebere, qui ducimus; partim insulas regi acquires, ipsam Naxum et quae ex hac pendent, Parum et Andrum, ceterasque quae Cyclades nominantur. Unde progressus, haud difficulter invades Euboeam, insulam magnam ac beatam, nec inferiorem Cypro, ac facilem sane ad capiendum, centum omnino navibus ad has omnes occupandas suffecturis. Huic respondens Artaphernes, Tu vero, inquit, quae sunt ex utilitate regiae domus exponis, et probe ista suades omnia, praeterquam de numero navium: nam pro centum navibus, ducentae tibi, ineunte statim vere, in promptu erunt. Oportet tamen in his rebus auctoritatem quoque regis accedere.

32. His auditis Aristagoras laetus Miletum rediit. Artaphernes autem, misso Susa ad Darium nuncio, per quem de rebus ab Aristagora dictis eum certiorem faceret, ubi ille rem approbavit, ducentas triremes instruxit, tum Persarum, tum aliorum sociorum magna sane multitudine, praefecto eis duce Megabate, viro Persa, e familia Achaemenidarum, suo ac Darii consanguineo: cuius, si vera sunt quae dicuntur, posteriore tempore filia pacta fuit Pausaniae Lacedaemonio, Cleombroti filio, Graeciae tyrannidem affectanti. Delecto itaque duce Megabate, exercitum Artaphernes ad Aristagoram misit.

33. Megabates ex Mileto Aristagora assumpto atque Ionum exercitu cum Naxiis, navigavit simulans ire in Hellespontum. Atque ubi Chium pervenit, classem continuit apud Caucasa, ut illinc vento aquilone traiiceret in Naxum. Sed quoniam non erat fatale Naxios ea classe deleri, hoc contigit: Megabates in circumeundis navium excubiis offendit navem Myndiam a nemine custodiri: quam rem indigne ferens, iussit satellites inventum eius navis rectorem, nomine Scylacem, vincire, traiectum per thalamiam navis, id est, foramen per quod infimi remi extant: ita ut caput extaret, corpus intus esset. Aristagoras autem a quodam factus certior, hospitem suum Myndium a Megabate vinctum afflictari, Persam adit et hominem excusans reposcit:

quum nihil exoraret, ipse accedens Scylacem solvit. Id ubi rescivit Megabates, graviter admodum ferens, Aristagoram vituperavit. Cui Aristagoras, Quid tibi, inquit, est cum istis negociis? nonne te misit Artaphernes ut me sequereris, atque eo navigares quocunque ego iuberem? quid multa agis? His Aristagorae verbis indignatus Megabates, ubi nox adfuit, misit Naxum quosdam cum navi, ad rem Naxiis quae impenderet exponendam.

34. Naxii, ut qui nihil minus quam hanc adversus se classem venturam expectabant, ubi tamen id audierunt, omnia confestim ex agris in urbem comportare; et se, ut qui obsidendi essent, instruere cibariis, potu, murorum refectione. Et isti quidem tanquam instante sibi bello sese apparabant: illi vero, posteaquam e Chio in Naxum traiecerunt, iam praemunitos aggressi sunt; consumptisque quatuor in oppugnando mensibus, absumptaque a Persis quam secum attulerant pecunia, et magna etiam ab ipso Aristagora, quum plus desideraret obsidio, ubi castella Naxiis exulibus exstruxerunt, in continentem reverterunt male affecti.

35. Aristagoras ita nec quod Artapherni receperat praestare poterat, et simul angebat eum militiae impensa quae exigebatur, etiam timebat ob exercitum male affectum, praesertim Megabatae offensus, verebaturque praeterea ne regno Mileti fraudaretur: his de causis trepidus, de defectione cogitabat. Contigit enim quoque e Susis ab Histiaeo venire quendam compuncto notis capite, quibus Histiaeus Aristagoram commonefaciebat ut ab rege deficeret. Id namque volens Histiaeus Aristagorae indicare, quia alia ratione secure facere non poterat, utpote itineribus custoditis, fidelissimo e servis caput abrasum notis signavit, et hominem retinens quoad capilli renascerentur, ubi illi renati sunt, raptissime dimisit Miletum, nihil aliud mandans, nisi ut quum Miletum pervenisset, iuberet Aristagoram eraso suo capite inspicere. Ea autem stigmata significabant, ut a me superius dictum est, defectionem. Haec ideo Histiaeus faciebat quod magnam calamitatem ducebat se Susis detineri: etiam atque etiam sperans, fore ut si ab Aristagora rebellaretur, ad mare proficisceretur: sin Miletus nil novi moliretur, nullam sibi viam amplius esse ad eam revertendi intelligebat.

36. Eum quidem nuncium Histiaeus haec considerans mittebat. Aristagoras autem, quum ei haec omnia consentanea per idem tempus contigisset, retulit ad suae factionis homines tam de sua sententia quam de Histiaei

mandatis. Cui quum ceteri omnes assensissent, iubentes ut rebellaret; Hecataeus tamen historiographus initio dissuadere bellum sumi adversus regem Persarum, enumerans cunctas nationes quibus Darius imperaret, illiusque potentiam: sed quum hoc persuadere non posset, secundo loco suadere, ut classe mare occuparent, negans se videre qua alia ratione id esset eventurum: scire enim se Milesiorum vires esse imbecillas: si tamen pecuniae e templo quod est in Branchidis tollerentur, quas Croesus Lydus dedicavisset, multum spei recipere maris potiundi, atque ita pecuniam et ipsos habituros ad utendum, nec hostes eam spoliaturos. Erant autem hae ingentes pecuniae, quemadmodum a me in primo libro declaratum est. Verum ne haec quidem sententia vicit; et nihilominus placuit, ut omnino rebellaretur: utque unus eorum Myuntem navigaret ad exercitum, qui a Naxo reversus illic agebat, ut conaretur duces classiariorum comprehendere.

37. Missus autem ad hoc ipsum Iatragoras, dolo cepit Oliatum Ibanolis filium Mylassensem, et Histiaeum Tymnis Termerensem, et Coëm Erxandri filium, quem Darius Mitylene donaverat, et Aristagoram Heraclidis filium Cymaeum, compluresque alios. Ita ex professo Aristagoras defecit, omnia in Darium comminiscens: et primum quidem, verbo duntaxat tyrannidem deserens, statum reipublicae Mileti constituit, ut secum libenter Milesii deficerent. Idem dehinc quoque in reliqua Ionia fecit, tyrannorum alios eiiciens, ex aliis autem quos tyrannos ceperat e navibus iis, quae adversus Naxum una ierant, ut civitatibus gratificaretur, dedidit alium in aliam urbem tradens, ex qua quisque illorum erat.

38. Quorum Coëm Mitylenaei ut acceperunt, sine mora productum lapidibus interemerunt: Cumaei suum dimiserunt. Posteaquam autem et alii complures tyrannos dimisissent, passim per civitates eorum abdicatio facta est. Tyrannis summotis, Aristagoras Milesius singulis civitatibus constituere magistratus: quod secundum fuit, ipse Lacedaemonem triremi navigavit: opus enim erat magnam aliquam comparare societatem.

39. Spartae regnum iam non tenebat Anaxandrides, Leontis filius, quia non superstes erat, sed eius obitu filius Cleomenes regnabat; non ille quidem propter virtutis specimen, sed propter genus. Etenim Anaxandrides duxerat in matrimonium sororis suae filiam, quae etsi cordi erat, tamen ex ea liberos non

suscipiebat. Id quum ita esset, ephori ei arcessito dixerunt: Si tu tibi non prospicis, at certe nobis hoc non est despiciendum, Eurysthenis genus intercidere. Tu igitur quandoquidem uxorem habes, quae ex te non parit, ea repudiata aliam ducito, gratissimam rem in hoc Spartiatis facturus. His ille respondens, negat se earum rerum alterutram esse facturum: et hos non recte consulere ait, qui ipsum hortentur repudiata quam habeat uxore innoxia, alteram inducere: eoque se non esse pariturum.

40. Cui ephori atque seniores consilio habito retulerunt: Quoniam te cernimus amore coniugis quam habes implicitum, facito quod dicemus, ac noli repugnare, nequid de te Spartiatae gravius consulant. Coniugem quam habes ut repudies non postulamus: quaecumque ei praestas nunc, ea omnino praestato: alteram tamen ducito praeter hanc uxorem, quae sit fecunda. Haec dicentibus assensus est Anaxandrides: qui duas dehinc uxores habens, binis aedibus habitabat, haudquaquam Spartana faciens.

41. Non longo interiecto tempore, uxor quae posterius ducta est parit hunc Cleomenem, et ipsa successorem regni Spartiatarum protulit. At uxor prior quae praecedente tempore sterilis fuerat, et ipsa tunc concepit, hoc fato usa: quae quum revera praegnans esset, consanguinei tamen posterioris uxoris id audientes, ac moleste ferentes, dicere, iactari hoc ab illa animo subiiciendi sibi partum. Itaque his indigne ferentibus, exacto tempore ephori increduli feminam parientem circumsidentes observarunt: quae Dorieum peperit, moxque Leonidem, et post hunc recta Cleombrotum. Sunt etiam qui dicant Cleombrotum atque Leonidem fuisse geminos. At quae Cleomenem peperit, secundo loco in matrimonium ducta, filia Prinetadae, neptis Demarmeni, alium filium praeterea non genuit.

42. Et Cleomenes quidem mentis non compos, ut fertur, sed admodum furens, Dorieus autem inter aequales omnes primus erat, meritoque putans se ob virilitatem regno potiturum: hoc ita opinione praesumens, defuncto Anaxandrida, quum Lacedaemonii Cleomenem ex lege, quod maximus natu esset, creassent, indigne id tulit, sibi a Cleomene imperari. Igitur petita a Spartiatis plebe, coloniam duxit, neque Delphico usus oraculo, in quam terram ad urbem con-

S

dendam tenderet, neque quippiam legitime aut ex more exequutus: adeo rem indigne ferebat. In Africam autem navigans ducibus Theraeis ad Cinybem delatus, locum incoluit totius Africae pulcherrimum, iuxta flumen. Sed illinc tertio eiectus anno a Macis et Afris et Carthaginiensibus, in Peloponnesum abiit.

43. Ubi Antichares vir Eleonius ei consilium dedit ex Laii oraculis, ut Heracleam in Sicilia conderet, affirmans Erycis regionem omnem esse Heraclidarum ab ipso Hercule possessam. Hoc ille audito Delphos se contulit ad oraculum consulendum, numquid regione, ad quam proficiscebatur, potiturus esset. Pythia eam potiturum respondit. Sumptaque Dorieus classe quam et in Africam duxerat, Italiam praetervehebatur.

44. Ea tempestate, ut ferunt, Sybaritae cum Tely rege suo bellum Crotoniatis erant illaturi: id metuentes Crotoniatae Dorieum ut sibi opem ferret oravere. Hic precibus inductus, una cum illis adversus Sybarin contendit, eamque cepit. Haec Sybaritae Dorieum et qui cum illo erant fecisse aiunt: at Crotoniatae negant quempiam sibi adiutorem peregrinum fuisse belli adversus Sybaritas, praeter unum Calliam Eleum, ex familia Iamidarum vatem; et hunc a Tely Sybaritarum tyranno ad ipsos transfugisse, hoc modo, quod sacrificans de eundo adversus Crotonem, non litaret. Haec isti quidem aiunt.

45. Harum rerum utrique testimonia haec adferunt; Sybaritae quidem, partim fanum ac templum prope siccum flumen Crathin, quod Dorieum capta urbe aiunt extruxisse Minervae cognomine Crathiae: partim ipsius Dorieii necem, quam volunt esse maximum testimonium: quoniam contra vaticinia agens interemptus fuit. Si enim nihil nisi id ad quod proficiscebatur fecisset, nec transgressus esset, Erycinam regionem obtinuisset, et obtentam possedisset, non ipse cum exercitu consumptus esset. At Crotoniatae multa monstrant eximie donata Calliae Eleo in agro Crotoniensi, quae etiam ad meam usque memoriam prognati Calliae colebant: Dorieo autem et eius posteris nihil: cui tamen, si in bello Sybaritano fuisset Crotoniatis auxilio, multo plura quam Calliae fuissent donata: haec pro se utrique eorum testimonia referunt, quorum utris accedere quisque mavult, his accedat licet.

46. Navigarunt autem cum Dorieo et alii Spartiatarum, deducendae coloniae socii, Thessalus et Paraebates et Celees et Euryleon; qui cum omni classe Si-

cilium tenuerunt, superati a Phoenicibus atque Egestanis, in proelio occubuerunt, uno tantum ex hac adversa pugna superstite Euryleonte: qui collectis eorum reliquiis, occupavit Minoam Selinusiorum coloniam, Selinusiosque liberavit monarchia Pithagorae. Hunc quum sustulisset, ipse tyrannidem Selinuntis invasit. Sed ad breve tempus eam obtinuit: nam Selinusii impetu in eum facto, quum ad Iovis forensis aram confugisset, obtruncarunt.

47. Dorieo et vitae et mortis socius fuit Philippus Butacidae filius, vir Crotoniata, qui desponsa sibi filia Telyos Sybaritae, Crotone profugerat, abnegatoque matrimonio transmisit Cyrenen. Ex hac discedens, secutus est propria trireme ac proprio virorum sumptu, qui erat et Olympionices, et omnium sui temporis Graecorum pulcherrimus. Ob quam corporis speciem ab Egestanis ea, quae nemo alius reportavit: nam ad sepulchrum eius monumento Heroico extructo, sacrificiis eum placant.

48. Hunc in modum Dorieus vita functus est, qui si in animum induxisset ferre Cleomenis regnum, et in Sparta permansisset, regno fuisset Lacedaemoniorum potitus. Neque enim diu Cleomenes imperavit: ac sine liberis decessit, una duntaxat relicta filia, cui nomen Gorgo.

49. Cleomene igitur imperium tenente, Spartam venit Aristagoras Mileti tyrannus: cui etiam in sermonem venit, habens, ut Lacedaemonii aiunt, aeream tabellam, in qua totius terrae ambitus erat incisus, cunctumque mare, atque omnia flumina. Accedens igitur in coloquium Aristagoras, ita ad eum inquit: Studium meum, Cleomenes, qui huc advenerim, ne mireris: negotia enim sunt talia. Ionas pro liberis servos esse, dedecus dolorque maximus est cum nobis ipsis, tum vero inter caeteros vobis, quanto praestis Graeciae: proinde igitur, per deos Graecos, eripite Iones a servitute, consanguineos vestros: quod facile est ad praestandum: nam neque barbari sunt viri strenui, et vos in summum rei bellicae per virtutem evasistis. et pugna eorum huiusmodi est: arcus ac breve spiculum. bracasque induti veniunt ad pugnas, et in capitibus pileos: sic faciles captu sunt. Ad haec tantum bonorum est iis, qui eam incolunt continentem, quantum non est ceteris universis, tum auri, ut ab hoc incipiamus, tum argenti, tum aeris, tum variae vestis, tum iumentorum, tum municipiorum: quibus vos, si potiri libue-

rit, potiemini. Sunt quoque inter se confines, ut ego disseram: his quidem Ionibus sunt Lydi, qui terram incolunt bonam, et circumfluunt argento. Haec autem dicebat, ostendens in ambitu terrae inciso tabellae, quam ferebat. Lydis vero, dicebat Aristagoras, confines sunt hi Phryges, auroram versus, pecorum copia et fructuum ubertate omnium, quos ego novi, longe beatissimi. Phrygibus annexi sunt Cappadoces, quos nos Syrios app lamus. His proximi sunt Cilices, huius maris accolae, ubi haec Cyprus insula est sita: qui tributum annuum regi pendunt quingena talenta. His Cilicibus confines sunt hi Armenii, et ipsi re pecuaria abundantes. Armeniis his Matieni, istam regionem tenentes, quorum terrae Cissia haec adhaeret: in qua iuxta fluvium hunc Choaspem sita sunt haec Susa, ubi rex magnus domicilium habet, atque hic pecuniarum thesauri sunt. Hanc vos urbem si ceperitis, bona fide iam cum Iove de divitiis licet certetis. Verum de terra neque multa neque ita feraci, et pro exiguis finibus oportet vos reiicere bella adversus Messenios vobis pares; et Arcades et Argivos, quibus nihil est neque auri neque argenti, quarum rerum cupiditate quis inducitur ad mortem periclitandam: ad quum offeratur occasio facile potiundi tota Asia, aliudne quippiam praeoptabitis? Haec Aristagoras dicebat. Cui respondens Cleomenes, Milesie, inquit, hospes, in triduum tibi differo respondere.

50. Tunc quidem hactenus processum est: ubi vero dies responsioni praestituta adfuit, et ad locum de quo convenerant, ventum est, interrogavit Aristagoram Cleomenes, quot dierum ab Ionum mari ad regem esset iter. Aristagoras, alioqui solers, et illum praeclare decipiens, in hoc tamen lapsus est: qui quum non deberet rem ut se habebat illi aperire, volens Spartiatas in Asiam educere, dixit trium mensium esse adscensum. Cleomenes, interpellata huius quam ordiri instituerat oratione de itinere, inquit, Hospes Milesie, abscede e Sparta ante solem occidentem: nec enim rem factu facilem dicis Lacedaemoniis, volens eos trimestri itinere abducere a mari. Haec loquutus Cleomenes domum abiit.

51. Aristagoras, sumpto oleae ramo, ad domum Cleomenis se contulit, eamque ingressus ut supplex, iubebat ad se audiendum dimitti illius filiam. Stabat enim ante Cleomenem filia, cui nomen erat Gorgo, unica illius proles, eaque octo aut novem annos nata.

Cleomene iubente eum dicere quae vellet, neque reticere filiolae gratia, tunc Aristagoras incepit polliceri illi ab decem talentis, si precibus suis annueret; abnuente Cleomene, subinde adiiciendo illuc pervenit, ut quinquaginta talenta polliceretur. Ad quod puella, Pater, inquit, hospes te corrumpet, nisi hinc abis. Prudenti monito puellae delectatus Cleomenes, in aliud conclave abiit: et Aristagoras e Sparta prorsus abscessit, non facta ei amplius potestate indicandi adscensus ad regem.

52. Ea namque istius itineris ratio ita habet. Ubique sunt regii stathmi, id est, mansiones, ac diversoria pulcherrima. Iter omne per loca culta, ac tuta. Et per Lydiam quidem et Phrygiam, stathmi vel mansiones tendunt viginti, parasangae nonaginta quatuor et dimidiatus. E Phrygia excipit fluvius Halys, cui imminent portae, quas transire omnino necesse, atque ita fluvium transmittere: est et custodia magna ad illum. Transgresso in Cappadociam, et eam permetienti usque ad fines Cilicios, duodetriginta stathmi sunt, parasangae centum quatuor. In horum finibus positas duplices portas ac totidem custodias pertransis. Has transgresso, et per Ciliciam iter facienti, tres stathmi sunt, parasangae quindecim ac dimidiatus. Terminus Ciliciae et Armeniae est flumen quod navibus transitur, nomine Euphrates. In Armenia stathmi sunt diversoriorum quindecim, parasangae quinquaginta sex et dimidiatus, in quibus et custodia est. Eam fluvii qui navibus transeuntur quatuor perfluunt, quos transmittere prorsus necessarium est: primus, Tigris: secundus dehinc ac tertius eiusdem nominis, etsi non idem fluvius, nec ex eodem fluens loco: nam horum quos enumeravi primus ex Armeniis fluit, alter ex Matienis: quartus fluvius nominatur Gyndes, quem Cyrus aliquando in trecentos ac sexaginta diduxit alveos. Ex hac Armenia in terram Matienam tendentes stathmi sunt quatuor: unde in regionem Cissiam transeunti sunt undecim stathmi, parasangae vero quadraginta duo et dimidiatus, ad fluvium Choaspem, qui et ipse navibus transmittitur, supra quem urbs Susa est sita. Omnes hi stathmi, sunt centum undecim; diversoria igitur stathmorum tot sunt adscendenti Sardibus Susa.

53. Quod si inter regium recte metiamur parasangis, et parasanga valet triginta stadia, ut valet, sunt e Sardibus ad regiam quae dicitur Memnonia, tredecim millia stadiorum et quingenta; quum sint parasangae

quadringenti quinquaginta. Itaque peragrando singulis diebus centena et quinquagena stadia, consumuntur solidi nonaginta dies.

54. Hunc in modum ab Aristagora Milesio apud Cleomenem Lacedaemonium dicente trium mensium adscensum esse ad regem recte dicebatur. Quod siquis exploratius ista inquiret, hoc quoque ego indicabo: nam iter ab Epheso ad Sardes huic rationi decet apponi in computando. A Graeco igitur mari ad Susa, (haec enim urbs Memnonia vocatur.) dico esse quatuordecim millia stadiorum et quadraginta. Ex Epheso enim ad Sardes, quingenta at quadraginta stadia: atque ita tribus omnino diebus augetur spatium itineris trimestris.

55. Digressus e Sparta Aristagoras Athenas contendit, tyrannis liberatas, hoc modo: Postquam Hipparchum Pisistrati filium, Hippiae tyranni fratrem. qui in somnis visionem cladis suae evidentissimam viderat, interfecere Aristogiton et Harmodius, prisca origine Gephyraei; post haec nihilominus Athenienses, imo magis quam prius, tyrannidem quadriennio pertulerunt.

56. Visio autem insomnii Hipparchi haec erat: Nocte quae antecessit Panathenaea videbatur Hipparchus cernere virum adesse sibi procerum atque speciosum, hos versus per aenigma dicentem,

> Intoleranda leo tolera, tolerans animo aegro.
> Nemo hominum iniustus non solvit tempore poenam.

Haec simulatque dies illuxit, palam referebat ad somniorum coniectores: sed mox spreta visione, celebravit pompam, ubi mortem oppetit.

57. Gephyraei autem e quibus erant percussores Hipparchi, fuere a principio ex Eretria oriundi, ut ipsi aiunt: verum, ut ego interrogando comperio, fuere Phoenices, ex iis qui cum Cadmo in terram quae nunc vocatur Boeotia venere, atque eam incoluere, sortiti Tanagricum tractum: unde Cadmeis prius per Argivos exactis, iterum per Boeotos hi Gephyraei expulsi, Athenas diverterunt. Athenienses autem receperunt sub conditionibus, ut inter suos cives essent, multis quibusdam nec memoratu dignis abstinere iubentes.

58. Phoenices isti qui cum Cadmo advenerunt, quorum Gephyraei fuere, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas in Graeciam induxere, tum vero literas, quae apud Graecos, ut mihi videtur, antea non fuerant. Et primos quidem illas, quibus omnes etiam

Phoenices utuntur: sed progressu temporis, una cum sono mutaverunt et modulum literarum. Et quum ea tempestate in plerisque circa locis eorum accolae ex Graecis essent Iones, qui quum literas a Phoenicibus discendo accepissent, earum illi pauca commutantes, in usu habuerunt: et utentes confessi sunt, ut aequitas ferebat vocari Phoenicias, quod essent a Phoenicibus in Graeciam illatae: priscaque consuetudine libros Iones appellant diptheros, quod aliquando penuria biblorum, pellibus caprinis ovillisque utebantur: adhuc quoque ad meam usque memoriam multi barbarorum talibus in pellibus scribunt.

59. Quin ipse vidi apud Thebas Boeotias in Ismenii Apollinis templo, literas Cadmeas in tripodibus quibusdam incisas, magna ex parte consimiles Ionicis: quorum tripodum unus habet hoc epigramma:

Obtulit Amphitryon me gentis Teleboarum.

Haec fuere circa aetatem Laii, qui fuit filius Labdaci, nepos Polydori, pronepos Cadmi.

60. Alter tripus hexametro carmine ait:

Scaeus in assueto pugilum certamine victor,
Me tibi sacravit speciosum munus, Apollo.

Scaeus autem hic Hippocoontis filius fuerit: si quidem hic est qui tripodem dicavit, et non alius idem Hippocoontis filio nomen habens circa aetatem Oedipi Laio geniti.

61. Tertius tripus, et is hexametro carmine, ait:

Laodamas ipsum tripodem sua in urbe monarchus,
Hoc insigne decus tibi magne dicavit Apollo.

Sub hoc Laodamante Eteoclis filio, qui solus imperavit, eiecti sunt Cadmei ab Argivis, et se ad Encheleas contulerunt. Gephyraei autem derelicti, postea ab Boeotis recedunt Athenas: ubi sunt ab eis templa exstructa, cum quibus nihil est ceteris Atheniensibus, et cum alia separata ab aliis templis, tum quoque Cereris Achaeiae et templum et orgia.

62. Quod igitur fuerit visum Hipparchi in somnis, et unde fuerint oriundi Gephyraei, ex quibus fuere percussores Hipparchi, a me commemoratum est. Super ista oportet adhuc altius repetere sermonem, quem a principio institueram, qua ratione sint Athenienses liberati tyrannis. Hippia tyrannidem obtinente, et exacerbato Atheniensibus propter caedem Hipparchi, Alcmaeonidae, qui genere sunt Athenienses, profugi patria propter Pisistratidas, quoniam ipsis una cum cete-

ris exulibus res de redeundo tentata omni ope infeliciter cedebat, conatique Athenas reverti et liberare, vehementer spe deciderunt, Lipsydrium super Paeoniam communierunt: dehinc omnia adversus Pisistratidas comminiscendo, mercede conduxerunt ab Amphictyonibus templum Delphis aedificandum, id quod nunc est, tunc autem non erat. Enimvero quum divitiis abundarent, ac viri spectati forent iam inde a suis maioribus, exstruxerunt templum exemplari pulchrius. Inter cetera etiam quum ex lapide Porino conventum esset ut illud facerent, tamen anteriora eius Pario lapide effecerunt.

63. Ut igitur Athenienses aiunt, hi viri Delphis sedentes, Pythiam pecunia induxerunt, ut et quoties viri Spartiatae venirent, sive privato sive publico missu, petentes oraculum, proponeret ipsis liberare Athenas. Lacedaemonii autem, quum sibi idem semper diceretur, mittunt Anchimolium, Asteris filium, inter populares eximium, cum exercitu ad expellendos Athenis Pisistratidas, tametsi hospites suos in primis: antiquiora enim duxerunt quae ad deum quam quae ad homines pertinent. Hos itaque mari navibus miserunt: cum quibus Anchimolius ad Phalerum appulsus, copias exposuit. Id praesciscentes Pisistratidae auxilia ex Thessalia evocaverunt: societatem enim armorum cum Thessalis fecerant: quibus rogantibus, communi decreto Thessali miserunt mille equites cum suo rege Cinea, viro Coniaeo. Hos socios ubi habuere Pisistratidae, hoc excogitavere: planitiem campi Phalereorum detondent, eumque locum equitando habilem reddunt, atque illac equitatum in castra immittunt. Equitatus in Lacedaemonios irruens, cum alios multos, tum vero Anchimolium interemit: ceteros qui superfuere, ad naves repulit. Hunc in modum prima ex Lacedaemone classis discessit. Extantque Alopecis Atticae sepulchra Anchimolii, iuxta Herculis templum quod est in Cynosargi.

64. Postea vero Lacedaemonii maiores copias contra Athenas miserunt, non mari, sed terra, praefecto illis rege Cleomene Anaxandridae filio; cum quibus regionem Atticam invadentibus congressus primum Thessalorum equitatus, non diu post in fugam versus est, caesis supra quadraginta e suis: qui superfuere, ut erant, recta in Thessaliam rediere. Cleomenes ad urbem pergens una cum iis Atheniensibus qui liberi esse cupiebant, obsedit tyrannos intra murum Pelasgicum redactos.

65. Nec tamen omnino Pisistratidas eiecissent Lacedaemonii, quippe qui de obsidione paranda non cogitabant, et Pisistratidae cibo potuque bene instructi erant. Itaque quum paucos dies Lacedaemonii tyrannos obsedissent, Spartam abiere. Nunc tamen qui casus aliis infaustus exstitit, alius idem iste commilito fuit: nam filii Pisistratidarum, qui clam extra regionem educebantur, capti sunt. Qua ex facto omnes eorum res perturbatae sunt, et pro redimendis filiis, ad voluntatem Atheniensium transegerunt, ut intra quinque dies ex Attica excederent. Moxque in Sigeum, quod est supra Scamandrum concesserunt, quum sex et triginta annos regnassent, oriundi e Pylo atque a Neleo, ex eisdem prognati etiam Codrus ac Melanthus, qui prius adventicii, Atheniensium reges evasere. Eaque de re Hippocrates Pisistrati pater, repetita memoria Pisistrati filii Nestoris, idem nomen filio suo imposuit. Hoc Athenienses modo tyrannis liberati sunt. Qui recepta libertate, quaecunque aut fecere aut passi sunt memoratu digna, antequam Ionia defecerit a Dario, et Aristagoras Milesius Athenas oratum auxilia venerit, haec prius edisseram.

66. Athenae, quum magnae fuissent antea, tunc tamen tyrannis liberatae, exstitere maiores: in quibus duo viri praepollebant, Clisthenes, vir Alcmaeonides qui, ut fama fert, Pythiam induxerat: et Isagoras, Tisandri filius, illustri quidem familia, sed anteriora non queo affirmare: eius tamen cognati Iovi Cario immolant. Hi viri per factiones de opibus in republica contendebant. Clisthenes, quum vinceretur, populum conciliavit: et ex quatuor tribubus mox decem effecit, cognominibus Ionis filiorum, Geleontis et Aegicoris et Argadei et Hopletis, in alia commutatis quae ipse invenit, aliorum heroum indigenarum, praeterquam Aiacis: quem etsi peregrinum, tamen adiecit, utpote finitimum ac socium.

67. Qua in re videtur mihi Clisthenes hic avum suum maternum Clisthenem Sicyonis tyrannum fuisse imitatus; ille enim, quum bellum gessisset cum Argivis, tum summovit e Sicyone certamina rhapsodorum canentium poemata, ob Homeri carmina, in quibus Argos atque Argivi tantopere celebrantur; tum etiam cupivit monumentum Adrasti, Talai filii, quod erat in ipso Sicyoniorum foro, quia fuerat Argivus, exterminare: ideoque Delphos adiit ad oraculum consulendum numquid Adrastum eiiceret. Cui Pythia respondens,

inquit, Adrastam quidem Sicyonium regem esse; ipsum vero lapidatorem. Id non concedente sibi deo, Clisthenes domum reversus excogitabat modum, quo Adrastus ipse demigraret. Quem ubi excogitasse sibi visus est, misi ad Boeotias Thebas, dicens velle se reducere Sicyonem Melanippum Astaci filium: eumque tribuentibus Thebanis postquam reduxit, ei fanum in ipso prytaneio designavit, eumque locavit munitissimo in loco. Reduxit autem Clisthenes Melanippum, nam id oportet narrari, ut inimicissimum Adrasto, quod et Mecistem fratrem eius et Tydeum generum Melanippus interfecisset. Clisthenes ubi fanum extruxit, sacrificia et dies festos Melanippo dedit Adrasto ablatos, quibus illum Sicyonii magnifice admodum honorare consueverant. Etenim regio ista Polybi fuerat, qui quum sine liberis decederet, imperium Adrasto legavit nepoti suo ex filia. Hunc igitur Sicyonii cum aliis honoribus prosequebantur, insuper vero tragicis choris casus eius venerabantur, ita ut non Bacchum, sed Adrastum colerent, at Clisthenes choros quidem Libero, reliquam vero solennitatem Melanippo dicavit. Haec quidem ille in Adrastum egit.

68. Tribus autem Doriensium ne forent eaedem Sicyoniis quae Argivis, in alia nomina traiecit, ita ut Sicyonios plurimum ridiculos redderet: quippe ab hyos et onou vel sue et asino cognomina transponens, partes ultimas apposuit praeterquam in tribu sua, cui a sua arche, vel imperio, nomen indidit: Itaque hi tribules Archelai vocabantur: ceterorum autem alii Hyatae ab suibus; alii Oneatae, ab asinis: alii Choereatae ab porcis. His tribuum nominibus Sicyonii, et Clisthene imperante, et eo defuncto, ad sexaginta annos usi sunt; attamen postea inter se consilio habito transtulerunt in Hylleas, Pamphylos, Dymanatas: quartam tribum adiecerunt, ab Aegialeo Adrasti filio imponentes cognomen, ut vocarentur Aegialenses.

69. Haec Sicyonius Clisthenes fecerat. Atheniensis autem Clisthenes, quum huius Sicyonii esset ex filia nepos, et ab eo nomen haberet, et ipse, ut mihi videtur, prae contemptu Ionum, ne tribus forent eaedem ipsis et Ionibus, Clisthenem sibi cognominem imitatus est. Postquam enim populum Atheniensem antea alienatum, tunc omnem ad suam unius autoritatem redegit, tum tribuum nomina immutavit, et plures ex paucioribus fecit, decem phylarchos pro quatuor, atque etiam decem demos, id est, populos distribuit in tri-

bus: atque ita populum augebat multo ut esse superior contraria factione.

70. Vicissim superatus Isagoras, haec contra molitus fuit, ut Cleomenem Lacedaemonium advocaret, iam inde ab obsidione Pisistratidarum sibi hospitum factum: qui quidem culpabatur quod ad uxorem Isagorae ventitaret: is misso primum Athenas caduceatore, Clisthenem eiecit, et cum eo alios complures Athenienses, eos enageas insuper vocans, q. d. piaculares. Haec autem mittens dicebat admonitu Isagorae: nam Alcmaeonidae et qui horum sectam sequebantur erant affines caedis huius; ipse autem et amici eius non erant participes.

71. Hi vero Atheniensium enagees piaculo obstricti, ita nominabantur. Cylon Atheniensis vir Olympicorum ludorum victor, affectate tyrannidis compertus est. Conciliato namque aequalium sodalitio arcem occupare conatus est. Id quum efficere non potuisset, assedit simulacro deae supplex, ipse ac socii: hos illinc submoverunt quidem prytanes Naucrarorum, qui tunc Athenas regebant, data fide puniendi eos citra mortem:, sed culpa horum mox interfectorum fuit penes Alcmaeonidas. Haec ante Pisistrati aetatem gesta sunt.

72. Ubi autem Cleomenes mittens eiecit Clisthenem atque piaculares, quamvis Clisthenes ipse profugisset, nihilo secius Athenas venit, non magna cum manu, atque illinc septingentas familias Atheniensium, tanquam piaculo contaminatas, relegavit, quas ei suggerebat Isagoras. Hoc acto conabatur secundo loco senatum dissolvere, et magistratus trecentis Isagorae factionis sociis mandare: verum reluctante senatu, atque obtemperare nolente, Cleomenes Isagorasque cum suae factionis hominibus arcem occuparunt, quos ceteri Athenienses cum senatu sentientes, biduo obsederunt: tertio die accepta fide ex Attica discesserunt, quicunque Lacedaemonii ibi erant. Cleomeni autem peragebatur omen: nam ei ad occupandam arcem ascendenti, et ad deae penetrale alloquendi gratia eunti, exsurgens e sella sacerdos, antequam ille valvas reseraret, Lacedaemonie, inquit, hospes, retro redeas, neve templum introeas, non enim Doriensibus huc introire fas est. Cui Cleomenes, At ego, inquit, O mulier, Doriensis non sum, sed Achaeus. Itaque admonitu uti nolens, atque in conatu pergens, tunc quoque iterum cum Lacedaemoniis excidit. Ceteros autem ad necem vinxere Athenienses, et in iis Timesitheum Delphicum, cuius manuum opera atque

strenuitatem maximam referre possem. Atque hi quidem in vincula coniecti mortem oppetiere.

73. Athenienses autem post haec revocatis cum Clisthene septingentis familiis, quas Cleomenes exegerat, Sardes mittunt ad contrahendam cum Persis societatem. Intelligebant enim sibi cum Cleomene atque Lacedaemoniis esse bellandum. Ut Sardes venere nuncii, mandataque exposuere, percontatus est eos Artaphernes Hystaspis filius, Sardium praetor, quinam homines essent, et ubi terram incolentes, qui socii Persarum fieri orarent. Ubi id ex nunciis audivit, haec eis in breve contracta obtulit, Si regi Dario terram Athenienses darent et aquam, se contracturum cum eis societatem: sin minus, illos abscedere praecepit. Nuncii inter se colloquati, quod societatem facere cuperent, daturos se esse dixerunt: quo nomine, ubi reversi sunt domum, vehementer accusati sunt.

74. Cleomenes intelligens ab Atheniensibus se et verbis et factis laedi, ex omni Peloponneso copias coëgit, dissimulans quem ad finem, quum haberent in animo tum populum Atheniensem ulcisci, tum Isagoram constituere tyrannum, qui una cum eo ex arce decesserat. Comparato exercitu ingenti, ipse Eleusina invasit, et ex composito Boeoti Oenoën occuparunt et Hysias, ultimos Atticae populos: et ab altera parte Chalcidenses orae Atticae loca populabantur. Athenienses etsi ancipiti bello districti, Boeotorum et Chalcidensium ultione dilata, arma contra Peloponnenses in Eleusine agentes ferunt.

75. Dumque ambo exercitus conserturi proelium essent, Corinthii primi omnium secum reputantes iniuste a se agi, averterunt se, atque abscesserunt: secundum hos Demaratus Aristonis filius, qui et ipse erat rex Spartiatarum, et e Lacedaemone copias simul eduxerat, nec a Cleomene superiori tempore dissenserat. Ob quam regum dissensionem lex apud Spartam lata est non licere utrique regi sequi, exercitu progresso: nam prius sequebantur ambo: et altero horum vacante ab militia, alterum quoque e Tyndaridis relinqui; nam et isti antehac ab eis evocati ambo comitabantur. Porro tunc ceteri socii, qui erant in Eleusine, cernentes non convenire inter reges, et Corinthios aciem deseruisse, etiam ipsi dilapsi abierunt.

76. Quartum istud Dorienses in Atticam profecti sunt, bis ad bellum ingressi, bis ob Atheniensium multitudinis commodum: Primo, quum et Megara colo-

niam deduxerunt, haec expeditio recte vocetur sub Codro Athenarum rege: iterum ac tertio, quum ad expellendos Pisistratidas ex Sparta ventum est: quarta vice, quum Cleomenes Peloponnenses ducens, Eleusina invasit. Ita quarto tunc Dorienses in Athenas irruerunt.

77. Dilapso igitur inglorie hoc exercitu, ibi Athenienses volentes ultum ire iniurias, primam expeditionem fecerunt adversus Chalcidenses: quibus Boeoti ad Euripum iere suppetias. His conspectis Athenienses putarunt sibi cum eis prius quam cum Chalcidensibus pugnam conserendam: itaque congressi cum illis egregie superant, permultisque eorum caesis, septingentos vivos capiunt. Eodem die transgressi in Euboeam, cum Chalcidensibus conflixere: quibus etiam victis, quatuor milia colonorum in praediis hippobotarum reliquerunt: hippobotae autem apud Chalcidenses vocabantur locupletes. Horum etiam quoscunque vivos ceperant, una cum Boeotorum captivis vinctos compedibus in carcerem coniecerunt; quos aliquanto post binis mulctatos minis solverunt: eorumque vincula quibus aligati fuerant, in arce suspenderunt, quae ad meam usque memoriam extabant, pendentia e muris a Medo ambustis, e regione penetralis ad occasum spectantis. Decimas quoque pretii redemptionis consecrarunt, facta aerea quadriga, quae ad sinistram manum intranti statim in propylaea arcis stabat, cum hac inscriptione,

Attica perdomiti sacri sub marte iuventus
Boeotum populis Chalcidicaque manu,
Damna rependerunt vinclis et carcere caeco,
Quorum hac de decima stant tibi Pallas equae.

78. Et Athenienses quidem augescebant. Iuris autem aequabilitatem esse rem seriam, non ex uno tantum, sed undique datur intelligi; siquidem Athenienses etiam quamdiu tyrannis subtecti fuerunt, nullis finitimorum in bello praestantiores erant; liberati vero tyrannis, multo primi extitere. Unde liquet, eos, dum continebantur, segnis propositi fuisse, tanquam domino laborantes: at libertate parta, sibi ipsi quisque rem gerere properabat. Athenienses ita agebant.

79. Thebani autem post haec ulciscendi illos cupidi, sciscitatum ad deum miserunt. Quibus respondens Pythia, negabat per sese eos posse illos ulcisci, sed in polyphemum referentes iubebat ut rogarent proximos. Digressis igitur consultoribus responsum vulga-

verunt convocato populo Thebani. Ut vero sciscitati sunt dicentibus illis a proximis peti debere, auditis his dicebant; Numquid non proxime nos incolunt Tanagraei Coronaeique et Thespienses, qui nostri assidue commilitones, alacri atque concordi in partes animo bella nobiscum tolerant? quid hos rogari oportet? sed potius non hoc est oraculum.

80. Haec illis sermocinantibus, quidam re audita, inquit, Ego quid nobis significare velit oraculum videor mihi intelligere. Asopi duae filiae fuisse traduntur, Thebe et Aegian; quae quoniam sorores sunt, opinor deum respondere nobis, ut Aeginetas rogemus vicem nostram ulcisci. Thebani, quoniam nulla quam haec visa est excogitari posse potior sententia, protinus misere ad Aeginetas orandos auxilia, tanquam proximos, ex dei oraculo. Illi petentibus his auxilia dixerunt se mittere cum eis Aeacidas.

81. Societate Aeacidarum freti Thebani, quum lacessissent Athenienses, aspere ab iisdem excepti, iterum auxilia virorum remissis Aeacidis oraverunt. Quorum prece moti Aeginetae, tum magnitudine opum inflati, tum pristinae inimicitiae quam gessere cum Atheniensibus memores, bellum illis haud indictum intulerunt. Nam quum Athenienses vertissent omnes vires adversus Boeotos, ipsi longis navibus in Atticam traiicientes, tum Phalerum diripuerunt, tum multos populos in cetera ora maritima, magnam ex hac re calamitatem Atheniensibus afferentes.

82. Inimicitia autem, quae Aeginetas stimulabat adversus Athenienses, ab initio extitit talis: Epidaurii, quum sua ipsis terra nihil fructuum efferret, de hac calamitate Delphicum consuluere oraculum. Quos Pythia iussit Damiae et Auxesiae simulacra erigere; et postquam erexissent, melius actum iri. Sciscitantibus igitur Epidauriis utrum ex aere facerent illa an ex lapide, Pythia ex neutro permisit fieri, sed e ligno mitis oleae. Rogabantur ergo ab Epidauriis Athenienses ut sibi permitterent oleam caedere, oleas illus rati sacratissimas esse. Fertur etiam nusquam gentium nisi Athenis illa tempestate oleas fuisse. Athenienses se vero dixerunt concessuros, hac tamen lege, si quotannis illi sacra Minervae a cis Praesidi et Erechtheo afferrent. Accepta conditioni Epidaurii quae rogabant impetraverunt, et simulacra ex his oleis fabricata statuerunt: terraque sua fructum eis ferente, quod convenerat Atheniensibus persolvebant.

83. Eo, adhuc tempore atque superiori Aeginetae, Epidauriis parebant, tum in aliis, tum vero in litibus, quas Aeginetae inter se vel actores, vel rei, illuc transeuntes agebant: verum ex eo tempore fabricatis navibus, ad contumaciam versi, ab Epidauriis desciverunt: et iam potentiores vastabant eos, quippe maris imperio potiti, tum quoque simulacra ista Damiae et Auxesiae surripuerunt: eaque asportata, in regionis suae mediterraneo loco statuerunt, cui nomen est Oeae, viginti ferme procul ab urbe stadiis. Hoc in loco illis erectis supplicabant sacrificiis atque iocabundis choris mulierum, denis viris utrique daemonum assignatis, qui choris praeessent. Chori autem neminem virum iocis lacessebant, sed indigenas feminas: quae ceremoniae apud ipsos quoque Epidaurios fuerant.

84. Sunt illis etiam arcana sacra. Surreptis statuis, Epidaurii quod fuerant pacti Atheniensibus non solvebant: missis autem nunciis, quum illis Athenienses succenserent, reddidere rationem cur iniuria non essent: se enim quamdiu apud se statuas habuissent, quod conventum erat exsolvisse, eisdem iam viduatos iure non debere exsolvere, sed Aeginetas, qui illas haberent; a quibus id exigi iubebant. Hoc responso accepto, ad eas repetendas Aeginam Athenienses misere. Aeginetae negare quicquam negotii esse sibi cum Atheniensibus.

85. Athenienses igitur aiunt, post repetitionem illam, triremi una huc navigavisse cives illos, qui ab republica missi Aeginam quum venerunt, simulacra illa, tanquam e suis lignis facta, conati sint suis sedibus emoliri ut asportarent: quumque eo pacto auferre nequirent, circumdatis funibus trahere tentasse. Sed dum trahunt, tonitrum et cum tonitru terrae motum extitisse: eaque de re illos remiges, qui trahebant simulacra, in amentiam esse conversos: et ex hoc morbo sese tanquam hostes mutuo trucidasse, donec unus ex omnibus relictus est, qui ad Phalerum se recepit.

86. Athenienses quidem ita rem gestam esse memorant: Aeginetae vero non illos una navi venisse, facile enim se unam navim, atque etiam paulo plures una, etiam si sibi nullae fuissent naves, fuisse propulsaturos, sed multis navibus in ipsorum terram invasisse, se vero cessisse, nec pugna navali contendisse. Qui tamen planum facere nequeunt, an quia impares se esse ad pugnam navalem agnoscerent, cesserint, an volentes facere quod etiam fecerunt. Athenienses certe, quod nulli propugnatores obstarent, egressos e navibus,

ad simulacra se convertisse: et quum ea e suis basibus amoliri nequirent circumdatis restibus trahere ita conatos, donec illic ambo simulacra dum traherentur, fecere rem eandem: sed apud me fide carentem, alicui forsan alteri credibilem: aiunt enim illa procubuisse sibi in genua, atque ex eo tempore semper in hoc gestu permansisse. Et haec quidem Athenienses fecisse: se vero quod audirent sibi bellum ab Atheniensibus illatum iri, praeparasse Argivos; et quum Athenienses in Aeginam exscendissent, Argivos illis adfuisse auxilio, eosque, quum latuissent hostem in traiiciendo ex Epidauro in insulam, in Athenienses, qui nihil praescissent, a navibus disclusos irruisse: et interea tonitrum ipsis terraeque motum extitisse.

87. Haec ab Argivis Aeginetisque commemorantur. Athenienses quoque confitentur unum omnino e suis incolumem in Atticam revertisse, quem tamen Argivi aiunt superstitem fuisse ipsis Atticum exercitum profligantibus; Athenienses autem daemonio: nihilo secius ne hunc quidem incolumem mansisse, sed periisse, hunc in modum: Quum Athenas se recepisset, cladem que renunciasset, uxores eorum qui adversus Aeginam militatum profecti fuerant, indigne ferentes unum istum ex omnibus esse reducem, circumfusas hominem prehendisse, ac fibulis vestimentorum pupugisse, percontantes singulas ubi suus vir esset, atque hoc modo hunc fuisse confectum. Idque factum mulierum visum esse Atheniensibus ipsa clade tristius: in quas quum alia ratione animadvertere non possent, vestem illarum in Ionicam mutaverunt: nam antea Doricam vestem gerebant Atheniensium feminae, simillimam Corinthiae. Eam itaque mutaverunt in lineam, ne fibulis uterentur.

88. Quanquam si ex vero sermocinemur, non Ionica haec olim vestis fuit, sed Carica: quoniam omnis prisca vestis feminarum Graecanica eadem erat, quam nunc Doricam appellamus. Argivos quod attinet, et Aeginetas, insuper adhuc id etiam fecisse, ut pro lege haberetur apud illorum utrosque, fibulas facere sesquialteras, quam erat mensura quae tunc obtinebat, et has praecipue ab feminis in eorum numinum templis consecrari: Atticum vero neque aliud quicquam ad templum offerre, ne urceum quidem, sed lege iuberi ex aliis gentilibus in posterum ibidem potare. Eoque contentionis processere Argivorum atque Aeginetarum mulieres cum Atticis, ut inde ad meam usque aetatem fibulas gestaverint quam antea grandiores.

89. Inimicitiae principium Atheniensibus in Aegine-tas ortum, hoc prout commemoratum est, exstitit. Cu-jus rei circa statuas gestae memoriam retinentes, liben-ter Thebanorum rogatu auxilium tulère Boeotis Aegi-netae. Qui quum maritima Atticae vastarent, Athenien-sesque adversus Aeginetas expeditionem inirent, advenit e Delphis oraculum, ut ab ea Aeginetarum iniuria tri-ginta annos se compescerent; tricesimo primo anno, quum fanum Aeaco dicassent, bellum cum Aeginetis inchoarent, ad votum eis re successura. Sin bellum continuo inferrent, fore ut interea multa ipsi detrimenta acciperent, sed et multa inferrent; sed ad extremum subigerent. Hoc oraculum ad se Athenienses allatum ubi audiere, Aeaco quidem fanum dicaverunt, id quod nunc in foro exstructum visitur, sed triginta annos non abstinuerunt, quod videlicet audissent fieri debere, ut multa paterentur indigna ab Aeginetis, si bello absi-nerent.

90. His tamen ad ulciscendum se parantibus, Lace-daemonium factum extitit impedimento. Siquidem La-cedaemonii, audito commento Alcmaeonidarum erga Py-thiam, et quae egisset Pythia in ipsos atque Pisistrati-das, duplicem se iacturam fecisse animadvertebant: quod et suos hospites e patria eiecissent, et nulla sibi ex hoc facto gratia ab Atheniensibus haberetur. Praeterea ora-culis urgebantur, denunciantibus multa ipsis et atrocia ex Atheniensibus futura, quorum antehac ignari fuis-sent, tunc autem Cleomene Spartam ferente didicerant. Etenim Cleomenes potitus est ex arce Atheniensium ora-culis, quae a Pisistratidis prius possessa, ab iisdem ex-pulsis relicta fuerant in templo, et relicta Cleomenes sumpserat.

91. Ea Lacedaemonii oracula ubi per Cleomenem accepere, et videbant Athenienses augescentes, nec ad ipsis obtemperandum ullo modo esse animatos: prae-terea animadvertentes genus Atticum quod sub tyran-nide mansurum esset infirmum, et parendo promptum, nunc parta libertate vel suo par exstiturum: haec sin-gula considerantes, arcessiverunt Hippiam Pisistrati a Sigeo Hellesponti, quo Pisistratidae confugerant. Post-quam Hippias arcessitus adfuit, accitis etiam aliorum sociorum nunciis, ita Spartiatae apud eos verba facere; Agnoscimus, viri socii, nos haud recte egisse, qui emen-titis oraculis inducti, viros qui erant nostri in primis hospites, quique receperant praebere nobis Athenas ob-

noxias, illos e patria eiecimus, et post id peractum ingrato populo urbem tradidimus: qui posteaquam per nos liberatus caput erexit, nos pariter ac regem nostrum per dedecus eiecit; inflatusque superbe, famam auget, ut praecipue quidem Boeoti illorum finitimi atque Chalcidenses didicerunt, fortassis et alius quis, si peccaverit, idem discet. Quare, quoniam in illis agendis peccavimus, nunc dabimus operam ut malo una vobiscum medentes, illos puniamus. Hac enim de causa et Hippiam et vos e sua quosque urbe arcessivimus, ut publico consensu et communi exercitu introducentes hunc Athenas, reddamus quae abstulimus. Haec Spartiatae.

92. Quae quum alii plerique socii non probarent, attamen silentium tenerent: Corinthius Sosicles haec verba fecit: Nunc profecto et hoc coelum infra terram, ac terra sublimis supra coelum erit, hominesque domicilium in mari habebunt, et pisces, quod antea homines: quando vos, Lacedaemonii, rebus publicis eversis tyrannides in urbes introducere conabimini: quibus nihil est in rebus humanis neque iniustius, neque magis pollutum caedibus. Quod si bonum vobis videtur civitates subesse tyrannidi, ipsi vobis primi tyrannum constituite; atque ita ut aliis constituatis operam date. At nunc ipsi tyrannorum expertes et ne id in Sparta, contingat vehementissime caventes, hoc in socios studetis efficere; qui si essetis, ut nos sumus, experti, meliorem quam nunc facitis, de hac re sententiam conferre possetis. Nam iste apud Corinthios civitatis status fuit. Erat paucorum regimen: et ii qui Bacchiadae vocabantur, urbem gubernabant; ultro citroque inter eos matrimonia contrahebantur. Horum uni nomine Amphioni nata est filia clauda, cui nomen erat Labda: quam quoniam nemo Bacchiadarum ducere volebat, duxit Eetion Echecratis filius, e Petra quidem populo, sed ab prima origine Lapitha ac Caenides. Qui quum neque ex hac muliere, neque ex alia tolleret liberos, profectus est Delphos ad consulendum de prole: cum introeuntem statim Pythia his versibus compellavit,

Eetion, te nemo (licet sis tantus) honorat,
Conceptum pariet saxum grave Labda, monarchos
Quod cadet in cives, emendabitque Corinthum.

Hoc oraculum Eetioni redditum, enunciatur casu Bacchiadis, quibus prius de Corintho editum oraculum

erat obscurum et ignotum, eodem respiciens, quo etiam istud Eetionis et in haec verba,

Concipit in petris aquila, enixura leonem
Robustum, saevum, genua et qui multa resolvet.
Haec bene nunc animis versate Corinthia proles,
Quae colis ad pulchram Pirenem, altumque Corinthum.

Id quidem antea Bacchiadis datum non erat intellectum; tunc autem Eetioni datum quum percepissent, statim etiam istud prius intellexerunt, quippe concinens oraculo Eetionis. Hoc quum animadvertissent, silentio suppressere, animo futurum Eetionis filium extinguendi. Et ut primum mulier enixa est, miserunt e suo numero decem viros ad populum, in quo habitabat Eetion, qui puerulum extinguerent. Isti, postquam ad Petram pervenere, et ad Eetionis atrium accessere, puerum petunt. Labda cur venissent ignara, paternaeque amicitiae officio venisse eos rata, affert filium, et in unius eorum manum porrigit: erat autem inter viam illis constitutum, ut qui primus eorum puerulum cepisset, is humi illum allideret. Verum divina quadam fortuna puerulus ei viro cui a Labda traditus erat, arrisit, quam rem illi consideranti miseratio subiit eius occidendi. Sic misertus alteri tradidit, et ille tertio, atque ita deinceps per manus traditus infans, per omnes decem transiit? ac nemine interimere volente, rursus matri est redditus. Illi egressi atque ante ianuam stantes, alios alium incusabant castigabantque, sed primum praecipue, qui eum nactus ex convento non fecisset; donec interiecto temporis spatio placitum est, ut rursus introgressi omnes fierent participes caedis. Sed erat necesse ex Eetionis prole germinari Corintho perniciem: nam Labda stans ad easdem fores, haec omnia exaudiebat: eoque metuens ne illi immutata voluntate acceptum rursus puerulum interimerent, asportavit, et occuluit in eo, ubi minime cogitari poterat, nempe in mensura frumentaria: quum sciret, illos, si redirent ad investigandum, scrutaturos omnia: ut et contigit: nam introgressis et scrutantibus ubi non apparuit, visum est eis abeundum, atque iis, a quibus missi essent, dicendum se cuncta quae illi mandassent perpetrasse: atque ita reversi dixerunt. Post haec Eetionis filio crescenti impositum est nomen Cypselo, ob periculum hoc quod devitaverat in cypsela, vel mensura frumentaria. Ubi autem in virilem adolevit aetatem, consulenti oraculum Del-

phis anceps redditum, quo fretus Corinthum aggressus occupavit: oraculum autem hoc erat.

> Vir locuples nostras hic qui descendit ad aedes,
> Cypselus Eetides, clarae rex ille Corinthi;
> Ipse, et eo nati, sed nulli deinde nepotes.

Et oraculum quidem hoc erat. Cypselus vero tyrannide potitus, talis extitit, ut Corinthiorum multos in exilium egerit, multos pecunia, longe plurimus anima privaverit. Cui quum triginta regnasset annos, bene vita defuncto successit in tyrannide filius Periander, qui inter initia mitius agebat quam pater: sed ubi per nuncios consuetudinem habuit cum Thrasybulo Mileti tyranno, multo magis quam pater cruentus effectus est. Misso enim legato, Thrasybulum interrogavit qua ratione ipse rebus tutius constitutis, civitatem pulcherrime gubernaret. Thrasybulus, eo qui a Periandro missus erat, extra oppidum educto, ingressus est arvum quoddam satum, et una cum eo segetem interambulans, sciscitabatur et repetebat hominem de suo adventu e Corintho, detruncans identidem ut quamque videbat spicam supra alias extantem, donec segetem formosissimam atque profundissimam hunc in modum corrupit: praediumque illud pervagatus, nullo verbo reddito legatum remisit. Reversus Corinthum legatus, avido praeceptionis audiendae Periandro, negavit sibi quippiam respondisse Thrasybulum, et mirari quod se ad virum vesanum Periander misisset, et sua ipsius destruentem: exponitque quae ex Thrasybulo vidisset. Periander id quod a Thrasybulo actum erat intelligens, atque interpretans sibi ab illo praeceptum ut eminentissimos quosque popularium interimeret, tunc vero omnem in cives malitiam exercuit, interficiendo ac persequendo consummans id, quod a Cypselo fuerat omissum. Atque adeo die uno universas mulieres Corinthias exuit, propter Melissam uxorem suam: nam quum ad Thesprotos ad flumen Acherontem misisset nuncios scicitatum necyomantium de hospitis deposito, Melissa apparens negavit se indicaturam aut dicturam ubinam depositum esset collocatum; algere enim se et nudam esse: nihil enim sibi prodesse vestes cum quibus sepulta fuisset, utpote non concrematas. Cuius rei, quod vera loqueretur, testimonio foret, quod Periander in frigidum furnum panes ingressisset. Haec Periandro renunciata, ob illud argumentum fidem fecere, quod ipse cum Melissa iam cadavere coierat. Itaque statim post id nuncium

per praeconium edixit, ut omnes Corinthiorum mulieres ad Iunonis templum prodirent. Eo, tanquam ad festum, quam ornatissime poterant quum issent mulieres istae, positis ciam satellitibus, omnes sine discrimine, ingenuas pariter et ancillas, exuit atque ad foveam comportatas vestes Melissam precando cremavit. Haec ubi fecit, et nuncios iterum eosdem misit, tunc ei Melissae idolum exposuit, ubinam depositum hospitis collocasset. Huiusmodi quidem vobis, Lacedaemonii, est tyrannis, et talium operam, eoque nos Corinthios cum magna admiratio capit, simulatque vidimus vos arcessere Hippiam, tum vero maior nunc dum ista dicitis. Propterea deos Graecorum invocantes obtestamur vos, ne velitis tyrannides in civitatibus constituere; quod si non omittitis, sed tentabitis praeter aequum reducere Hippiam, scitote Corinthios vobis non assensuros.

93. Haec quidem Sosicles ab Corintho legatus dixit; quem excipiens Hippias eosdem illi deos invocando dixit: Certe Corinthios maxime omnium desideraturos Pisistratidas, quum ipsis venissent dies statuti vexationibus, quas ab Atheniensibus passuri forent. Hactenus respondit Hippias, quoniam oracula ipse accuratissime nota haberet. Ceteri socii, qui antea silentium tenuerant, audito Sosicle statuente liberum, pro se quisque vocem rumpentes, accedere sententiae Corinthii, obtestarique Lacedaemonios, nequid agerent novi circa Graecam civitatem. Ita ab ea re cessatum est.

94. Hippias illinc profectus, offerente sibi Amynta Macedone Anthemuntem, et Thessalis Iolcon, neutrum accipere voluit, sed rursus ad Sigeum concessit, quod armis Pissitratus Mitylenaeis eripuerat. Eoque capto, tyrannum ibi constituerat Hegesistratum, filium nothum ex muliere Argina, qui tamen, quae a Pisistrato acceperat, non tenuit sine proeliis: nam diu inter Mitylaenaeos ac Athenienses pugnatum est, hos ex oppido Achilleo, illos e Sigeo prodeuntes: hos repetentes regionem, illos non consentientes, et refellentes hac ratione, quod dicerent nihilo magis iuris esse Aeolentibus in agrum Iliensem, quam sibi ac ceteris Graecis qui Menelao in raptu Helenes operam navassent.

95. His assidue bellantibus, cum alia in praeliis gesta sunt, tum illud, quod Alcaeus poëta in proelio quod collatis signis gerebatur, vincentibus Atheniensibus, ipse quidem fuga se mandans evasit: sed armis eius potiti sunt Athenienses, quae apud templum Minervae in Sigeo suspenderunt. Hanc rem Alcaeus carmine conscri-

bens, Mitylenen misit, indicans Melanippo viro sodali suam calamitatem. Mitylenaeos tamen atque Athenienses reduxit in gratiam Periander Cypseli filius, qui delectus arbiter, ita eos reconciliavit, ut utrique ea colerent quae haberent. Atque ita Sigeum factum est Atheniensium.

96. Hippias, posteaquam Lacedaemone in Asiam abiit, cuncta agitabat, insimulando Athenienses apud Artaphernem, atque omnem operam dando, ut Athenae in illius ac Darii venirent potestatem. Quae agitare Hippiam quum accepissent Athenienses, mittunt Sardes nuncios non passuros, ut Persae fidem habeant exulibus Atheniensium. Sed Artaphernes iubere Athenienses si salvi esse vellent, rursus Hippiam recipere: Athenienses eam conditionem recusare, et malle professi esse Persarum hostes.

97. Dum ita animati sunt atque apud Persas insimulantur, hoc interim tempore Milesius Aristagoras a Cleomene Lacedaemonio reiectus e Sparta Athenas venit: nam ea civitas inter ceteras praepollebat: ubi ad concionem venit Aristagoras, eadem quae in Sparta commemoravit de commodis quae essent in Asia, deque Persico bello, quod neque scutum neque hastam in usu haberent, facilesque essent ad subiugandum. Haec ille referens, ea quoque addebat, Milesios esse Atheniensium colonos, quos aequum esset ab eis, liberari qui multum pollerent. Denique nihil non pollicebatur, omnibus precibus obsecrans, donec eos induxit. Facilius enim ei visum est multos decipere quam unum; qui si Cleomenem solum fallere non potuit, id tamen in triginta millibus Atheniensium effecit. Itaque Athenienses persuasi, decrevere viginti naves Ionibus auxilio mittendas, Melanthio illis praefecto, viro inter populares per omnia spectato. Hae naves initium malorum extiterunt Graecis pariter et barbaris.

98. Ante harum egressum Aristagoras revectus Miletum, excogitavit consilium, quod in nullam Ionum utilitatem erat redundaturum, quamquam ne ille quidem hac ratione faciebat, sed ut regi Dario molestiam afferret. Etenim misit quendam in Phrygiam ad Paeones a flumine Strymone in captivitatem abductos per Megabazum, incolentes locum atque vicum seorsum, ad quos ut pervenit nuncius, ita verba fecit, Viri Paeones, misit me Aristagoras Mileti tyrannus ad ostendendam vobis, si obtemperare velitis, salutem. Nunc enim cuncta Ionia ab rege defecit, vobisque praestat, ut salvi sede-

sis ad patriam vestram; per vos quidem solos usque ad mare, deinceps uobis iam curae erit. His auditis Paeones et magnam sane voluptatem acceperunt, et sumptis liberis atque uxoribus, ad mare fuga se proripuerunt: nonnullis eorum prae metu illic remanentibus. Ubi ad mare pervenere, illinc in Chium transmisere: quo postquam applicuere, eorum vestigia insequutus adfuit ingens equitatus Persarum: et quia eos assequi non potuit, misit in Chium ad illos ut eodem redirent. Cuius oratione repudiata, a Chiis sunt ex insula ista in Lesbum transportati, mox a Lesbiis in Doriscum. unde terrestri itinere se in Paeoniam receperunt.

99. Post haec ad Aristagoram Athenienses viginti cum navibus venere, ducentes una quinque triremes Eretriensium, qui non Atheniensium gratia militabant, sed ipsorum Milesiorum, vicem debitam illis reddentes. Nam Milesii antehac pro Eretriensibus in bello contra Chalcidenses praestiterant auxilia; quum Samii contra Eretrienses atque Milesios Chalcidensibus opem tulissent. Aristagoras, ubi isti atque ali socii adfuere, expeditionem fecit adversus Sardes; non tamen ipse proficiscens, sed Mileti remanens, praefectis aliis ducibus Milesiorum, fratre suo Charopino, et ceterorum civium Hermophanto.

100. Haec classe Iones ubi pervenere Ephesum, relictis navibus apud Coressum agri Ephesii; ipsi cum ingenti manu, sumptis viae ducibus Ephesii, ad superiora tendebant, secundum flumen Caystrum tenentes iter. Illinc superato Tmolo Sardes adveniunt, easque obsistente nemine capiunt, omnique eius urbis, praeter arcem, quam Artaphernes ipse tutabatur, habens non exiguas virorum copias.

101. Quod autem impedivit, quominus qui ceperant urbem, diriperent, hoc fuit. Erant Sardibus domus, plaeraeque arundinea: quae autem istarum etiam latericiae erant, tamen ex arundinibus tabulata habebant: harum unam quidam e militibus quum incendisset, repente ignis ab domo in domum progressus totam urbem absumpsit. Ardente urbe, Lydi et Persarum quicunque in urbe erant, undique circumventi, utpote vastante iam extrema incendio, nec habentes regressum, ex urbe in forum confluunt, et ad amnem Pactolum, qui medium forum interfluens, ramenta auri e Tmolo illis deferens, medium forum interfluit, ac deinde flumini Hermo immiscetur, et ille

mari. Ad hunc Pactolum et in forum conglobati Lydi pariter et Persae sese defendere adigebantur. Iones videntes hostium alios sese tutantes, alios magna multitudine se obviam ferentes, metu perculsi, ad montem, qui dicitur Tmolus, sese recipiunt, atque illinc noctu ad naves discedunt.

102. Crematis Sardibus, deflagravit una templum Cybebes indigenae deae: cuius praetextu postea Persae templa in Graecis cremaverunt. Hoc ubi Persae qui intra Halyn domicilia habebant, resciverunt, tunc vero ad ferendam Lydis opem convenerunt: nec adepti Sardibus Iones iam illinc profectos, eadem via insequuti, comperiunt Ephesi: congressique cum illis ex adverso instructis in fugam eos vertunt, multosque occidunt, et in his cum alios illustres viros, tum Eualcidem Eretriensium ducem, qui in certaminibus, quorum praemia erant coronae, illas adeptus fuerat, et a Simonide Ceo maiorem in modum celebratus. Ex ea pugna qui evasere, per urbes fuere dissipati.

103. Et tunc quidem ita dimicatum est. Athenienses autem, post haec desertis prorsus Ionibus, etsi per nuncios Aristagoras magnopere rogaret, negaverunt se auxilio futuros. Quorum societate fraudati Iones, tamen quoniam ista adversus Darium egerant, nihilo segnius bellum adversus regem parabant: Hellespontumque invecti, Byzantium ac ceteras circa urbes in suam potestatem redegerunt. Inde eundem evecti, magnam Cariae partem in belli societatem adsciverunt, nam Caunus, quae prius societatem facere recusaverat, ubi Sardes conflagrarunt, et ipsa Ionibus accessit.

104. Cyprii quoque omnes ultro, exceptis Amathusiis, accesserunt. Defecerunt autem Cyprii a Medis in hunc modum: Erat Onesilus, Gorgi Salaminiorum regis frater minor, Chersis filius, Siromi nepos, Euelthontis pronepos. Hic vir, quum saepenumero antea Gorgum solicitasset ad rebellandum ab rege, tunc audiens etiam Ionas rebellasse, vehementius urgere hominem institit. In quo quia nihil proficiebat Onesilus, observato tempore dum oppidum Salaminiorum egressus foret, una cum suae factionis hominibus, eum portis exclusit. Gorgus oppido exutus, ad Medos fugit: eo potitus Onesilus Cypriis omnibus ut rebellarent suadebat: persuasis ceteris, Amathusios rebellare abnuentes obsidione circumdedit.

105. Dum hic Amathuntem obsidet, Dario, ut ei nunciatum est Sardes captas incensasque ab Athenien-

sibus atque Ionibus, et huius coetus ducem fuisse, ut talia contexerentur, Aristagoram Milesium, fertur primo, ut haec audivit, Iones nihili fecisse, probe sciens non impune illos rebellaturos; interrogasse quinam essent Athenienses: dein id quum audisset, tum arcum poposcisse, eoque sumpto, sagittam quam imposuerat, in coelum emisisse: et ea in aërem emissa, dixisse, O Iupiter, contingat mihi Athenienses ulcisci! Atque haec loquutus, cuidam famulorum praecepisse, ut sibi semper apposita coena ter diceret, Here, memento Atheniensium.

106. Et quum hoc praecepisset. accito ad suum conspectum Histiaeo Milesio, quem Darius iam diu detinebat, ita eum fuisse alloquutus, Audio, Histiaee, procuratorem tuum, cui tu Miletum demandasti, novas adversum me res esse molitum, viros enim ex altera continente adductos et cum illis Iones, qui mihi commissorum poenas dabunt, eos quum commovisset cum illis alteris me Sardibus privavit. Nunc igitur quomodo videntur haec tibi bene habere? quomodo tale quid sine tuis consiliis actum est? Proinde vide ne postea teipsum in culpam induas. Ad haec Histiaeus, inquit, rex protulisti verbum? mene consulere rem, quae tibi sit quippiam sive multum sive parum molestiae allatura? Quod mihi quaerens ista facerem? aut cuius rei indigens? cui omnia adsunt quae tibi; quem tu omnium consiliorum tuorum communione dignaris; Quod si istud quod ais egit procurator meus, sic habeto, id eum fecisse suo consilio. Sed prorsus sermonem istum non admitto, quasi Milesii ac meus procurator quippiam rerum novarum fecerint circa imperium tuum: siquid tamen huiusmodi faciunt, et tu id quod est audisti, rex, intellige quid rei egeris, dum me a mari ablegandum putasti: nam Iones id agere aggressi videntur, postquam ego ex ipsorum conspectu sum amotus, cuius aggrediendi iam pridem libidine tenebantur: quum me manente in Ionia, nulla civitas vel minimum commoverit. Proinde nunc propere dimitte me ut in Ioniam contendam, illic omnia negocia tibi in integrum restituturus, et hunc Mileti procuratorem, talium rerum machinatorem, in tuam potestatem redacturus. Haec quum ex animi tui sententia confecero, iuro per deos regios me non prius exuturum hanc vestem, qua indutus in Ioniam descendam, quam Sardiniam insulam maximam tibi tributariam reddam.

107. Haec Histiaeus fallendi gratia dicebat, qui-

bus persuasus Darius hominem dimisit, praecipiens ut posteaquam ea quae spoponderat praestitisset, ad se Susa reverteretur.

108. Dum nuncius de Sardibus ad regem venit, Dariusque illud circa arcum fecit, et Histiaeum est alloquutus, Histiaeusque ab eo dimissus ab mare se contulit, isto interea omni tempore haec gesta sunt: Onesilo Salaminio Amathusios obsidenti nuncius affertur, Artybium virum Persam navibus magnam vim Persarum vehentibus cursum tenere in Cyprum. Quo accepto, Onesilus legatos passim in Ioniam dimittit ad Iones evocandos: qui non diu in deliberando cunctati, cum magna classe ad eum se contulerunt. Et quum Cyprum tenuissent, Persae navibus e Cilicia traiecerunt terrestrique itinere Salaminem contenderunt Phoenicibus classe circumeuntibus promontorium, quae Claves Cypri vocantur.

109. His ea facientibus Cypri tyranni convocatis Ionum ducibus dixere, Viri Iones, vobis nos Cyprii optionem damus cum utris dimicare velitis, cum Persis an cum Phoenicibus. Si terra mavultis cum Persis acie confligere, iam tempus est e navibus egrediendi, et in acie standi, ut nos vestras ingressi naves, cum Phoenicibus dimicemus: sin cum Phoenicibus fortunam tentare mavultis, facere vos opus est. Eligite horum alterutrum, ut quantum in vobis situm est, Ionia atque Cyprus sint liberae. Ad haec Iones, Commune, inquiunt Ioniae nos misit ad mare tutandum, non ut naves Cypriis tradentes, ipsi cum Persis in terra confligeremus. Nos quidem igitur ubicunque collocati fuerimus, ut operam navemus enitemur: vos vero debetis qualia servientes fueritis passi ab Medis reminiscentes, viros egregios vos ostendere. Haec Iones responderunt.

110. Post haec Persis in campum Salaminiorum tendentibus, Cyprii reges adversus alios milites constituerunt alios Cyprios; adversus Persas optimum quodque Salaminiorum ac Solensium: adversus Artybium Persarum ducem Onesilus ultro constitit.

111. Insidebat Artybius equo in armatum erigere se docto. Quod audiens Onesilus, erat enim ei satelles genere Car, sanequam peritus rei bellicae, et alioqui audaciae plenus, ad hunc, Audio, inquit, Artybii equum stantem et erectum, et pedibus simul atque ore pugnam adiuvare adversus adversarium; proinde tu propere inita ratione dicito utrum malis observare, equumne tibi feriendum, an ipsum Artybium. Ad

quem servus suus, Ego vero, inquit, rex, paratu sum et utrumque et alterutrum et omnino quicquid im peraveris, facere; promam tamen quod rebus tuis ess conducibilius sentiam, regem ac ducem oportere cur rege ac duce certare: sive enim talem occidas, decor tibi fore: sive (quod secundum est) ille te, (quod ab sit!) ab digno occidi dimidiata calamitas; nos vero fa mulos cum famulis aliis confligere: et quod ad equur attinet, non est causa cur eius artificium extimescas recipio enim tibi eum posthac adversus neminem s erecturum.

112. Haec illo loquuto, mox exercitus conflixer terrestres navalesque: et classe quidem Iones eo di strenue pugnantes superavere Phoenices: Samiorum ta men praecipua virtus extitit. In terra autem, ubi con cursum est, dum acies dimicant circa ambos impera tores hoc actum est. Ubi Artybius equo, cui inside bat, in Onesilum invectus est, Onesilus, uti conve nerat cum satellite, ipse invadentem Artybium feri mox equo pedes iniiciente in scutum Onesili, ibi Ca falce percutiens equi pedes abscidit: quo ictu Artybi Persarum imperator illic una cum equo corruit.

113. Ceteris autem pugnando occupatis, Steseno Curii tyrannus, non parum circa se copiarum haben prodidit socios. Curienses hi Argivorum coloni dicun tur esse. Post horum proditionem, statim Salaminio rum bellici currus idem Curiensibus fecere: quo e facto Persae Cypriis superiores exstitere. Horum ac in fugam versa, cum alii multi occubuere, tum ve Onesilus Chersis filius, qui Cyprios ad defectionem in duxerat, et Soliorum rex Aristocyprus Philocypri filiu eius, inquam, Philocypri, quem Solon Atheniens Cyprum profectus inter tyrannos maxime versibus ce lebravit.

114. Onesili quidem caput Amathusii, quonia ipsos obsederat, abcisum in oppidum retulerunt ac su pra portas suspenderunt. Quod suspensum quum ia exinanitum esset, ingressum apum examen favo refe sit. Quod quum tale contigisset, oraculum Amathusi nam oraculum consuluere, redditum est, ut tollent caput humarent, Onesiloque quotannis tanquam her sacrificarent: hoc facientibus, melius cum eis actu iri, quod Amathusii ad meam usque memoriam f ciebant.

115. Iones, qui in Cypro navali pugna dimica rant, ubi didicere res Onesili perditas, et ceteras C

priorum urbes obsideri praeter Salaminem, eam autem Gorgo pristino regi Salaminios restituisse, in Ioniam redire maturaverunt. Civitatum autem Cypriarum diutissime obsidionem Soli urbs pertulit; sed eam Persae quinto mense circum suffosso muro expugnaverunt.

116. Ita Cyprii, quum annum liberi fuissent, denuo in servitutem sunt redacti. At Daurises, qui filiam Darii uxorem habebat, Hymeesque et Otanes, atque alii Persarum duces, et ipsi filias Darii in matrimonio habentes, persequuti eos Iones qui Sardibus militaverant, postquam in naves repulerunt proelio victos, dehinc partiti urbes expugnarunt.

117. Daurises quidem conversus ad urbes in Hellesponto sitas, cepit Dardanum, cepit et Abydum, et Percoten, et Lampsacum, Paeson, singulas diebus singulis. Cui a Paeso ad urbem Parion contendenti nuncius adfertur, Cares cum Ionibus sentientes, a Persis defecisse: igitur converso itinere ex Hellesponto adversus Cariam copias duxit.

118. Sed antequam Daurises perveniret, de eius adventu certiores facti Cares conveniunt ad Columnas Albas, quae dicuntur, atque amnem Marsyam, qui ex Idriade regione defluit in Maeandrum. Ibi coactis Caribus, multae sunt aliae dictae sententiae: sed optima omnium, meo iudicio, a Pixodare Mausoli filio, viro Cindyensi, qui Syennesis Cilicum regis filiam in matrimonio habebat. Ab hoc sententia dicebatur, ut transmisso Maeandro Cares flumen a tergo habentes, ita cum hoste congrederentur, ut sublata spe retro fugiendi, atque ibidem manere coacti, redderentur meliores quam natura essent. Verum haec sententia non vicit, sed illa, ut Persis potius a tergo Maeander esset, quam sibi, ut si Persarum fuga accideret, et acie vincerentur, ne redirent in flumen incidentes.

119. Post haec quum adessent Persae, ac Maeandrum transissent, ibi super amnem Marsyam Cares proelium conseruere cum Persis acre atque diuturnum: ad postremum prae multitudine hostium terga vertunt. Quo in praelio, Persarum, cecidere duo millia, Carum decem millia: ex quibus qui effugerunt, ad Labranda in Iovis Militaris templum, et magnum atque sanctum lucum platanorum compulsi sunt. Soli autem ex iis quos novimus, Cares sunt, qui Iovi Militari sacrificia offerant. Huc igitur compulsi Cares de salute

consultabant, utrum sese Persis dedere, an Asiam penitus relinquere satius esset.

120. De hac re consultantibus, subsidio venere Milesii cum horum sociis. Ibi Cares immutata priori voluntate, rursus ad bellum instaurandum animantur; et cum invadentibus Persis concurrunt: et quum diutius quam prius dimicatum esset, fugantur, multis caesis, Milesiorum praecipue.

121. Post deinde acceptam calamitatem hanc Cares denuo repararunt pugnando. Audientes enim urbes suas invasum iri a Persis, insidias illis in via quae in Pedaso est collocaverunt. In eas insidias Persae noctu incidentes, obtruncati sunt cum ducibus suis Daurise et Amorge et Sisimace. Periit cum istis etiam Myrses Gygis filius.

122. Harum vero insidiarum praefectus erat Heraclides Ibanolis filius, vir Mylassensis. Hunc in modum interiere hi Persae. Hymees autem, qui et ipse erat ex insequentibus Iones: qui ad Sardes militaverant, ad Propontidem conversus cepit Cion Mysiam. Hac expugnata, audiens Daurisem relicto Hellesponto tendere adversus Cariam, omissa Propontide, in Hellespontum duxit exercitum, cepitque Aeolenses omnes qui oram Iliadem incolunt: cepit item Gergithas, qui ex priscis Teucris reliqui fuerant. Et ipse quidem Hymees, quum has gentes caperet, morbo decessit in Troade: et hic quidem ita mortem obiit.

123. Artaphernes autem Sardium praefectus, et Otanes tertius dux, adversus Ioniam confinemque Aeolidem delecti ad ducendum exercitum, cepere ex Ionia quidem Clazomenas, ex Aeolide vero Cymam.

124. Quibus oppidis captis, Aristagoras Milesius, ut declaravit, non erat animi constantis, ut qui perturbasset Ioniam, et magna negotia confudisset. Itaque cernens haec, atque insuper ubi constitit, non posse Darium regem superari, de fugiendo deliberabat, convocatisque suae factionis hominibus, consultabat, dicens satius fore eis, si Mileto expellerentur, aliquod perfugium in promptu habere, sive ex hoc loco ducat coloniam vel in Sardiniam, vel in Myrcinum Edonorum, quam Histiaeus, a Dario ea donatus, moenibus sepserat: Haec Aristagoras percontabatur.

125. Verum Hecataeus Aegesandri filius, vir historicus, negabat coloniam alterutro ducendam: sed,

si Mileto eiiceretur, castellum in Lero insula exstruendum, atque illic quiescendum: deinde illinc Miletum remeaturum. Hoc consulebat Hecataeus.

126. Sed Aristagorae sententia praecipue erat abeundi in Myrcinum. Itaque demandata Mileto Pythagorae, viro inter populares probato, ipse sumptis secum omnibus ita volentibus in Thraciam navigavit, regionemque obtinuit ad quam concesserat. Ex ea profectus, dum urbem obsidet, tam ipse quam eius exercitus a Thracibus, tametsi illinc accepta fide excedere volentibus, interemptus est.

HERODOTI
HALICARNASSEI HISTORIARUM
LIBER SEXTUS,
QUI INSCRIBITUR
ERATO.

Aristagoras quidem Ionicae rebellionis auctor ita oppetiit. Histiaeus autem Mileti tyrannus a Dario dimissus Sardes venit: eo quum venisset e Susis, interrogatus est ab Artapherne Sardium praefecto, quidnam ei videretur Iones ad rebellandum induxisse: et quum negaret se id scire, quinimo mirari quod actum esset, tanquam rerum praesentium prorsus ignarus, Artaphernes, qui eum artificio uti comperisset, et veram defectionis originem nosset, inquit, Histiaee, sic res istae se habent; hunc calceum tu quidem suisti, Aristagoras autem calceavit.

2. Hoc Artaphernes ad rebellionem pertinens dixit: quem Histiaeus tanquam rei gnarum veritus, prima statim nocte fuga se ad mare proripuit, regem Darium frustratus, cui Sardiniam insulam maximam in illius potestatem redacturum se pollicitus, subiit ducatum Ionum belli adversus Darium. Is quum in Chium transmisisset, a Chiis in vincula coniectus est, vituperatus ab eis quasi res novas moliretur contra ipsos ab Dario: sed ubi omnem cognovere rationem, quod regi hostis esset, hominem solverunt.

3. Ibi interrogatus Histiaeus ab Ionibus, cur ita propense Aristagorae ut a rege deficeret mandasset, et tanta clade Iones affecisset, causam quae fuerat ipsis plane non aperuit, sed dixit regem Darium constituisse, Phoenices e sedibus suis amotos in Ioniam transferre, et Iones in Phoenicen, et hac causa sic monuisse: quum nihil omnino tale rex deliberavisset, ipse Iones terrefaciebat.

4. Post haec ad Persas qui Sardibus erant, literas dat, tanquam secum antea de rebellione fabulatos: quas literas misit per quendam Hermippum Atarnitam. Eas Hermippus non iis, ad quos dabantur, reddidit, sed in

manum dedit Artapherni. Ille, omnibus quae agebantur, cognitis, iubet Hermippum eas quidem reddere, quibus Histiaeus mittebat, sed quae vicissim a Persis ad Histiaeum responderentur, sibi dare. Ita rebus palam factis, Artaphernes de multis Persarum supplicium sumpsit.

5. Et Sardibus quidem tumultus exstitit: Histiaeus autem hac spe lapsus, exoratis Chiis, Miletum ab illis reductus est. Sed Milesii, libenter etiam ab Aristagora liberati, nullo pacto animum inducebant ad alium tyrannum illuc recipiendum, utpote gustata libertate. Histiaeus igitur sub noctem conatus per vim redire Miletum, a quodam Milesio femur vulneratus est. Ita reiectus a patria sua, se recepit Chium: atque illinc, quoniam Chios ad tradendas sibi naves inducere non poterat, traiecit Mitylenen: et quum Lesbiis ut sibi traderent naves persuasisset, hi sane octo triremibus instructis Byzantium cum eo navigarunt. Ibique subsidentes, navigia e Ponto enavigantia intercipiebant, praeter eorum qui se paratos obsequi Histiaeo ipsi assentiebantur.

6. Histiaeo et Mitylenaeis haec agentibus, ad ipsam Miletum ingens exercitus navalis pariter et terrestris expectabatur, Duces enim Persarum coactis in unum exercitum copiis versus eam ducebant, minoris cetera oppida facientes. Inter classiarios promptissimi erant Phoenices, cum quibus militabant et Cyprii recens subacti, et Cilices, et Aegyptii.

7. Hos adversus Miletum et ceteram Ioniam venturos quum intellexissent Iones, miserunt suos quique primores, ad commune Ioniae concilium. Quibus in eum locum coactis atque deliberantibus, visum est, non debere terrestres copias adversus Persas contrahi, sed ab ipsis Milesiis muros defendi, classem sociis navalibus instruere nulla navi praetermissa: instructaque classe, primo quoque tempore contrahi apud Ladam pugna navali decreturos ad iuvandum Miletum.

8. Lada autem, parva est insula, urbi Milesiorum obiacens. Post haec impletis navibus Iones praesto fuerunt, comitantibus Aolensibus, qui incolunt Lesbum, atque ita aciem instruxerunt. Cornu quod erat auroram versus, ipsi Milesii cum octoginta navibus, quas etiam praebebant, tenebant. His contigui Prienenses erant, duodecim cum navibus et Mynsii cum tribus. His contigui Teii, septem et decem cum navibus; illis iuncti Chii cum centum. Ultra hos locati erant Erythraei et Phocaeenses: Erythraei quidem, collatis octo navibus; Phocaeenses vero, tribus. Phocaeensibus adhaerebant

Lesbii cum navibus septuaginta. Ultimi in cornu occasum versus erant Samii cum sexaginta navibus. In summa omnium numerus, trecentae quinquaginta tres triremes.

9. Tot fuere Ionum naves: Barbarorum vero numero sexcentae. Quae ubi et ipsae ad agrum Milesium venere, omnisque eis peditatus adfuit, tum vero duces Persarum, audita multitudine Ionicarum navium, extimuerunt ne hostem superare, atque ita nec Miletum capere possent classe non potentes, simulque ob id apud Darium caderent in periculum poenae subeundae. Haec reputantes, contractis Ionum tyrannis, qui ab Aristogora Milesio deiecti imperiis, ad Medos fugerant, et tunc adversus Miletum simul militabant, horum quicunque aderant convocatis, ita verba fecerunt, Viri Iones, nunc aliquis vestrum bene merens de domo regia appareat. Suos enim populares quisque vestrum conetur abducere a reliquis sociis, eliciendo illos hac promissione, nihil eos quod rebellarint, molestiae sensuros, nullas eorum vel sacras vel privatas res incensum iri, nihil violentius quam antea passuros; sin minus ista facere, sed omnino decernere proelio voluerint, haec eis minitantes damna dicite eventura, quae certe evenient; ipsos proelio victos in servitutem rapiendos, liberos eorum a nobis castrandos, virgines in Bactra asportandas: terram aliis tradendam.

10. Haec loquutis Persarum ducibus, Ionum tyranni sub noctem ad suos quisque populares denunciatum miserunt. Iones ad quos ii nuncii etiam pervenerunt, contemnere haec nec admittere proditionem, sibi quique solis illa a Persis denunciari existimantes. Haec quidem simulatque Miletum Persae applicuere, gesta sunt.

11. Mox quum ad Laden Iones coacti essent, conciliaque haberentur, et aliae ab aliis sententiae dicerentur, etiam in his Dionysius Phocaeensis dux ita loquutus est: In acie quippe novaculae res nostrae sunt, viri Iones, ut aut liberi simus aut servi, et quidem tanquam fugitivi. Itaque vos, si vultis aerumnas excipere, cum maxime quidem subeundus erit vobis labor; verumtamen superatis hostibus, liberi esse poteritis: sin autem ignavi fueritis, et per tumultum omnia confuderitis, nullam vestri spem habeo quominus poenas regi rebellionis detis. Sed assentiamini mihi, et vos ipsos mihi permittatis: et ego, diis ex aequo iuvantibus, recipio

V

vobis aut non concursuros hostes, aut si concurrent, multo inferiores futuros.

12. His auditis, Iones sese Dionysio permisere. Ille naves identidem in cornua producens, ut remigibus uteretur, navibus inter se traiectum procurans, et propugnatores armaret, reliquum diei naves in ancoris retinebat, et per totum diem laborem Ionibus exhibebat; ad septimum usque diem obtemperaverunt atque imperata fecerunt. Post dies istos proximo Iones, utpote talium vexationum insueti, tum laboris hac tolerantia, tum sole afflictati, inter se dixere, Quo nos deorum offenso ista patimur? qui desipientes ac de cursu mentis deiecti viro Phocaeensi superbo tres naves habenti, omnino nos ipsos permisimus? quos ille sumptos perdit insanabilibus aerumnis? quorum multi quidem in morbum inciderunt, multi idem passuri videntur: quibus satius est quidvis aliud quam haec mala pati, atque adeo servitutem futuram, siqua erit, sustinere, quam praesenti afflictari. Agite, huic ne deinceps obtemperemus. Haec inter se loquuti; et mox deinde nemo illi parere velle, sed tentoriis more militari in insula defixis, frui umbraculis, ac nolle naves ingredi, neque experimentis explorari.

13. Id ab Ionibus fieri animadvertentes Samiorum duces, tunc per Aeacem Sylosontis filium, illos quos antea miserat sermones Aeaces, iubentibus Persis rogans illos, ut desererent societatem Ionum: Samii igitur, videntes simul gravem confusionem Ionum existere, admiserunt eos sermones, simul quod fieri non posse videretur, ut regis potentiam superarent, ac probe scirent, si praesens copia navalis superaretur Darii, aliam quintuplo maiorem adfuturam. Nacti igitur occasionem, ubi primum viderunt Iones negantes se in officio futuros, lucrifaciendam putaverunt suorum sacrorum atque privatarum rerum conservationem. Aeaces autem cuius orationem admisere Samii, filius Sylosontis Aeacis filii fuit, Sami tyrannus, ab Aristagora Milesio exutus principatu, quemadmodum alii Ioniae tyranni.

14. Itaque posteaquam Phoenices adnavigare coeperunt, Ionesque et ipsi naves in cornua digestas contra educere, ac propius ventum est, proeliumque consertum, tunc quinam Iones ignavi, quive egregii fuerint, haud queo pro comperto scribere, quia alius in alium reiicit culpam. Dicuntur tamen Samii tunc, quem-

admodum cum Aeace composuerant, sublatis velis ex ordine excessisse Samumque abiisse, praeter undecim naves, quarum trierarchi permanserunt, dimicaruntque, nolentes dicto audientes esse ducibus. Quo ex facto commune Samiorum eis donavit, ut ipsorum nomina a maioribus paternis repetita, tanquam egregiorum virorum in columna scriberentur: exstatque ea columna in foro. Lesbii videntes Samios, qui iuxta erant, fugam capessere, idem fecere quod Samii, sicut etiam plurimi Ionum fecerunt haec eadem.

15. Ex iis vero qui in pugna perstiterunt, Chii asperrime circumventi sunt, et quia nolebant perfide agere, et propter edita egregia opera. Qui, ut superius dictum est, centum naves quum praeberent, singulas cum quadragenis propugnatoribus delectorum civium, etsi cernerent permultos sociorum esse proditores, tamen non existimaverunt sibi licere istis pravis similes esse: sed desolati cum paucis sociis discursando dimicaverunt, donec compluribus captis hostium navibus, pluribus suarum amissis, cum ceteris in terram suam perfugerunt.

16. Quorum vero naves invalidae erant propter vulnera, illi quum insequeretur hostis, ad Mycalen fugientes, impactis terrae navibus atque ibi relictis, per continentem pedestre iter fecerunt. Et quum in agrum Ephesium ingressi essent, sub noctem ad urbem contenderunt, quum illic a mulieribus sacra legiferae Cereris fierent: quos armatos Ephesii ingressos agrum suum videntes, quum de eis nihil audissent, prorsus suspicati, fures esse et ad mulieres tendere universi ad vim arcendam procurrerunt, Chiosque interemerunt: et hi quidem hoc casu occiderunt.

17. Dionysius autem Phocaeenses, posteaquam res Ionum accisas intellexit, captis tribus hostium navibus abiit non iam versus Phocaeam, probe sciens eam cum reliqua Ionia direptum iri, sed ut erat, recta contendit in Phoenicen: ubi navibus onerariis mersis raptaque ingenti pecunia, in Siciliam navigavit: atque illinc prodeundo, latrocinia agitavit, in nullum quidem Graecorum, sed in Carthaginenses ac Tyrrhenos.

18. At Persae, victis pugna navali Ionibus, Miletum a terra atque mari obsederunt, suffossisque muris, et omni genere tormentorum admoto, eam vi et armis ceperunt sexto quam rebellaverat Aristagoras anno, atque diripuerunt: ut defuncta sit ea calamitate quam oraculum praedixerat.

19. Siquidem Argivis apud Delphos de civitatis suae salute consulentibus, oraculum commune redditum est, partim ipsos quidem Argivos spectans, sed adiectionem habuit, Milesiis eventura praedicentem. Illud quidem quod ad Argivos pertinet, quum ad eum locum venero, referam: quatenus autem absentibus Milesiis cecinit, ita habet:

Tunc quoque commentrix operum Milete malorum,
Permultis coena et praestantia munera fies,
Crinitisque pedes tua pluribus abluet uxor:
Templi aliis nostri in Didymis sua cura manebit.

Haec tunc Milesiis contigerunt, quum ex iis plerique viri a Persis, qui criniti erant, sunt caesi, uxores ac liberi in mancipiorum numerum cesserunt, templumque quod erat in Didymis, et delubrum iuxta oraculum exspoliata deflagrarunt. Pecuniarum autem, quae in hoc templo erant, saepe alibi mentionem feci.

20. Milesii conservati a caede dehinc Susa perducti sunt: quos rex Darius nulla alia poena afficiens, collocavit in urbe Ampe ad mare rubrum sita, ubi fluvius Tigris eam praeterfluens exit in mare. Agrum Milesium urbi circumiectum atque planitiem ipsi Persae obtinuere, montana Caribus Pedasensibus possidenda dederunt.

21. Haec Milesiis quum ab Persis accidissent, non reddiderunt vicem Sybaritae, qui urbe exuti Laon et Scidron incolebant: nam Sybari a Crotoniatis capta, universi Milesii puberes capita detonderunt, et ingentem luctum exhibuerunt. Ex omnibus enim civitatibus, quas novimus, hae praecipue mutuo hospitio iungebantur. At non similiter Athenienses, hi enim Mileti expugnationem se permoleste tulisse cum aliis multifariam rebus declararunt, tum vero hac, quod Phrynicho docente fabulam, quam de Mileto direpta fecerat, theatrum illacrymavit, et Athenienses eum, quod domestica mala refricuisset, mille drachmis mulctaverunt, adiecto interdicto nequis postea ea fabula uteretur.

22. Et Miletus quidem Milesiis desolata est. Samiis autem iis qui aliquid habebant, adeo non id quod sui duces erga Medos fecerant, probabatur, ut similiter statim post pugnam navalem consilio, visum sit, priusquam eo tyrannus Aeaces veniret, in coloniam proficisci, neque manentes et Medis servire et Aeaci. Etenim per hoc idem tempus Zanclaei ab Sicilia, missis in Ioniam nunciis solicitabant Iones ad Pulchrum litus,

cupientes illic urbem Ionum condere. Hoc autem litus quod Pulchrum dicitur, Siculorum quidem est, sed in ea parte Siciliae quae ad Tyrrheniam vergit. His ergo solicitantibus, soli ex Ionibus Samii cum iis, qui effugere, Milesiis eo concesserunt.

23. Quibus in Siciliam tendentibus, iamque navigantibus circa Locros Epizephyrios, hoc rei contigit, ut interea Zanclaei una cum suo rege, cui nomen erat Scythes, obsiderent urbem Siculorum eam expugnaturi; idque quum audisset Anaxileus tyrannus Rhegii, tunc offensus Zanclaeis, adiens Samios, suasit satius esse, ut Pulchrum litus, ad quod navigabant, valere sinerent, et Zanclam occuparent, viris desertam. Samii persuasi Zanclam occuparunt. Id Zanclaei quum audissent, urbi suae suppetias ferunt, advocato Hippocrate Gelae tyranno: erat enim is eorum socius. Qui posteaquam ad illos iuvandos cum exercitu venit, Scythae Zanclaeorum monarcho, orbato urbe, et fratri eius Pythogeni vincula indidit, eosque in oppidum Inycum relegavit; at ceteros Zanclaeos ex compacto agens cum Samiis, dato et accepto iureiurando, prodidit, pacta mercede ut dimidium omnis supellectilis ac mancipiorum in urbe ipse haberet; quae vero in agris essent, omnia ipsi Hippocrati cederent. Ergo plerosque Zanclaeorum titulo mancipiorum in vinculis ipse habebat; quorum praestantiores trecentos Samiis occidendos tradidit: quod tamen illi facere noluerunt.

24. Ceterum Scythes Zanclaeorum monarcha ex Inyco profugit Himeram, atque illinc transmisit in Asiam, accenditque ad Darium regem: quem Darius iustissimum virorum omnium censuit qui e Graecia ad se ascendissent: nam quum exorato rege in Siciliam abiisset, rursus e Sicilia ad regem rediit: donec prae senio admodum beatus apud Persas excessit e vita.

25. Samii itaque Medis liberati, Zanclam urbem pulcherrimam nullo negocio adepti sunt. Ceterum post navale proelium pro Mileto gestum, Phoenices iubentibus Persis Aeacem Sylosontis filium, utpote de ipsis bene meritum, et qui egregiam operam navasset, Samum reduxerunt. Quae civitas, sola ex omnibus, quae Dario rebellaverant, ea fuit cuius neque urbs neque templa incenderentur, quod in pugna navali a sociis defecisset. Statim expugnata Mileto Persae Cariam cepere civitatibus partim se ultro dedentibus, partim vi adactis. Et haec quidem ita gesta sunt.

26. Histiaeo autem Milesio, dum circa Byzantium agit, et Ionum onerarias naves quae e Ponto cursum tenebant intercipit, affertur nuncius de rebus ad Miletum gestis. Itaque negociis ad Hellespontum pertinentibus Bisaltae Apollophanis filio Abydeno delegatis, ipse habens Lesbios, Chium navigat, et apud locum quendam agri Chii, quem vocant Cava, cum Chiorum praesidio, quod ipsum non recipiebat, congressus, permultos eorum interfecit: simulque ceteros Chios, utpote ex pugna navali male affectos subegit, quodam ex eorum oppidulo cum Lesbiis progrediens.

27. Sed videlicet, quoties ingentes sunt eventurae calamitates vel civitati vel nationi, solent signis praenunciari: etenim Chiis ante hanc cladem ingentia signa contigerant: unum, quod ex choro centum adolescentum quos miserant Delphos, duo omnino rediere, nonaginta octo tabe intercipiente absumptis: alterum, quod sub idem tempus, paulo ante navalem pugnam, tectum supra pueros literas discentes corruit, ita ut ex centum viginti pueris unus modo evaserit: haec eis signa deus praemonstravit. Post haec excepit pugna navalis, quae civitatem in genu deiecit. Post eam pugnam accessit Histiaeus cum Lesbiis, qui Chios iam exhaustos facile excidit.

28. Histiaeus autem illinc cum multa Ionum et Aeolensium copia adversus Thasum contendit. Cui Thasum obsidenti quum esset nunciatum Phoenices a Mileto in reliquam Ioniam proficisci, Thasum inexpugnatam reliquit, atque in Lesbum traiecit cum omnibus copiis: et illinc fame eas urgente traiicit in oppositam continentem, ex Atarneo messurus frumentum tam illinc quam ex campo Caici, qui erat Mysorum. Erat in his locis forte Harpagus, vir Persa, non parvi exercitus dux: qui cum Histiaeo egresso in terram certamen committens, et ipsum Histiaeum vivum cepit, et maiorem exercitus eius partem occidit.

29. Hunc autem in modum captus est Histiaeus: Dum Graeci cum Persis pugnarent in Malena regionis Atarnitidis, illi quidem diu persiterunt, deinde vero equitatus emissus in Graecos impetum dedit, et inde tota acies pependit: adeo ut versis in fugam Graecis, Histiaeus sperans se ob praesentem noxam non interfectum iri ab rege, talem quandam vitae cupiditatem conciperet, ut quum fugiens caperetur a quodam Persa, atque captus ab eodem esset transfodiendus, sese Milesium Histiaeum esse, lingua Persica utens indicaret.

30. Quem opinor, si ita vivus captus ad regem Darium perductus fuisset, nihil mali fuisse passurum, et remissurum ei Darium culpam; nunc ne id contingeret neve fuga elapsus apud regem magnus rursus existeret, Artaphernes Sardium praetor et Harpagus, qui cuperet, et Sardes reversus est captivum ducens, corpus quidem eius illic in crucem sustulerunt, caput sale conditum Susa ad regem Darium detulerunt. Ea re audita Darius obiurgatis qui id fecerunt, quod hominem vivum in conceptum suum non adduxissent, iussit Histiaei caput eos elotum atque decore obvolutum sepelire, tanquam viri de ipso ac de Persis bene meriti.

31. Ita res Histiaei se habuerunt. Persarum autem nauticae copiae circa Miletum hybernantes, altero anno ut inde navigarunt, haud difficulter insulas continenti adiacentes ceperunt, Chium, Lesbum, Tenedum: quarum insularum ut quamque capiebant, singulas barbari subactas verriculabant: verriculant autem hunc in modum: Vir viri manum tenens perhensam, a mari boreali ad australe transiverunt: post haec omnem insulam peragrant, venando homines. Ceperunt quoque in continenti urbes Ionicas eadem ratione, praeterquam quod non verriculabant homines: neque enim poterant.

32. Hic autem non falso cesserunt ea, quae duces Persarum minati sunt Ionibus, quum ex adverso castra haberent: nam posteaquam potiti sunt urbibus, formosissimos quosque puerorum seligentes exciderunt, ut exectis testibus pro viris integris facerent eunuchos; virginesque forma praestantissimas ad regem transportarunt: et super haec, urbes cum ipsis templis cremaverunt. Ita tertio Iones sunt in servitutem redacti, primum a Lydis, bis deinceps a Persis.

33. Profectus ab Ionia navalis exercitus, omnia quae ad laevam sunt Hellespontum innavigantibus subegit: nam quae sunt ad dextram, iam subacta erant a Persis per continentem. Hellesponti autem haec in Europa sunt, Chersonesus, in qua frequentes sunt urbes, et Perinthus, et castella per Thraciam, et Selybria, et Byzantium. Quorum Byzanti, et qui opposito in litore sunt Chalcedonii, ne exspectaverunt quidem adventum Phoeniciae classis: sed relicta regione sua, in interiora Euxini ponti recesserunt, ibique urbem Mesambriam condiderunt: at Phoenices his locis quae dicta sunt, incensis, ad Proconnesum et Artacen se convertunt. Quibus et ipsis igni traditis, rursus in Chersonesum revehuntur, eversuri ceteras urbes, quas superiore accessu

non everterant: nam Cyzicum omnino ne accesserunt quidem; quod ipsi Cyziceni, iam ante adventum hunc classis Phoenicum sub rege erant, quum se Oebari, qui Dascylii praeses erat, filio Megabazi, dedissent. Cetera Chersonesi urbes praeter Cardium Phoenices subegerunt.

34. Quarum usque ad id tempus tyrannus erat Miltiades, filius Cimonis, nepos Stesagorae: cuius imperii auctor fuerat Miltiades Cypseli filius, ad hunc modum. Dolonci, Thraces hanc Chersonesum tenebant. Hi Dolonci quum ab Absinthiis bello vexarentur, reges suos, ut de bello consulerent, Delphos miserunt: quibus Pythia respondit, ut coloniae in suam terram deducendae eum auctorem adsciscerent, qui primus eos templo abeuntes hospitio invitasset. Dolonci sacram viam ingressi, per Phocenses atque Baeotios iter fecerunt; a quorum nemine invitati Athenas divertunt.

35. Ea tempestate Athenis omne quidem imperium tenebat Pisistratus, dominabatur tamen et Miltiades Cypseli filius e familia quadrigas alente ad Olympia, primam originem repetens ab Aeaco et Aegina, sed recentiora Atheniensis ab Philaeo Aiacis filio, qui primus in ea domo Atheniensis extitit. Miltiades hic, ut sedebat in suis anteforibus, cernens Doloncos praetereuntes, non illius loci vestem gerentes neque hastas, homines inclamavit: accedentibusque obtulit domicilium et hospitaliter ab eo accepti, aperuerunt ei totum oraculum, precesque addiderunt ut deo obsequeretur. Miltiadi ea oratione audita, confestim persuasum est, ut qui pertaesus imperium Pisistrati, cuperet illinc emigrare: protinusque Delphos se contulit oraculum consulturus, numquid faceret quae Dolonci ab eo petiverant.

36. Iubente etiam Pythia, ita Miltiades Cypseli filius, quadrigae curriculo iam antea in Olympiacis victor, una cum Doloncis navigavit, assumptis Atheniensium voluntariis quibusque ad expeditionem: et ubi locum illum tenuit, ab iis qui se deduxerant, tyrannus creatus est. Et ante omnia Chersonesi isthmum operibus munivit, ab urbe Cardia ad Pactyam, ne ab Absinthiis regionem incursantibus infestari posset; sunt autem isthmi ista sex ac triginta stadia: ab hoc autem isthmo introrsus, omnis Chersonesus quadringentorum viginti stadiorum est longitudinis.

37. Miltiades igitur, interseptis faucibus Chersonesi, atque hoc modo Absinthiis expulsis, primis ceterorum Lampsacenis intulit bellum: illi dispositis insidiis eum

vivum cepere. Ea re Croesus Lydus audita, erat autem Croeso Miltiades charus, per nuncios Lampsacenis praecepit, ut hominem missum facerent: alioqui se illos in morem pinus extriturum minatus est. Hac oratione mutantibus Lampsacenis, quid sibi vellet, quod Croesus minabatur, se illos in morem pinus extriturum, vix tandem quidam e maioribus natu intelligens, quid illud esset, exposuit, inquiens pinum ex omnibus arboribus solam esse, quae excisa nullam subolem remittat, sed prorsus emoriatur. Ea propter veriti Croesum Lampsaceni, solutum Miltiadem remiserunt.

38. Ita Miltiades ob Croesum evasit: qui postea sine liberis moriens, imperium atque opes tradidit Stesagorae, Cimonis sui fratris uterini filio. Cui defuncto Chersonesitae, ut mos est, conditori sacrificant, certamenque equestre ac gymnicum statuto tempore celebrant, in quo nulli Lampascenorum certare permittitur. Durante autem cum Lampsacenis bello, contigit ut Stesagoras quoque liberis orbus decederet, in prytaneo percussus securi caput a quodam, qui se transfugam verbis simulabat, sed re ipsa hostis erat et subardentior.

39. Stesagora hunc in modum defuncto, tum Pisistratidae Miltiadem Cimonis filium fratrem defuncti Stesagorae, cum trireme ad suscipiendas in Chersoneso res dimiserunt: in quem etiam Athenis beneficia contulerunt, tanquam non sane conscii mortis Cimonis patris eius; quam mortem alio in libro qualis fuerit commemorabo. Miltiades ut venit in Chersonesum, domi tenebat fratrem Stesagoram, videlicet puniens. Quod quum audissent Chersonesitae, undique ex omnibus civitatibus principes congregati sunt: quum autem communi profectione uterentur, quasi ad simul lugendum, in vincula ab eo coniecti sunt, et Miltiades Chersonesum obtinet, adiutores nutriens quingentos; filiamque Olori regis Thracum Hegesipylam duxit uxorem.

40. Hic Cimonis filius Miltiades nuper quidem in Chersonesum venerat, tamen postquam venit, alia graviora negotia quam praesentia erant, illum exceperunt: nam tertio quam haec gesta sunt anno Scythas profugit. Scythae enim pastorii a rege Dario irritati, quum se conglobassent, ad hanc usque Chersonesum processerant. Hos non ausus expectare venientes Miltiades fugit ab Chersoneso. Donec illis digressis eum postea Dolonci reduxere tribus annis antequam haec ei acciderent.

41. Tunc Phoenices apud Tenedum esse quum audisset quinque cum triremibus, quas praesentibus facul-

tatibus impleverat. Athenas navigavit; et sicut solverat ex urbe Cardia, per sinum Melana navigabat, praetervehens Chersoneson et Phoenicum classe circumventus, ipse quidem cum quatuor navibus ad Imbrum evasit, quintam vero Phoenices insequuti ceperunt, cui praeerat Miltiadis filius natu maximus Metiochus, non ex filia Olori Thracis, sed ex alia muliere. Eum Phoenices cum navi cepere; et quum Miltiadis filium esse cognovissent, ad regem perduxerant, rati se magnam apud eum gratiam inituros: quoniam Miltiades dixerat apud Iones sententiam, ut suaderet Scythis, rogantibus soluta rate domum abire, obtemperare. Oblato tamen sibi Metiocho Darius tantum abest ut quicquam mali fecerit, ut permultis eum bonis affecerit: donavit enim domo et possessione, uxore etiam Perside: ex qua liberi geniti sunt, qui inter Persas censentur. Miltiades autem ex Imbro Athenas pervenit.

42. Neque hoc anno quicquam est a Persis amplius in Ionas statutum contentiosum, sed benigna sane haec eis contigerunt. Hoc anno Artaphernes Sardium praeses accitis civitatum legatis, adegit Iones ad pactiones inter se faciendas de iure dando, et ne sese invicem ferrent aut agerent. Ad hoc adactis Ionibus, per parasangas, ita enim Persae triginta stadia appellant, regiones eorum divisit; regionatimque tributa singulis instituit, quae ab Artapherne instituta, ad meam usque aetatem illic obtinuerunt, iuxta eadem paene quae prius fuerant. Et haec quidem illis pacata erant.

43. Ceterum ineunte statim vere aliis ducibus ab rege abdicatis, Mardonius Gobryae filius, adhuc adolescens, et recens in matrimonium accepta Darii filia Artozostra, ad mare descendit, permagnas ducens peditum classiariorumque copias. Qui cum exercitu postquam in Ciliciam pervenit, ipse conscensa navi cum classe reliqua abiit, aliis ducibus pedestres copias in Hellespontum ducentibus. Posteaquam autem praetervectus Asiam in Ioniam pervenit Mardonius, mirum hic rem ego referam iis Graecis, qui non assentiuntur Otanem inter septem Persas suasisse, potiorem esse Persis statum popularem, abdicatis Ionum tyrannis Mardonius statum popularem per civitates constituit: his actis, in Hellespontum ire contendit: ubi coacta ingenti vi navium, etiam multo peditatu, eas copias navibus traiecit Hellespontum, perque Europam iter Eretriam versus atque Athenas faciebat.

44. Hae enim civitates erant praetextus expeditionis: sed in animo habebat quam plurimas posset Graecarum civitatum subigere. Nam et classe Thasios nec manum ex adverso levantes subegit, et peditatu Macedones, ultra eos qui iam erant, in servitutem redegit: etenim quae intra Macedones sunt nationes, iam subactae omnes erant. Haec classis e Thaso transmittens, ac oppositam continentem legens, ad Acanthum usque processit: et ex Acantho solvens, dum Athon circumflectit, ventus aquilo vehemens atque arcens transitu in eam ingruit, naviumque valde multas in Athon expulit; adeo ut dicatur ad trecentas afflixisse, et supra viginta millia hominum interiisse: quippe quum feris illud mare circa Athon plane scateat, perierunt rapti ab illis, aut petris allisi, partim quod natare nescirent, partim gelu absumpti. Et cum nautico quidem exercitu ita actum est.

45. Mardonium autem cum pedestribus copiis in Macedonia stativa habentem Thraces Brygi sub noctem invasere, et cum alios multos ex eis occidunt, tum ipsum Mardonium vulnerant. Sed non tamen vel ipsi servitutem Persarum devitare potuerunt: nam Mardonius non prius ex iis locis decessit, quam illos in suam redegit potestatem. His subactis reduxit exercitum, tum ob eam quam adversus Brygos in exercitu terrestri, tum ob maiorem quam in classe ad Athon acceperat calamitatem. Ita hic exercitus turpiter re gesta redit in Asiam.

46. Altero post haec anno Darius ante omnia Thasios a vicinis insimulatos tanquam defectionem molientes, misso nuncio iussit diruere muros, et naves in Abdera transportare: nam Thasii, ut qui ab Histiaeo Milesio fuerant obsessi, et proventus magnos habebant, opibus utebantur, cum in texendis navibus longis, tum validioribus muris urbi circumdandis. Erat autem eis proventus hic ex continenti atque ex metallis: ex auri quidem fodinis in Scaptesyla plerumque redibant octoginta talenta: ex Thasii autem metallis pauciora quidem his, sed tamen ita densa ut quum Thasii forent plerumque immunes circa fructus, eis in summam provenerint quotannis ex continenti atque ex metallis ducenta talenta; et quando plurimum, trecenta.

47. Quae metalla ipse quoque inspexi, et ex ipsis longe admiratu dignissima erant quae Phoenices iis, qui cum Thaso eam insulam condiderunt, invenere; quae ab hoc Thaso Phoenice nomen obtinuit. Haec autem

Thasi Phoenicia metalla ista sunt inter Aenyra locum appellatum et Coenyra: atque e regione Samothraciae ingens mons indagando eversus est.

48. Et hoc quidem huiuscemodi est. Thasii autem iubente Dario, et murum suum diruerunt, et naves omnes Abdera devexerunt. Post haec Darius, quid in animo Graeci haberent, bellarene secum an sese ipsos dedere, tentandum ratus, caduceatores per Graeciam alios alio dimittit, regi terram et aquam petere iussos. Et hos quidem in Graeciam misit; alios autem ad tributarias sibi maritimas civitates dimisit, imperans longas naves fieri, et navigia quibus equi vehuntur.

49. Haec igitur isti comparabant, et legatis per Graeciam euntibus, et quae Persa praeceperat petentibus, multi in continente populi dederunt: insulani quoque omnes, ad quos eadem petituri accessere, et tum alii insulani dant terram et aquam Dario, tum etiam Aeginetae. Qua re continuo Athenienses irritati sunt, quod putarent hostili in ipsos animo dedisse Aeginetas, ut una cum Persa adversus eosdem militarent. Itaque libenter occasionem amplexi, Spartam profecti illos insimulaverunt, quasi eo quod fecerant Graeciam prodidissent.

50. Ad hanc delationem Cleomenes Anaxandridae filius, Spartiatarum rex, Aeginam transmisit, animo praecipuos eius rei autores comprehendendi. Conanti autem illos comprehendere cum alii Aeginetae intercessere, tum praecipue Crius Polycriti filius, negans fore, ut gaudens quemquam duceret Aeginetarum: nam id eum facere sine communi Spartiatarum, ab Atheniensibus pecunia corruptum; alioqui cum altero rege venturum fuisse ad comprehendendum. Hoc autem dicebat ex mandato Demarati. Crium Cleomenes ex Aegina repulsis interrogavit quod ei nomen esset. Ille respondit quod erat. Cui Cleomenens, Crie, inquit, iam nunc praeferrato cornua, tanquam occursurus magno malo.

51. Spartae autem calumniabatur Cleomenem per id tempus remanens Demaratus Aristonis filius et ipse rex Spartiatarum, sed ex familia inferiore, non tamen ob aliud inferiore, (ab eodem enim oriundi) quam quod familia Eurysthenis, quia primogeniturae ius habebat, honoratior erat.

52. Etenim Lacedaemonii, nulli poëtarum assentientes, negant se in eam quam nunc possident regionem ductos a filiis Aristodemi, sed ab ipso Aristodemo, filio

Aristomachi, nepote Cleodaei, pronepote Hylli, regnante. Et post non multo Aristodemi uxorem nomine Argiam, quam dicunt fuisse filiam Autesionis, neptem Tisameni, proneptem Thersandri, abneptem Polynicis, peperisse geminos: eisque conspectis Aristodemum morbo decessisse. Lacedaemonios autem qui tum erant, inito consilio creasse regem e pueris eum qui esset primogenitus, ut lex iubebat. Hinc igitur nescientes, utrum eligerent, quum essent similes ac pares; id quum nequirent scire, aut etiam ante hoc tempus, fuisse percontatos genitricem: ea quoque ipsa negante se dignoscere, etsi optime nosset illa aperire, quod cuperet ambos effici reges: ita de hoc dubitantes Lacedaemonios misisse Delphos sciscitatum quid in ea re agerent; et iis Pythiam imperavisse, ut utrumque puerorum regem ducerent, sed primogenitum magis honorarent. Hoc responso a Pythia edito, Lacedaemonios nihilominus incertos quo pacto primogenitum reperirent, admonitos fuisse ab Messenio, cui nomen Panites, ut observarent utrum puerorum mater priorem lavaret cibaretque; quam si deprehenderent eodem semper modo factitare, illos vero habituros id omne quod quaererent, et vellent invenire: sin et illa alternando erraret, palam eis fore ne ipsum quidem quippiam magis nosse; et ut isti aliam rationem inirent. Ibi Spartiatas ex admonitu Messenii observantes matrem Aristodemi puerorum, ignaram cur observaretur, animadvertentesque illam uno modo praeferentem primo genitum tum cibando, tum lavando, accepisse puerum, qui honorabatur a matre, tanquam primogenitum, publiceque alendum curasse, imposito ei nomine Eurysthene; iuniori, Procle. Hos autem fratres, ubi adoleverunt, per omne vitae tempus inter se dissensisse, et itidem eorum posteros perseverasse.

55. Haec soli Graecorum Lacedaemonii aiunt. At haec secundum ea, quae commemorantur a Graecis, ego scribo; hos Doriensium reges usque ad Perseum Danaae filium deo omisso, recenseri recte a Graecis et demonstrari Graecos esse: iam tum enim isti inter Graecos censebantur. Ideo autem dixi, usque ad Perseum, nec altius repetii, quod nullum Perseo cognomentum adest mortalis patris, quemadmodum Herculi Amphitryon. Itaque a me rectam rationem sequente dictum recte est usque ad Perseum. A Danaae vero Acrisii filia retrorsum patres eorum superiores recensendo, constabit principes Doriensium esse Aegyptios

indigenas. Haec generis recensio ex commemoratione Graecorum facta est.

54. Ut autem a Persis narratur, Perseus ipse, quum esset Assyrius, factus est Graecus, non tamen progenitores eius: nam maiores Acrisii fateri, quod ad cognationem nihil cum Perseo sibi esse; eosque, quemadmodum Graeci aiunt, Aegyptios esse. Haec de his hactenus.

55. Quod autem in regna Doriensium, quum Aegyptii essent, successerint, et qua re patrata, ea acceperint, haec, quoniam ab aliis dicta sunt, omittemus: quae vero alii non attigerunt, eorum faciam mentionem.

56. Haec autem decora regibus Spartiatae tribuerunt: duo sacerdotia, Iovis Lacedaemonis et Iovis coelestis: et ius belli in quamcunque libuerit regionem efferendi, ut id nulli Spartiatarum prohibere fas sit; sin, piaculari crimine teneatur. Ut in militando primi eant reges, abeant postremi. Centum delecti viri eis in militia custodes adsint. In profectionibus ad bellum utantur pecoribus quotcunque libuerit: quorum immolatorum omnium pelles ac terga accipiant ipsi. Bellica haec.

57. Alia sunt quae pacis tempore eis tribuuntur: Ut quoties aliquod publicum sacrificium fit, primi in coena reges discumbant, et iis primis dari partes incipiant, unicuique eorum dupla omnia quam ceteris convivis: libaminumque initia penes illos sint, et immolatorum pecorum coria. Singulis quoque calendis et septimis diebus ingressi mensis, singula pecora perfecta utrique e publico dentur in Apollinis, et farinae medimnus, et vini Laconicus quartarius: et in omnibus certaminibus primaria sint exempta loca; et penes illos sit constituere proxenos, quos ex civibus velint; et utrique binos eligere Pythios: sunt autem Pythii, qui Delphos ad consulenda oracula mittuntur, quique publice cum regibus pascuntur. Regibus ad coenam non euntibus domum mittantur bini farinae choenices, et vini cotyla: praesentibus dupla dentur omnia: eadem ratione a privatis quoque invitati ad coenam honorentur. Vaticinia quae contigerunt, ab illis custodiantur: sed simul ea noscant Pythii. Reges soli de his solis iudicent: de virgine ad quam tota hereditas devenerit, quem habere eam oporteat, si pater eam nondum desponderit: nec non de viis publicis: et si quis adoptivum filium facere velit, coram regibus id fieri: eosdem quoque consultantibus assidere senioribus, qui sunt duodetriginta: si eo non accesserint, eorum maxime propinqui senes decora regum obtineant, duos calculos ponendi, tertium pro seipsis.

58. Viventibus haec regibus a republica Spartiatarum tribuuntur; ista defunctis. Equites per universam Laconicam quid acciderit nunciant: feminae per urbem circumeuntes lebetem pulsitant: quumque hoc fit, necesse est ex singulis domibus duos ingenuos, marem ac feminam, contaminari, magnis poenis, nisi hoc faxint, impositis. Eadem autem circa mores regum consuetudo Lacedaemoniis est, quae barbaris Asianis: nam plerique barbarorum eodem ritu in mortibus regum utuntur. Siquidem posteaquam mortem obiit Lacedaemoniorum rex, oportet eius exequiis adesse ex omni Lacedaemone absque Spartanisaliquo numero ex vicinis oppidis vel invitos. Horum igitur et hilotarum atque ipsorum Spartiatarum posteaquam multa millia in unum coacta sunt, promiscue cum mulieribus frontes suas intrepide pulsant, et ululatu immenso utuntur, ultimum semper quemque regum dicentes fuisse optimum. Qui vero regum in bello periit, eius simulacrum quum expresserunt, in toro bene strato efferunt; et cum sepeliverunt decem dies iustitium est, nullusque comitiorum consessus, sed luctus continens.

59. Aliud autem hoc istis convenit cum Persis, quod defuncto rege alter qui succedit liberat aere alieno, quicunque Spartiatarum aliquid aut regi aut reipublicae debebat: et apud Persas item qui rex creatus est, omnibus civitatibus tributum quod debebant remittit.

60. Cum Aegyptiis etiam Lacedaemonii in hoc congruunt, quod eorum praecones et tibicines et coqui excipiunt paterna artificia: et tibicen e tibicine, et coquus e coquo, et praeco ex praecone gignitur, neque alii propter vocalitatem impositi ipsos excludunt, sed in paterno opere perseverant: atque haec quidem ita fiunt.

61. Cleomenem autem tunc quum apud Aeginam esset, ac communi Graeciae bono operam daret, insimulabat Demaratus, non tam Aeginetis studens, quam invidia et livore ductus. Quem Cleomenes ab Aegina reversus consultabat ut regno submoveret; ob hanc rem intendens in eum actionem. Ariston Spartae regnum obtinens, quum duabus uxoribus ductis liberos non susciperet, in se culpam eius rei non esse agnoscens, tertiam duxit uxorem, et duxit hunc in modum. Erat ei amicus quidam Spartiata, cuius opera ex omnibus civibus maxime utebatur; cui viro erat uxor longe speciosissima omnium Spartanarum, idque sane ex turpissima talis facta: siquidem quum haberet faciem minus luculentam, nutrix eius, utpote filiae parentum loca-

pletum et formae indecorae, insuper videns parentes aegre ferre, hoc excogitavit, ut puellam singulis diebus baiularet ad Helenae templum, quod quidem est in loco qui dicitur Therapne, supra Phoebeium fanum: eo quoties nutrix intulerat puellam, adstans simulacro, deam precabatur, ut alumnam deformitate liberaret. Cui aliquando abeunti e templo mulier quaedam apparuisse fertur, atque interrogasse illam quidnam in ulnis gestaret: et quum nutrix se infantem gestare respondisset, iussisse sibi ostendi: quumque negaret nutrix id se facturam, quod infantem parentes vetuissent ostendi cuipiam, iussisse prorsus ut sibi ostenderetur. Nutricem vero, quum videret mulierem illam magni aestimare visum, ei tandem puellam ostendisse. Hanc autem demulcentem caput puellae dixisse, futuram eam omnium Spartae mulierum formosissimam: atque ab eo die pristinam speciem mutari coepisse. Hanc, quum ad nubilem pervenit aetatem, duxit uxorem Agetus Alcidis filius, ille amicus Aristonis.

62. Eius mulieris amore titillatus quum esset Ariston, hanc rem commentus est: Ageto sodali suo, cuius illa erat uxor, recepit se dono daturum unam e suis rebus omnibus quamcunque ille optaret; atque invicem iussit illum simile munus sibi dare. Agetus nihil de uxore suspicatus, quum videret Aristoni quoque uxorem esse, accepit conditionem, et in eam rem iusiurandum interposuerunt. Cui mox Ariston e suis rebus pretiosis donavit, quaecunque fuit, quam ille elegit: ita ipse vicissim pro scopo habens donari ab illo, ibi tum ergo tentavit uxorem amici abducere. Agetus dicere, se praeter hoc unum cetera annuisse: iureiurando tamen adactus ac doli astutia permittit abduci.

63. Ita tertiam hanc Ariston repudiata secunda duxit uxorem: quae intra brevius tempus, nondum exactis decem mensibus, hunc ei genuit Demaratum. Ariston, quum ei sedenti in consessu cum ephoris quidam ex domesticis nuncium nati filii attulisset, sciens ab quo tempore duxisset uxorem, deductis per digitos mensibus, dixit adiurans, Hic non est filius meus. Quod audientes ephori, haud magni fecere impraesentiarum; sed posteaquam puer adolevit, poenituit Aristonem dicti, opinantem utique filium sibi esse Demaratum: cui ideo nomen impositum est Demaratus, quod ante eum natum omnis populus vota fecit, ut Aristoni, omnium ante id tempus regum viro probatissimo, filius gigneretur: ea de re id nomen huic impositum est.

64. Interiecto deinde tempore Aristone vita functo, Demaratus obtinuit regnum: sed videlicet necesse erat ut haec quae in notitiam venerant, hominem regno privarent. Eapropter Cleomeni vehementer offensus erat, cum antea quod ab Eleusine abduxisset exercitum, tum eo tempore quum adversus Aeginetas cum Medo sentientes traiecit Cleomenes.

65. Ergo ingressus eum ulcisci Cleomenes, componit cum Leutychide Menaris filio, Agidis nepote, ex eadem qua erat Demaratus familia, ut si eum regem in locum Demarati constituisset, se adversus Aeginetas comitaretur. Erat autem Leutychides Demarato maxime inimicus, ob hanc causam, quod quum Percalum filiam Chilonis, neptem Demarmeni, sponsam haberet, Demaratus insidiose hominem coniugio privavit, praeveniens et praeripiens Percalum ac pro uxore retinens. Ob hanc causam Leutychidae inimicitiae cum Demarato exstitere. Is tunc, Cleomene sollicitante, contra Demaratum iuravit, negans eum rite in Spartanis regnare, qui Aristonis filius non esset; postquam ita iuraverat, instituit persequi, repetens quod Ariston tunc dixerat, quum ei nunciasset domesticus filium natum, et menses conferens, iureiurando negasset illum esse suum. Huic verbo insistens Leutychides, pronunciabat Demaratum neque ex Aristone genitum esse neque rite Spartae regnare; eisdem ephoris adhibitis testibus, qui Aristoni assidentes tunc haec ex illo audierant.

66. Tandem re in contentionem deducta, visum est Spartiatis oraculum, quod Delphis est consulendum, an foret Demaratus Aristonis filius. Re ergo de Cleomenis providentia ad Pythiam relata ibi ille Cobonem Aristophanti filium, maxima apud Delphos autoritate, sibi conciliat, ut persuadeat Periallae antistiti, dicere ea quae Cleomenes volebat dici. Ita Pythia sciscitantibus iis qui ad oraculum erant missi negavit Aristonis filium esse Demaratum: quae tamen res sequenti tempore palam factae sunt, et Cobon e Delphis profugit, et Perialla honore spoliata est.

67. Hactenus quae ad deiiciendum regno Demaratum acta sunt. Is vero e Sparta ad Medos profugit, ob hanc contumeliam: post eiectionem ex regno gerebat electus magistratum, quum esset spectaculum luctae nudorum puerorum, et adesset Demaratus, misit ad eum Leutychides, in locum Demarati iam rex factus, deridendi insultandique causa, ministrum, qui interro-

garet qualis esset haec praefectura post regnum. Eam interrogationem aegre ferens Demaratus, respondit se utrumque expertum esse, illum vero non; eam tamen interrogationem Lacedaemoniis futuram initium plurimae aut calamitatis aut felicitatis. Haec loquutus velato capite e theatro domum abiit; confestimque praeparatum Iovi bovem immolavit: quo immolato matrem arcessivit.

68. Quae quum advenisset, positis in eius manus extis, mulierem obsecravit his verbis, Per ego te, mater, tum alios deos, tum Iovem hunc Herceum tangens, precor, promas mihi veritatem: quisnam revera meus est pater? Nam Leutychides quidem in contentionibus obiecit, te e priore viro gravidam, ita ad Aristonem venisse. Alii etiam dementius referentes, aiunt te ad asinarium ex tuis servis ventitasse, illiusque me filium esse: ego igitur te obsecro per Deos, ut verum dicas. Si quid enim eorum quae dicuntur fecisti, non sola fecisti, sed cum multis: et multus in urbe Sparta sermo est, negantium Aristoni fuisse semen procreando aptum: nam si fuisset, priores uxores ei fuisse parituras.

69. Haec Demaratus. Cui mater ita respondens, Fili, inquit, quoniam precibus mecum agis, ut dicam veritatem, omne tibi verum exponetur. Ut me domum Ariston duxit, tertia quam me duxerat nocte, imago tanquam Aristonis ad me venit, quae posteaquam mecum concubuit, coronis quas gestabat, me circumdedit, atque abiit. Dehinc Ariston advenit, qui cernens me coronas habentem, sciscitabatur quisnam me illis donasset. Ego ipsum dedisse respondi: eoque id abnuente, iuravi, asseverans non bene illum facere qui negaret, quippe qui paulo ante ingressus, ubi mecum coiisset, coronis me donasset. Ariston, cernens me iurantem, intellexit eam rem divinam fuisse: compertumque est partim illas coronas fuisse sumptas ex heroico conditorio, quod est iuxta ianuam aulae exstructum, quod vocant Astrabaci; partim vates esse hunc eundem heroëm responderunt. Habes igitur, fili, ita omne, quod volebas audire: aut enim ex hoc heroë genitus es, paterque tibi est Astrabacus heros, aut Ariston: nam ea te nocte concepi. Verum quod tibi praecipue exprobrant inimici, quod Ariston, quum ei te natum esse nunciatum est, multis audientibus negavit te suum esse, quia tempus, decem menses, non exisset, per inscitiam talium rerum illi hoc verbum excidit: nam

mulieres novem etiam mensium ac septem mensium partum edunt, non omnes decimum mensem explentes; ego autem, fili, septimestrem te genui. Ipse quoque Ariston non diu post agnovit, se per dementiam id verbum eiecisse. Alias narrationes de tua origine noli admittere: omnia enim verissima audisti. Nam quod ad asinarios attinet, ipsi Leutychidae et iis qui talia loquuntur, suae uxores de asinariis pariant filios. Haec illa dixit.

70. Demaratus auditis quae volebat, sumpto viatico per speciem eundi Delphos ad oraculum consulendum, Elin contendit. Eum suspicati Lacedaemonii fugam capessere, insequuti sunt: sed Demaratus ante iam ex Elide Zacynthum traiecerat, quem illuc transgressi Lacedaemonii prehenderunt, eiusque famulos auferunt; sed Zacynthiis eum dedere abnuentibus, Demaratus illinc in Asiam ad regem Darium traiecit: a quo magnifice exceptus est, terraque ac urbibus donatus. Ita in Asiam Demaratus abiit, ac tali fortuna usus vir cum aliis in multis factis dictisque apud Lacedaemonios illustris, tum quod illis Olympiacam palmam quadriiugo certamine adiecit, quod ille solus omnium Spartae regum confecit.

71. Leutychidae autem Menaris filio, qui in regnum amoti Demarati successerat, natus est filius Zeuxidamus, quem nonnulli Spartiatarum Cyniscon, catulum vocabant. Is Spartae non regnavit, ante Leutychiden defunctus, relicto filio Archidamo. Leutychides orbatus filio, alteram duxit uxorem Eurydamen, Menii sororem, Diactoridis filiam, ex qua nullam prolem virilem suscepit, sed filiam nomine Lampito: quam Archidamus Zeuxidami filius in matrimonium accepit, ab ipso Leutychide datam.

72. At ne Leutychides quidem ipse Spartae consenuit, sed has quasdam poenas Demarato rependit: In expeditione Thessalica dux Lacedaemoniorum quum omnia subiugandi potestatem haberet, multum pecuniae per corruptelam dono accepit, ipsaque in re deprehensus ibi in castris, quum sederet utraque manu pecuniam tenens, in iudicium delatus e Sparta profugit, domusque eius excisa fuit: et Tegeae, in quam profugerat, mortem obiit. Sed haec insequenti tempore acta sunt.

73. Tunc autem Cleomenes, quum sibi res in Demaratum bene cessisset, assumpto protinus Leutychide, contendit adversus Aeginetas, maiorem in modum illis

propter ignominiam infensus. Ita et Aeginetae utrique regis contra se adventu non repugnandum iam sibi esse putaverunt, et isti quum elegissent viros decem, divitiis ac genere Aeginetarum eminentissimos duxerunt, cum alios, tum Crium Polycriti, et Casambum Aristocratis filium, qui plurimum habebant potentiae. Eos in Atticam adductos, penes inimicissimos Aeginetis Athenienses deposuerunt.

74. Post haec Cleomenes, iam manifestus maleficii in Demaratum perpetrati, quum eum subiisset metus Spartiatarum, in Thessaliam subterfugit: atque illinc in Arcadiam profectus, res novas moliebatur, sollicitans Arcadas adversus Spartam, adigensque eos, tum alio iurisiurandi genere ad se sequendum quocunque ipsos duceret; tum etiam in animo habebat primores illorum ad urbem Nonacrin ductos adigere ad iusiurandum per aquam Stygis. In hac ipsa autem urbe ab Arcadibus fertur esse Stygis aqua; et est videlicet talis aliqua. E petra aqua exigua quae apparet, stillat in vallem, in gyrum maceria praeceptam. Nonacris autem ubi fons hic visitur, urbs Arcadiae est ad Pheneon.

75. Talia molientem Cleomenem Lacedaemonii quum didicissent, timentes sibi ipsis, Spartam revocarunt eadem conditione, qua et ante regnabat. Sed eum reversum statim morbus insania excepit, iam etiam antea subinsanum: nam ut cuique Spartiatarum obvius erat, in eius faciem infligebat sceptrum. Haec illum facientem ac desipientem propinqui cippo illigaverunt. Qui custodem digressis aliis solum remansisse cernens, petiit ab eo gladium: custode abnuente dare ab initio, comminabatur quae mox ei faceret, donec minis conterritus custos, erat enim hilotarum quidam, gladium illi tradidit. Eo accepto, Cleomenes e tibiis incipiens sese truncabat. In longum namque discindens carnes, e tibiis ad femora processit, e femoribus ad coxarum vertebras atque ilia, quousque pervenit ad ventrem, in quo rescindendo sic exspiravit, ut quidem plerique Graecorum memorant, quia Pythiam corruperat ad ea dicenda, quae circa Demaratum acta sunt: ut autem soli Athenienses, quod adortus Eleusinem, fanum dearum fuerat depopulatus: ut Argivi, quia eos qui e pugna fugerant, Argivos ex Argi templo ipsorum abductos obtruncarat; et ipsum lucum irreverenter incenderat.

76. Cleomeni enim Delphis oraculum poscenti responsum fuerat eum Argos esse capturum: qui postea

quum ad flumen Erasinum copias Spartiatarum duxit, quod flumen e lacu Stymphalio manare fertur: hunc enim lacum in voraginem obscuram condi, et Argis rursus exorientem apparere, illincque iam eam aquam ab Argivis vocari Erasinum: ad hoc igitur flumen posteaquam pervenit, ei hostias immolavit, et quum laeta non essent exta de flumine transmittendo, dixit delectari se quidem Erasino, qui nollet prodere cives suos, non tamen vel sic Argivos gavisuros. Moxque illinc motis castris ad Thyream venit, et mari taurum quum mactasset, navibus copias ad regionem Tirynthiam ac Naupliam duxit.

77. Id audientes Argivi ad eos arcendos obviam tendunt ad mare. Et quum adventarent Tirinthem, in loco cui nomen inditum est Sipia, relicta non magna inter duas acies intercapedine, consederunt e regione Lacedaemoniorum. Neque vero illic pugnam ex aperto reformidabant, sed ne dolo caperentur: nam ad hanc rem attinebat oraculum, quod Pythia ediderat communiter eis atque Milesiis in haec verba:

Verum quando marem praevertet foemina victrix,
Inter et Argivos referet praelustris honorem:
Tunc Argivarum reddet plerasque gementes,
Ut venturorum aiat quis quandoque virorum,
Telo saevus obit sinuoso corpore serpens.

Haec omnia Argivis quum contigissent, metum incutiebant; ideoque eis visum est praecone hostium esse utendum. Quod quum decrevissent, sic egerunt, ut quoties praeco Spartiata quippiam Lacedaemoniis denunciaret, idem facerent ipsi.

78. Cleomenes autem animadvertens Argivos facientes quicquid suus praeco denunciasset, praecepit suis, ut quum praeco denunciaret prandendum, tunc raptis armis tenderent in Argivos. Hoc exequentes etiam Lacedaemonii, in Argivos e voce praeconis prandentes impetum faciunt, eorumque cum multos occiderunt, tum plures in lucum Argi fuga elapsos circumsederunt.

79. Qui dum asservantur, Cleomenes hoc sibi faciendum putavit: Sciscitatus quosdam quos secum habebat perfugas, misit praeconem ad evocandum nominatim eos Argivos, qui in luco praeclusi erant. Evocavit autem dicens se pro illis accepisse redemptionis pretia: est autem apud Peloponnenses redemtio in singulos captos viros, binae minae. In Argivorum quinquaginta, ut quisque evocatus fuerat, Cleomenes in-

primebat: quod faciens, latebat ceteros qui in fano erant, utpote denso luco interiecto, qui vetabat interiores cernere, quid illis foras eductis accideret; nisi postquam quidam conscensa arbore, quod fiebat inspexit: unde non amplius qui vocabantur prodiere.

80. Ibi Cleomenes iussit unumquemque hilotarum lucum materia circumdare, atque illis obtemperantibus, lucum incendit. Eoque iam ardente, percontatus est quendam perfugarum cuius deorum esset ille locus: perfuga, Argi esse respondit. Quo audito Cleomenes vehementer ingemiscens, O Apollo, inquit, vaticine, sane magnopere me frustratus es, dicens Argos esse capturum: coniicio iam exitum habuisse oraculum.

81. Post haec maiore copiarum parte Spartam redire permissa, ipse cum mille eorum delectis perrexit ad templum Iunonis sacrificaturus. Sed sacrificare super aram volens, quum a sacerdote vetaretur, negrante fas esse externo illic sacra facere, iussit hilotas abductum ab ara sacerdotem verberare et ipse immolavit: quo facto, Spartam abiit.

82. Reversum inimici ad ephoros citaverunt, crimini dantes quod pecunia corruptus, Argos, quum facile posset, non cepisset. Quibus respondit Cleomenes, incertum mihi vere an falso. Respondit igitur, posteaquam templum Argi cepisset, visum sibi esse dei evenisse oraculum, et proinde non prius tentandam urbem quam sacris operatus sciret, utrum sibi deus illam traderet, an impedimento esset. Sibi autem apud Iunonis templum litanti effulsisse flammam ignis e pectore simulacri: atque ita se intellexisse clare non expugnare Argos. Si enim e capite simulacri effulsisset, urbem vi caperet: quum vero e pectore illa exstitisset, id omne fuisse confectum quod deus confici voluisset. Haec dictans, credenda ac probabilia Spartiatis dicere visus est, multoque maiore parte sententiarum absolutus.

83. Ceterum Argos ita viris desolatum est, ut servi eorum res omnes susceperint, atque magistratus administrarint, dum filii caesorum ad puberem adolevere aetatem, qui urbem in suum ius rursus redigentes, mancipia eiecerunt. Servi autem eiecti proelio Tirynthem obtinuere. Aliquamdiu quidem igitur fuit in eis mutua benevolentia; sed postea ad eos venit vates quidam Cleander, genere Phigalensis ab Arcadia, is persuasit servis ut dominos adorirentur: unde bellum inter eos diuturnum exstitit, donec Argivi aegre evasere victores.

84. Ob haec aiunt Argivi Cleomenem ad insaniam redactum, male periisse. Ipsi autem Spartiatae negant ab ullo daemonio Cleomenem ad insaniam redactum, sed conversatione Scytharum, meribibam esse factum, et inde furiosum. Scythas enim Nomades, post illatum sibi a Dario bellum, ad illum ulciscendum perstitisse, missisque Spartam nunciis ad societatem faciendam, ita pepigisse, ut oporteret ipsos quidem Scythas iuxta flumen Phasin conari Medicam regionem invadere, Spartiatas vero iussisse ab Epheso exorsos ascendere, et deinde in idem occurrere. Cum iis Scythis qui ad hoc missi sunt, consuetudinem habuisse Cleomenem aiunt, atque plus nimio familiarem didicisse potationem meri; seque ob id eum insanisse arbitrari. Unde etiam, quoties intemperantius bibere volunt, aiunt, Episcythison, adde Scythicum. Ita de Cleomene referunt Spartiatae. Mihi vero videtur ille has poenas Demarato pependisse.

85. Eum vero esse defunctum ubi audivere Aeginetae, Spartam nuncios misere, exprobraturos Leutychidae de obsidibus, qui Athenis tenerentur. His Lacedaemonii, iudicio habito, multum iniuriae a Leutychide illatum esse censuerunt, hominemque dedendum, quem illi Aeginam deportarent pro iis qui Athenis tenerentur. Hunc quum essent ducturi Aeginetae, tunc ad eos Theasides Leoprepis filius, vir Spartae probatus, Quid, inquit, viri Aeginetae, facere vultis? regemne Spartiatarum deditum a suis civibus ducere? Si nunc prae iracundia Spartiatae ita decreverunt, ut ne quod exitiale malum posthac in vestram regionem, si hoc feceritis, inferant. His auditis Aeginetae ab illo ducendo supersederunt, hac tamen conditione, ut secum profectus Athenas Leutychides redderet sibi viros qui illic depositi essent.

86. Ubi Athenas venit Leutychides, ac depositum repoposcit, Athenienses, ut qui reddere nollent, tergiversari, quod dicerent duos in deponendo reges fuisse, ideoque iniquum esse id alteri sine altero reddi. Quibus negantibus se reddituros, Leutychides, Facite, inquit, Athenienses utrum ipsi vultis: si reddetis, sancto facturi; e contrario, si non redditis. Qualis autem res circa depositum contigerit Spartae, volo referre. Dicimus nos Spartiatae, fuisse in urbe Lacedaemone tertia abhinc aetate Glaucum Epicydis filium, qui cum aliis summis laudibus excellebat, tum iustitia audiebat optime super omnes, qui per id tempus Lacedaemonem incolebant. Et huic praecedente tempore contigisse, ut

vir Milesius Spartam venerit hominis conveniendi gratia, atque haec prae se tulerit, Milesius sum, qui ad tuam, Glauce, fruendam iustitiam venio. Nam quum esset tuae iustitiae fama celebris cum per omnem aliam Graeciam, tum vero per Ioniam, apud memetipsum ratiocinatus sum, Ionia quidem semper obnoxia periculis est, Peloponnesus autem tuto fundata, et quod nuspiam videre licet eosdem habere pecunias. Haec reputanti mihi atque consultanti visum est dimidium mei census in pecuniam reductum deponere penes te, quod probe intelligo haec penes te deposita mihi salva fore: tu vero has mihi pecunias accipe, et has notas, quas una custodi; quas notas, quisquis habens reposcet pecuniam, ei reddito. Haec hospes qui Mileto venerat dixit; atque ea conditione depositum Glaucus accepit. Multo deinde tempore interiecto filii eius, qui pecuniam deposuerat, Spartam veniunt, Glaucum conveniunt: exhibitisque notis pecuniam reposcunt. Ille enimvero repellere, atque his verbis e contrario respondere, Neque istius rei quicquam reminiscor, neque ad me pertinet de illis scire quae dicitis. Volo tamen reminiscens, quicquid iustum fuerit facere, et, si accepi, iure optimo reddere; sin omnino non accepi, Graecorum legibus in vos utar. Ad quod confirmandum praestituo vobis tempus hinc ad quatuor menses. Ita Milesii deplorantes casum suum, discessere tanquam fraudati pecunia: et Glaucus Delphos se contulit ad oraculum consultandum. Qui consultanti, an iureiurando pecuniam praedaretur, Pythia respondit his versibus,

Glauce Epicydide, sane expedit ad breve tempus
Iurando vicisse, intervertisseque nummos.
Iura: iurandi memorem quia mors quoque tollit.
Iurandi tamen est natus sine nomine, nullis
Et manibus pedibusque, citusque supervenit, omnem
Corripiens, donec tulerit subolemque domumque:
Postera iurandi memorem sed laudat origo.

His auditis Glaucus veniam sibi eorum, quae dixisset, ut daret, deum obsecrabat. Cui Pythia inquit, idem pollere, tentare deum et facere. Tunc Glaucus accitis Milesiis hospitibus pecuniam reddidit. Cur autem, o Athenienses, haec oratio apud vos institui coeperit, dicetur: Glauci nunc neque ulla superest suboles, neque domus ulla quae Glauci censeatur; sed ex Sparta radicitus extrita est. Ita bonum est, nihil aliud de deposito

sito cogitare, quam ut repetentibus reddatur. Leutychides haec loquutus, quum nihilo magis ab Atheniensibus audiretur, discessit.

87. At Aeginetae priusquam superiorum iniuriarum, quas Atheniensibus intulerant gratificantes Thebanis, darent poenas, haec fecerant. Quum Atheniensibus succenserent, et sibi ab illis iniuriam fieri arbitrarentur, se ad castigandos eos apparabant. Erat autem Atheniensium in Sunio quinqueremis: hanc igitur Aeginetae locatis insidiis navem, ad sacra mitti solitam, intercepere, plenam primoribus Atheniensium, virosque captos alligavere. Haec ab Aeginetis passi Athenienses non amplius differendum putaverunt, quin omnia in illos excogitarent.

88. Erat igitur nomine Nicodromus Cnoethi filius, in Aegina vir spectatus: hic vituperans Aeginetas quoniam antea se ex insula eiecerant: tum vero cognito Athenienses esse animatos ad nocendum Aeginetis, composuit cum illis de prodenda Aegina, statuens certum diem, quo esset rem aggressurus ipse, et illos oporteret venire subsidio. Atque ita excomposito urbem quae vocabatur occupat.

89. Sed Athenienses ad constitutum non adfuerunt, quia ipsis classis par ad pugnandum Aegineticae non erat comparata. Dum igitur a Corinthiis commodari sibi naves rogant, interim res corrupta est. Corinthii autem per id tempus Atheniensibus amicissimi dedere rogantibus naves viginti, sed dedere vendentes singulas quinis drachmis: quoniam eas dono dare vetabantur lege. His acceptis Athenienses, et suis instructis in summam septuaginta numero, in Aeginam navigaverunt, perveneruntque postridie eius diei, qui erat destinatus.

90. Qui quum ad diem non adessent, conscenso navigio Nicodromus ex Aegina profugit, aliis nonnullis Aeginetarum eum comitantibus, quibus Athenienses Sunium incolendum dederunt. Unde isti prodeuntes, eorum, qui in insula erant, Aeginetarum res ferebant et agebant: sed haec posterius acta sunt.

91. Ceterum proceres Aeginetarum superata plebe quae una cum Nicodromo tumultum in ipsis fecerat, mox eos quos ceperant, ad necem educebant. Unde piaculum admisere, quod nullo sacrificio expiare potuerunt, quum id sedulo facerent, praeoccupatique, prius ex insula sunt deiecti, quum sibi deam propitiarent: nam quum septingentos e plebe quos vivos ceperant, ad necem educerent, unus eorum e vinculis elapsus fu-

git ad Cereris legiferae antefores, eiusque ansis prehensis adhaerebat: quem illi quum avellere, quod tentabant, non possent, abscissis viri manibus ita duxerunt, quae manus ansis consertae manserunt.

92. Sic in se ipsis consuluerunt Aeginetae. Mox classe septuaginta navium cum Atheniensibus, qui supervenere, congressi superantur. Victi navali praelio, eosdem quos prius Argivos in auxilium vocaverunt: sed illi noluere eis amplius auxilio esse, causati quod et naves Aeginaeae per necessitatem sumptae a Cleomene oram Argolidem tenuissent, et cum Lacedaemoniis in terram descendissent, ut nonnulli quoque e Sicyoniis navibus descenderunt in illa ipsa expeditione. Quo nomine utrisque mulcta ab Argivis iniuncta est mille talentorum, quorum quingena quisque populos solveret: sed quum Sicyonii suam culpam agnoscentes, centum talentis cum Argivis decidissent, Aeginetae ne agnoscere quidem culpam voluere: erant enim superbiores. Eapropter rogantibus eis nemo amplius Argivorum publice auxilium tulit, sed voluntariorum circiter mille, duce quodam, cui nomen erat Eurybates, quinquertionem adeptus: quorum plures non remeavere, sed in Aegina ab Atheniensibus occubuere. Et ipse dux Eurybates singulari certamine ter victor, quarto sub Sophane Decelensi oppetit.

93. Verum Aeginetae sua classe adorti incompositos Athenienses superavere, eorumque naves quatuor cum omnibus viris cepere. Et Athenienses quidem bellum cum Aeginetis contraxerant.

94. Persa autem quae ipsius partes erant, exequebatur, cum famulo assidue in memoriam redigente ut reminisceretur Atheniensium, tum Pisistratidis assidentibus Atheniensesque criminantibus; tum cupiditate per hunc praetextum quo nixus erat, subigendi in Graecia illos, quicunque sibi terram et aquam denegassent. Itaque Mardonium, qui male rem navalem gesserat, praefectura amovit, aliosque designatos duces adversus Eretriam et Athenas misit, Datin genere Medum, et Artaphernem Artaphernis fratris sui filium, datis mandatis, ut Athenas atque Eretriam penitus diriperent, et mancipia in conspectum sibi ducerent.

95. Postquam hi duces declarati, ab rege digressi, ad campum Ciciliae Aleium devenere cum ingenti pedestri ac bene instructo exercitu, ibi castris positis su-

pervenerunt nauticae copiae omnes, ut singulis erant imperatae: ad haec equos vehentes naves, quas superiore Darius anno mandaverat tributariis suis parandas. Quum has oneravissent equis, atque terrestri exercitu navibus imposito, sexcentis cum triremibus in Ioniam contenderunt. Hinc non secundum continentem recto cursu, Hellespontum et Thracium versus navigabant, sed e Samo unde solverant, iuxta Icarium, interque insulas vehebantur: praecipue quidem, ut ego sentio, metu circumnavigandi Athon, quia cursum superiori anno illac peragentes, magnam iacturam fecerant; sed et coacti propter Naxon, quam antea non ceperant.

96. Ad quam posteaquam ex Icario pelago appulsi sunt, in hanc enim ut primum copiae ducerentur, Persae urgebant, Naxii memores priorum, fuga se in montes concitaverunt, non ausi resistere. Eorum autem, quos adepti sunt Persae, quum in servitutem rapuissent, delubra atque urbem incenderunt. His actis ad ceteras insulas appellunt.

97. Haec dum isti agunt, Delii relicta et ipsi Delo fuga Tenum abeunt. Eo tendentes naves praecedens, Datis non sinebat ad insulam habere stationem, sed trans eum ad Rhenaeam. Et simul cognito ubi Delii essent, misso caduceatore his eos verbis affatus est, Viri sacri, quid fugientes abitis, non pro merito de me male opinantes? Ego enim et ipse etiam talia intelligo, et a rege iussus sum, qua in regione duo dii geniti sunt, nequid aut eam regionem aut eius incolas laedam. Et nunc igitur abite ad vestra ipsorum, et colite insulam. Haec Deliis per caduceatorem dixit: mox trecenta thuris talenta super aram aggesta adolevit.

98. His actis Datis adversus Eretriam primum navigavit, simul omnem exercitum, simul Iones pariter atque Aeolenses ducens. Statimque ab illius inde digressu Delos tremuit, ut Delii aiebant, et primum et postremum ad meam usque aetatem mota, deo mala ventura hominibus per hoc prodigium portendente. Nam sub Dario Hystaspis, et Xerxe Darii, et Artaxerxe Xerxis filio, tribus iis deinceps aetatibus plus malorum passa est Graecia, quam viginti aliis aetatibus, partim a Persis, partim ab ipsis primoribus de principatu bellantibus: ut non ab re Delos mota sit, prius immobilis; de qua etiam in oraculo ita scriptum erat,

Et Delon, quamvis sit adhuc immota, movebo.

Et sane in Graeca lingua pollent haec nomina, Darius, idem quod coërcitor; Xerxes, idem quod martius: Artaxerxes, idem quod magnus bellator. Hos igitur reges ita recte Graeci ex suo sermone vocaverint ἐρξείης, Ἀρήϊος μέγας Ἀρήϊος.

99. Barbari, postquam a Delo ad insulas profecti sunt, sumebant illinc tum copias, tum liberos insulanorum obsides. Ut vero insulas praeternavigantes, Carystum appulerunt, Carystique negarunt se vel obsides dare vel militare adversus vicinas civitates, Athenas et Eretriam significantes, Carystii tunc obsessi sunt, eorumque ager vastatus, donec in deditionem Persarum venerunt.

100. Eretrienses autem audito Persarum exercitum adversus se venire, auxilia ab Atheniensibus imploravere. Quibus non deneganda auxilia rati Athenienses, concesserunt subsidio illis ea quatuor millia hominum, qui sorte Chalcidensium equos alentium obtinuerant praedia. Sed Eretriensium haudquaquam sincerum erat consilium, qui tametsi arcessebant Athenienses, tamen ancipiti sententia vacillabant; quibusdam eorum censentibus urbem deserendam, et in promontoria Euboeae eundum; quibusdam, qui privata lucra a Persis expectarent, proditionem molientibus. Horum utrorumque animos animadvertens Aeschines Nothonis filius, Eretriensium primarius, patefecit Atheniensibus omnem praesentium rerum statum, oravitque ut domum abirent, ne una cum illis occumberent. Haec consulenti Aeschini obtemperantes Athenienses, illinc in Oropum transgressi, salutem sibi pepererunt.

101. At Persae eo advecti, naves orae Eretricae ad fanum et Choereas et Aegilia applicuerunt: potitique his locis, continuo equos exposuere, et tanquam cum hostibus conflicturi se instruxere. Adversus quos non decreverunt Eretrienses sibi esse prodeundum; sed quandoquidem sententia de urbe non deserenda evicerat, dabant operam ut moenia custodirent. Adorientibus autem ea Persis, acri pugna per sex dies certatum est: multisque utrimque cadentibus, septimo die Euphorus Alcimachi filius, et Philagrus Cyneae, inter populares suos viri spectati, urbem hostibus prodidere. Quam ingressi Persae, templa postquam spoliavere, incenderunt, in ultionem eorum templorum, quae Sardibus deflagraverant, hominibus jussu Darii in servitutem redactis.

102. Petiti Eretria, et paucos illic dies morati, in Atticam navigaverunt, tum acriter se coërcentes, tum rati idem se illaturos Atheniensibus quod Eretriensibus intulissent: etenim erat locus Atticae Marathon ad equitandum opportunissimus, et proxime Eretriam; ideo huc illos Hippius Pisistrati filius deducebat.

103. Eodem Athenienses et ipse re audita, ad vim arcendam processerunt, decem praefectis sibi ducibus: quorum decimus erat Miltiades, cuius patrem Cimonem Stesagorae filium, ut fugeret ex Athenis Pisistratum filium Hippocratis coëgerat casus, et dum exul erat, obtinere palmam Olympicam quadriiugo certamine contigerat: quam victoriam muneris gratia transtulit in Miltiadem fratrem uterinum: proximaque Olympiade eisdem equabus iterum vincens concessit Pisistrato, ut renunciaretur, et sic victoria in hunc translata reddit in domum suam reconciliatus; idemque quum eisdem equabus aliam Olympiadem vicisset, a filiis Pisistrati interfectus est, non iam vivo Pisistrato. Interfecerunt autem eum ad Prytaneum noctu summissis percussoribus, sepultusque ante urbem trans viam, quae per Coelam vocatur: et e regione eius sepultae sunt equae illae, quae tres Olympicas victorias reportarent. Idem quod istae, iam aliae equae fecerant, quae fuerunt Evagorae Laconis: aliae praeterea nullae. Per idem tempus maior natu filiorum Cimonis Stesagoras, apud Miltiadem patruum in Chersoneso educabatur: minor autem apud ipsum Cimonem Athenis erat, nomen habens Miltiades a Miltiade Chersonesi conditore.

104. Hic igitur Miltiades e Chersoneso tunc profectus, dux Atheniensium erat, e duplici caede elapsus; nam simul eum Phoenices usque ad Imbrum persequuti, in magno negotio habebant capere hominem, ut ad regem perducerent; simul ab iis elapsum; et domum suam reversum, ac se salvum esse existimantem, inimici sui inde exceperunt, et iudicio subiecerunt, accusantes occupatae in Chersoneso tyrannidis. Sed et hoc reatu liberatus, ita suffragiis populi dux Atheniensium declaratus est.

105. Duces autem quum adhuc in urbe essent, ante omnia praeconem Spartam mittunt Phidippidem, illum quidem Atheniensem, sed diurnum cursorem et id ipsum medicantem. Huic Phidippidi, ut ipse dicebat, et Atheniensibus renunciavit, circa Parthenium montem, qui supra Tegeam est, obvius fuit Pan: compellatoque nominatim Phidippide, iussit nunciari Atheniensibus, quid

ita illi nullam gererent curam sui, qui ipsis bene nunc vellet, quique iam saepenumero de eis bene meritus fuisset atque etiam futurus esset. His verbis fide habita, Athenienses, quando eorum tandem status erat bene constitutus, extruxerunt sub arce templum Panis; illique annuis sacrificiis ex quo nuncium accepere, sacrificant, et lampadis cursu supplicant.

106. Tunc autem Phidippides hic a ducibus missus, quando sibi dixit etiam Pana apparuisse, secundo die postquam Atheniensium urbe exivit, Spartam pervenit, adiensque magistratus, Lacedaemonii, inquit, orant vos Athenienses ut sibi opem feratis, nec civitatem inter Graecos vetustissimam negligatis, in discrimen adductam, ut barbaris serviat. Etenim Eretria direpta est, insignique civitate Graecia imbecillior reddita. His mandatis a Phidippide expositis, placebat quidem Lacedaemoniis opem ferre Atheniensibus: sed id sibi impossibile confestim facere erat, nolentibus legem rumpere; nam erat nonus dies stantis mensis, quo die negabant se progressuros, orbe lunari non impleto. Et isti quidem plenilunium expectabant.

107. Hippiae autem Pisistrati filio, qui barbaros in Marathonem ducebat, visum hoc in somnis superiore nocte oblatum est: Videbatur sibi Hippias cum matre concumbere. Quo ex somnio coniectabat fore, ut reversus Athenas, ac recepto dominatu senex domi suae obiret. Hunc in modum interpretabatur visum suum. Tunc autem ducis officio fungens, partim mancipia Eretriensia in insulam Styreorum, nomine Aegileam, deportat; partim naves ad Marathonem appulsas ipse in stationibus locat; sed et barbaros in terram egressos disponit. Ei talia administranti contigit sternutatio, tussisque solito vehementior; unde, concussis eius, utpote senis, plerisque dentibus, unus illorum ex violentia tussiendi excussus est, et in arenam delapsus: qui magna adhibita ad inveniendum diligentia, quum tamen non appareret, suspirans Hippias, ad eos qui aderant ait, Haec terra non est nostra, nec eam poterimus nobis subiectam efficere; quanta autem pars ad me pertinebat, dens obtinet.

108. Ita Hippias ista visione interpretabatur se defunctum esse. Atheniensibus autem apud Herculis fanum instructis supervenere auxilio Plataeenses omni cum populo; quippe qui sese Atheniensibus dediderant, et pro quibus frequentes iam labores susceperant Athenienses. Dediderant autem sese hoc modo: Quum a

Thebanis premerentur Plataeenses, primum Cleomeni Anaxandridae atque Lacedaemoniis qui intervenerant, sese dediderant; a quibus tamen recepti non sunt, hac oratione utentibus: a nobis qui procul habitamus, frigidum quoddam fuerit vobis auxilium: nam priusquam nostrum quicquam audiat, possitis occupati ab hostibus saepe expugnari. Suademus autem, ut vos ipsos Atheniensibus dedatis, vicinis pariter et ad tutandum non invalidis. Hoc Lacedaemonii non tam consulebant Plataeensibus quod eis bene vellent, quam quod optarent Athenienses defatigari Boeotorum bello. Id suadentibus Lacedaemoniis non adversati Plataeenses, aditis Atheniensibus, dum rem divinam duodecim diis faciunt, eis ad aram suppliciter sedentes sese dediderunt. Adversus quos Thebani re audita exercitum duxerunt, in eorumque auxilium Athenienses venerunt. Sed consertum proelium Corinthii non neglexerunt; verum occurrentes reconciliandi gratia, utrorumque permissu regionem hunc in modum terminarunt, ut Thebani eos Boeotos qui nollent inter Boeotos censeri, sinerent facere quod vellent. Hoc ubi decrevere Corinthii, abscessere. Abscedentes quoque Athenienses aggressi Boeoti sunt, sed commissa pugna repulsi: unde Athenienses transgressi quos Corinthii statuerant Plataeensibus terminos, illos dico excedentes, Asopum ipsum statuerunt limitem esse Thebanis versus Plataeenses et Hysias. Ergo Plataeenses Atheniensibus sese quum dedidissent eo quo dixi modo, ad Marathonem tunc auxilio venerunt.

109. Erant autem in Atheniensium ducibus ancipites sententiae, aliis vetantibus fieri proelium: paucos enim se esse, ut cum Medis confligerent; aliis, quorum erat Miltiades, ad pugnandum hortantibus. Itaque quum separarentur, et deterior sententia vinceret, ibi Miltiades Callimachum Aphidnaeum adiit, tunc forte polemarchum, belli principem: qui magistratus per fabae sortitionem electus in ferendo suffragio undecimus est: nam quondam Athenienses vi sententiae parem ducibus faciebant polemarchum. Ad hunc Miltiades; In te, inquit, nunc, Callimache, situm est, utrum in servitutem Athenae redigantur, an tu eas liberando memoriam tui in omne aevum relinquas, qualem ne Harmodius quidem atque Aristogiton reliquerunt. Nam Athenienses nunc in maximum omnium ex quo fuerunt veniunt discrimen: qui si Medis succumbant, palam est quae passuri sint, traditi Hippiae: sin autem superent, poterit haec civitas urbium Graeciae effici prima. Quo

autem pacto haec fieri possint, et, quomodo ad te harum rerum arbitrium redeat, nunc exponam. Nostrae, qui duces sumus numero decem, divisae sunt sententiae de proelio committendo: aliis id suadentibus, aliis dissuadentibus. Qui nisi proelium committimus, vereor ne magna existat seditio, quae mentem civium sollicitet ad sentiendum cum Medis: sin pugnamus antequam aliquid putre in nonnullis Atheniensium existat, possumus diis aequis cum victoria discedere. Haec omnia ad te tendunt, et abs te dependent: qui si meae sententiae accesseris, est et tibi patria libera, et civitas Graecarum omnium princeps: sin accesseris consilio dissuadentium pugnam, eorum quae recensui bonorum tibi contraria existent.

110. Haec dicens Miltiades Callimachum induxit. Ita accedente sententia polemarchi, obtentum est, ut confligeretur. Post haec ii duces, quorum sententia de confligendo fuerat, ut cuiusque dies imperitandi venerat, vicem suam Miltiadi dabant: quam ille accipiens, non tamen prius decertandum putavit, quam sua dies imperii advenit.

111. Itaque ubi vices eius fuere, tunc Athenienses hunc in modum instructi sunt ad confligendum: Dextro cornu praeerat Callimachus polemarchus: ita enim lex apud Athenienses tunc postulabat, ut polemarchus dextrum cornu teneret. Hoc duce sequebantur deinceps ceterae tribus, ut quaeque ordine erat, iunctim cohaerentes. Novissimi autem sunt collocati Plataeenses, sinistrum cornu tenentes. Quo factum est, ut ab huius pugnae tempore, quoties Athenienses offerunt hostias apud sacros populorum conventus, qui quinto quoque anno fiunt, Athenienses praeco precetur bona Atheniensibus pariter et Plataeensibus. Igitur Atheniensium acie tunc apud Marathonem instructa exstabat tale quid. Acies aequata aciei Medicae in medio paucis constabat ordinibus, ideoque illic maxime debilis acies; utroque autem in cornu per multitudinem validior.

112. Posteaquam vero structa est, ac sacrificium litavit, Athenienses ubi fuerunt emissi, cursu in barbaros tendunt: erat autem inter utramque aciem non minus octo stadiorum intercapedinis. Quos cursu ferri in se videntes Persae, aptabant se tanquam illos excepturi: insaniae eorum dantes et perniciem omnium praedicentes inde, quod cernerent eos cursu tendere, quum pauci essent, et nec equitatu nec sagittis freti. Hoc ita

barbari auspicabantur: at vero Athenienses, posteaquam conferti admixti sunt barbaris, pugnam memoratu dignam edebant. Quippe primi omnium Graecorum, quos ipsi novimus, cursu in hostem usi sunt, ac primi sustinuerunt cernere Medicam vestem et viros ea indutos: quum antehac vel audire nomen Medorum Graecis terror fuisset.

113. In Marathone quum diu pugnatum esset, barbari circa mediam aciem vincebant, ubi Persae stabant et Sacae; ibi ergo vincentes barbari eamque perrumpentes, hostem in mediterranea persequebantur: at in utroque cornu vincentes Athenienses Plataeensesque, barbaris, qui terga dederant, fugam liberam dantes, contraxerunt utraque cornua, et cum iis, qui mediam ipsorum aciem perfregerant, dimicantes, quum superassent, fugientes Persas urgebant caedebantque, donec ad mare pervenientes, petito igne naves corripuere.

114. Quo in certamine Callimachus polemarchus interficitur, egregia navata opera. Occubuit quoque e ducibus Stesileus Thrasyli, et Cynaegirus Euphorionis filius, qui illic aplustre navis apprehendens, abscissa manu securi cecidit: nec non alii Athenienses multi et clari.

115. Ac septem quidem naves obtinuerunt Athenienses hoc modo: navibus ceteris barbari inhibuerunt, receptaque praeda Eretriensi ex insula ubi reliquerant, circumvecti sunt Sunium, animo praevertendi Athenienses, ut in ipsam urbem venirent; quod consilium eos excogitavisse apud Athenienses in crimen coniecit Alcmaeonidas ex eo, quod ex composito Persis iam in naves redactis scutum ostenderint.

116. Dum illi Sunium circumvehuntur, Athenienses e vestigio abeuntes celerrime ad ferendam urbi opem properarunt, barbarosque eodem tendentes praeverterunt: progressique ex Herculis templo, quod est in Marathone, in aliud Herculis fanum, quod est in Cynosargi, castra posuerunt. Barbari, quum classe Phalerum superassent, hic enim Atheniensium navale tunc erat, super eum locum ad ancoras suspensis navibus morati, rursus in Asiam abierunt.

117. Quorum in hac pugna apud Marathonem pugnata occubuere circiter sex millia et quadringenti: Atheniensium vero, centum nonaginta duo: tot ex utrisque cecidere. In qua pugna haec res mira contigit, ut Atheniensis quidam Epizelus Cuphagorae filius, dum stans in acie pugnat strenue, luminibus caperetur, ne-

que saucius ulla parte corporis, neque eminus ictus; atque ita caecus in reliquum vitae tempus permanserit. Quem audivi dicere solitum de sua clade, visum sibi esse obsistere virum armatum, procero corpore, cuius barba omnem clypeum inumbraret: et hoc spectrum praeter ipsum quidem ivisse, sed illum qui sibi assisteret occidisse. Haec Epizelum solitum commemorare audivi.

118. Porro Datis in Asiam cum classe rediens, ubi Myconum tenuit, vidit in somnis visum: id tamen quod fuerit, non traditur: sed ubi primum dies illuxit, naves rimatus est; compertoque in navi Phoenissa simulacro Apollinis inaurato, sciscitatus est, unde sublatum esset: et ubi audivit ex quo templo foret, navigans sua navi Delum, iam enim Delii in insulam redierant, ibi simulacrum in templo deposuit, praecepitque Deliis, ut illud in Delium Thebanorum referrent, quod est ad mare e regione Chalcidis. Hoc ubi praecepit Datis, vela illinc fecit. Delii tamen hanc statuam non reportaverunt, sed vicesimo post anno eam Thebani ex oraculo in Delium tuerunt.

119. Datis autem et Artaphernes, posteaquam in Asiam navigavere, captivos Eretrienses Susa perduxere: quos Darius rex, etsi in eos ante captivitatem bilem contraxerat acerbam, quod priores coepissent iniuste agere, tamen ut in conspectum suum abductos vidit ac sibi subiectos, nullo alio malo affecit, sed in suo Cissiae regionis stathmo collocavit, cui nomen est Ardericca: ducentis ac decem stadiis procul a Susis, quadraginta a puteo qui exhibet triplices rerum species: nam ex eo bitumen et sales et oleum hauriunt, ad hunc modum. Hauritur quidem tollenone: pro situla autem, dimidiatus uter ei est alligatus; quo in puteum decusso hauritur, et mox in cisternam diffunditur, atque hinc alio effusum, triplici varietate concrescit: bitumen quidem et sales protinus; oleum autem, quod Persae rhadinacen appellant, in vasa colligunt: est autem atrum ac graviter olens. Hoc loco rex Darius locavit Eretrienses, quem ad meam usque memoriam tenuere, servantes pristinam linguam. Quod ad Eretrienses attinet, ita habet.

120. Ceterum post plenilunium duo millia Lacedaemoniorum Athenas venerunt, tanta festinatione adipiscendi hostem, ut triduo quam ex Sparta discessere, in Atticam pervenerint: et licet serius post pugnam venissent, tamen intuendi Medos cupidi ad illos intuendos

in Marathonem perrexerunt. Deinde laudatis Atheniensibus et eorum facinore, rursus redierunt.

121. Tenet autem admiratio me, nec rationem inire possum, Alcmaeonidas unquam Persis ex composito ostentasse clypeum, quod vellent Athenienses barbaris atque Hippiae subesse: quippe quos constat vehementiore aut simili odio in tyrannos fuisse, quam fuit Callias Phaenippi, pater Hipponici: nam Callias cum alia omnia in Pisistratum inimicissime commentus est, tum vero solus Atheniensium omnium illius Athenis eiecti quum publice sub praecone venderentur bona, emere ausus est.

122. Cuius Calliae mentionem crebro plerique omnes habere debent cum ob ea quae dicta sunt, ut viri summopere patriam liberantis, tum ob haec quae in Olympia fecit: nam et in equorum cursu palmam obtinuit, et in quadrigario fuit secundus: et in ludis Pythiis quum primas obtinuisset, in universos Graecos sumptuosissimus exstitit: tum ob id quod talem se in filias suas quae tres fuerunt, exhibuit: nam posteaquam nubiles exstitere, eis magnificentissimum munus dedit et gratificatus est, ut quem sibi unaquaeque vellet ex omnibus Atheniensibus, eum deligeret: atque ita eum illi nuptum dedit.

123. At Alcmaeonidae aut perinde aut nihil minus quam Callias, perosi tyrannos fuere. Quo maior me admiratio subit, minusque admitto criminationem, eos clypeum Persis ostentasse, qui per omne tempus tyrannidis in exilio vixerunt, et quorum astutia Pisistratidae tyrannidem dereliquerunt: atque ita multo magis Athenarum liberatores exstiterunt illi meo iudicio, quam Harmodius et Aristogiton. Illi enim Hipparcho interempto, non tam ceteros Pisistratidas ab affectanda tyrannide represserunt, quam asperaverunt: Alcmaeonidae autem ex aperto Athenas liberaverunt, si modo ipsi fuere qui Pythiae persuasere, ut imperaret Lacedaemoniis Athenas liberare, quemadmodum superius a me commemoratum est.

124. At enim propter aliquam causam forsitan succensentes Atheniensi populo patriam prodiderunt? Imo nulli erant viri illustriores eis inter Athenienses, neque qui magis essent honorati. Ita neque ratio probat clypeum ab his esse ostensum ob talem causam. Nam certe ostensus fuit clypeus, idque non licet aliter dicere: factum est enim: sed quis tamen ostenderit, nequeo ulterius dicere, quam dixi.

125. Quamquam Alcmaeonidae iampriden exstiterant Athenis clari sane: sed ab Alcmaeone atque etiam Megacle exstiterunt omnino splendidissimi. Etenim Alcmaeon Megaclis filius, iis Lydis, qui Sardibus a Croeso Delphos ad oraculum ierant, administrum se praebuit, eosque comiter accepit. Cuius erga se beneficentiam Croesus a Lydis ad oracula euntibus quum audisset, hominem Sardes arcessivit, et ubi advenit, eum donavit tanto auro quantum semel corpore suo efferre posset. At [illegible]m doni conditionem Alcmaeon hanc astutiam attulit: pergrandem tunicam amictus, ingenti in ea sinu relicto, cothurnisque quos latissimos reperit calceatus, ad thesaurum perrexit, ad quem illi ducebant. Ibi in acervum ramentorum procumbens, primum quidem praeter tibias, quantum auri capiebant cothurni, infersit: deinde omnem sinum implens atque etiam crines ramentis perspargens, et parte in os desumpta, e thesauro processit, aegre trahens cothurnos, cuivis alteri rei quam homini similior: cujus et eos turgidum erat, et omnia exporrecta. Id cernens Croesus, in cachinnumque erumpens, ea omnia illi donavit: nec minora his alia dona dedit. Ita domus haec vehementer locupletata est, et sic Alcmaeon iste quadriiugos equos alens, vicit Olympia.

126. Sed eam deinde secunda aetate Clisthenes Sicyonius tyrannus extulit, ut multo magis quam prius inter Graecos celebris exstiterit. Erat enim Clistheni Aristonymi filio, Myronis nepoti, Andrei pronepoti, filia nomine Agarista: quam pater destinabat nuptum dare ei quem praestantissimum Graecorum omnium comperisset. Quum igitur ludi Olympiaci celebrarentur, et eis Clisthenes curriculo quadrigae victor exstitisset, exclamari iussit voce praeconis, ut quisquis sese dignum putaret, qui Clisthenis gener esset, is ad sexagesimum diem aut prius, Sicyone praesto foret, quod Clithenes intra annum a sexagesimo die incipiens, exequi nuptias destinasset. Itaque Graecorum illi, qui et sua ipsorum et patriae claritate arroganter erant, eo proci contenderunt: Quos Clisthenes et spatio currendi et palaestra ad certandum praeparata detinebat.

127. Ex Italia illuc se contulit Smindyrides Hippocratis filius Sybarita, qui unus vir in delicias plurimum processerat: florebat autem maxime Sybaris ea tempestate: et Damas Samyris filius, eius qui sapiens appellabatur Sirites: et hi quidem ab Italia venerunt. Ab Ionio autem sinu Amphimnestus Epistrophi filius Epi-

damnius. Aetolus vero Males, frater Titormi illius, qui Graecos robore fuerat supergressus, et in extrema Aetoliae homines fugerat. E Peloponneso autem Leocedes Phidonis Argivorum tyranni filius, eius inquam Phidonis, qui mensuras Peloponnensibus statuit, longe omnium Graecorum insolentissimus; qui summotis Eliensium agonothetis ipse agonotheta exstitit in Olympia; necnon Amiantus Lycurgi filius Arcas, ex Trapezunte: et Laphanes Azenus, ex urbe Paeo, filius Euphorionis eius, qui ut in Arcadia fertur fama, in domum suam excepit Castorem et Pollucem, et ab eo in omnes homines hospitalis: et Onomastus Agaei filius Eleus. Isti quidem ex ipsa Peloponneso venerunt. Ex Atheniensibus autem, Megacles, Alcmaeonis eius filius, qui ad Croesum se contulerat: alter, Hippoclides, Tisandri filius, divitiis ac forma inter Athenienses praecipuus. Ex Eretria autem, quae per id tempus florebat, Lysanias: solus hic ab Euboea. E Thessalia vero a Scopadis Diactorides Crannonius. Ex Molossis autem Alcon. Tot proci fuere.

128. Qui quum ad diem praestitutam adfuissent, Clisthenes ante omnia patrias singulorum familiamque percontatur, deinde eos annum apud se detinens, exploravit uniuscuiusque et virilitatem, et mentem, et et eruditionem, et mores; nunc cum universis congrediens, et iuniores in gymnasia educens: praecipue tamen in convivio experiebatur: quandiu enim eos apud se tenuit, omnia fecit ac magnifice accepit. Sed ei inter procos praecipue cordi erant Athenienses: et illorum magis Hippoclides Tisandri filius, et strenuus esse iudicabantur, et quod eius maiores Cypselidarum fuissent in urbe Corintho propinqui.

129. Quum autem illuxit dies destinatus et accubitui nuptiali, et pronunciationi ipsius Clisthenis, quem ex omnibus legeret, mactatis centum bubus, in convivium tum ipsos procos, tum omnes Sicyonios accepit. Postea vero quam coenatum est, proci certamen de musica habebant, et de sermone, qui proferebatur in medium: procedente autem potatione, Hippoclides, quum longe alios detineret, iussit tibicinem sibi canere ἐμμέλειαν, id est, concinnum quoddam saltationis genus. Tibicine obsequente saltavit, sibi quidem placens, sed Clisthenes omnem rem cernens dissimulabat. Post haec aliquantulum interquiescens Hippoclides, iussit aliquam inferri sibi mensam: qua illata, primum super eam Laconicos saltavit modulos, mox alios Atticos: tertio su-

per mensam capite statuto, cruribus veluti manibus gesticulabatur. At cuius primam ac secundam saltationem, etsi aversabatur Clisthenes, Hippocliden adhuc generum sibi esse propter saltationem et impudentiam, tamen sese continebat, nolens in eum erumpere: at ubi vidit cruribus veluti manibus gesticulantem, iam se ultra continere non sustinens, inquit, Fili Tisandri, exaltasti sane matrimonium. Cui excipiens ille ait, Nulla cura Hippoclidae. Inde proverbium factum est.

130. Tunc Clisthenes silentio imposito, in medium haec protulit, Viri proci meae filiae, vos equidem omnes laudo, vobisque omnibus, si fieri posset, gratificarer, neque unum e vobis praecipuum probans, neque ceteros improbans; verum fieri non potest, ut de unica virgine deliberans, omnium voto satisfaciam. Itaque singulis vestrum, qui compotes huius matrimonii non estis, quod ita dignati fuistis uxorem petere ex me genitam, quodque domo peregre abfuistis, singula argenti talenta dono: Megacli autem Alcmaeonis filio meam filiam Agaristam despondeo ritu Atheniensium. Annuente conditioni Megacle, nuptiae Clistheni confirmatae sunt.

131. De iudicio inter procos haec evenerunt, atque hunc in modum Alcmaeonidae per Graeciam celebrati fuerunt. Porro ex horum coniugio, cum Clisthenes avo materno Sicyonii cognominis, procreatur, qui Atheniensium tribus populariumque statum instituit, tum Hippocrate; ex Hippocrate autem alius Megacles et alia Agarista, ab Agarista Clisthenes nomen habens: quae nupta Xanthippo Ariphronis filio, quum praegnans esset, visa est sibi in somnis parere leonem, paucosque post dies peperit Xanthippo Periclem.

132. Miltiades autem cum antea probatus apud Athenienses, tum vero post vulnus in Marathone hostibus inflictum magis tunc increvit, et quum petivisset septuaginta naves cum militum copia et pecunia, ab Atheniensibus, non promens eis cui regioni bellum esset illaturus, sed tantummodo illos locupletes futuros, si se sequerentur: ad eam enim regionem se ducturum, unde affatim auri nullo negotio deportarent. His Athenienses erecti tradiderunt.

133. Itaque militibus acceptis Miltiades in Parum navigat, per speciem ulciscendi, quod Parii triremibus in Marathonem una cum Persa venientes bellum priores intulissent. Hoc quidem colore orationis utebatur,

sed odium quoddam gerebat adversus Parios ob Lysagoram Tisiae filium, genere Parium, qui ipsum apud Hydarnem Persam accusaverat. Eo postquam pervenit Miltiades, Parios intra moenia coactos obsedit, missoque caduceatore poposcit centum talenta, dicens, si ea sibi non darent, se non prius illinc abducturum copias, quam eos evertisset. At Parii ut quicquam pecuniae Miltiadi darent, non consultabant; sed ut custodirent urbem, id excogitabant, cum alia loca obsepientes, tum maxime unde ea oppugnari poterat; quae pars noctu in duplum quam fuerat vetus, excitata erat.

134. Hactenus Graeci omnes in hac re commemoranda consentiunt; deinceps gesta ipsi Parii referunt hoc modo: Miltiadem, quum inops consilii esset, adisse mulierem captivam, genere Pariam, nomine Timoun, quae esset inferarum dearum subministra: hanc, quum in conspectum Miltiadi venisset, consilium ei dedisse, ut si magni faceret Parum capere, exequeretur quae a se praeciperentur. Eius deinde praeceptis auditis Miltiadem, quum accessisset ad collem qui est ante urbem, maceriam Cereris legiferae transsiluisse, quum nequiret fores aperire; et quum tamen transsiluisset, ivisse in ipsum delubrum ad aliquid intus faciendum, sive ad movendum aliquid quod moveri nefas esset, sive ad aliquid quodcunque agendum. Et quum ad fores esset, repente horrore obiecto, eadem via revertisse, deque maceria desilientem femur convulsisse: alii illum impegisse genu aiunt.

135. Ita Miltiades male habens, retro navigavit, neque pecuniam Atheniensibus portans, neque Paro acquisita; urbe tantum per sex et viginti dies obsessa, et insula vastata. Parii, cognito subministram dearum Timoun Miltiadem edocuisse, volentes ob id de ea supplicium sumere, postquam obsideri desierunt, Delphos miserunt, sciscitatum nunquid subministram dearum occiderent, ut quae rationem capiendae patriae hostibus detexisset, quaeque Miltiadi exposuisset sacra, quae ad virilem sexum efferri nefas esset. Id Pythia fieri non permisit, negans Timoun earum rerum esse caussam: sed quia Miltiadi misera morte pereundum esset, ideo ei ducem malorum apparuisse: Haec Pariis Pythia respondit.

136. Miltiadem autem e Paro reversum cum alii Athenienses in ore habebant, tum praecipue Xanthippus Ariphronis filius, qui eum apud populum crimine

capitali accusavit, quod Athenienses circumscripsisset. Cui accusationi Miltiades non per se ipse respondit, neque enim poterat, qui putrescente femore iaceret in lecto, sed acriter eum defenderunt amici, saepe memorantes pugnam in Marathone gestam, et Lemnum expugnatam, quam ultus Pelasgos, Atheniensibus tradidisset. Interventu tamen populi ne capitis damnaretur, quinquaginta talentis culpa mulctata est. Post haec Miltiades dissoluto atque putrefacto femore decessit: quinquaginta autem talenta Cimon filius exsolvit.

137. Porro Lemnum Miltiades Cimonis filius hunc in modum obtinuerat: Pelasgi posteaquam ex Attica ab Atheniensibus exacti sunt, sive iure, sive iniuria: nam de hoc nihil habeo praeter relata, quia Hecataeus Hegesandri filius in historiis ait abrupte iniuria, Athenienses enim, quum viderent regionem, quae ipsorum propria erat sub Hymetto, quam illis habitandam dederant, mercedem muri circa arcem ducti, bene excultam, quae prius mala fuisset et nullius pretii, livore captos fuisse et amore terrae habendae; et ita exegisse illos, nullam aliam speciem praetexentes Athenienses. Vt autem ipsi Athenienses aiunt iure eiecisse; quippe Pelasgos sub Hymetto habitantes, illinc prodire solitos hanc iniuriam intulisse: filias enim ac filios Atheniensium assidue ad Novem fontes ire et aquam petere solitos, nulladum enim aut eis aut illis Graecis per id tempus servitia erant, quum ergo illae irent, Pelasgos eis per libidinem et contemptum vim attulisse, neque hoc fecisse contentos, quippe ad extremum manifesto deprehensos, de invadendis Atheniensibus consilia agitasse: se vero adeo meliores, quam illi fuerant, viros fuisse, ut quum haberent facultatem interimendi Pelasgos, ut quos sibi insidiatos deprehendissent, tamen noluerint; sed eis praeceperint ut e regione excederent: atque ita illos solum vertentes, tum alia loca, tum vero Lemnum obtinuisse.

138. Illa Hecataeus, haec Athenienses aiunt. At Pelasgi Lemnum incolentes, hanc Atheniensium iniuriam ulciscendi avidi, bene gnari quando dies festi Atheniensium celebrarentur, navibus quinquaginta remorum instructis, insidias collocarunt iunioribus Atheniensium, diem festum Dianae apud Brauronem agentibus: permultisque illarum inde raptis adierunt, et in Lemnum delatas pro concubinis habuerunt. Hae feminae posteaquam liberis abundavere, lingua Attica ac moribus Atheniensium pueros imbuerunt. At illi consuetudinem cum

Pelasgidum filiis habere abnuebant: et siquis e suis ab illorum ullo vapularet, cuncti auxilio aderant, et mutuo sese tutabantur: ac dignos se qui aliis pueris dominarentur existimabant, atque adeo longe praevalebant. Qua re animadversa Pelasgi inter se colloquuti sunt, considerantesque indignatio quaedam intravit; Si autem isti pueri dignoscunt etiam sibi opitulari adversus pueros uxorum istarum, quas virgines duxerant, et eis continuo praeesse conantur, quidnam facient in virilem adulti aetatem? itaque placitum est, ut eos filios e mulieribus Atticis susceptos necarent: his necatis, addunt et caedes matrum. Ex hoc facinore, et illo superiore feminarum, quae viros suos una cum Thoante interemerunt, usu receptum est per Graeciam, ut teterrima quaeque facinora Lemnia appellentur.

139. Pelasgi, quum eis post necem liberis suis atque mulieribus illatam neque tellus fructum redderet, neque uxores neque pecudes ut prius gignerent, pariter fame et liberorum sterilitate vexati, Delphos miserunt petitum aliquod laxamentum praesentium malorum. Iussi autem a Pythia poenas Atheniensibus quas illi vellent pendere, Athenas iere; pollicitique sunt daturos se poenas illis omnis iniuriae. Athenienses, stratis in prytaneo toris quam poterant splendidissime, appositaque mensa omnium bonorum refertissima, iusserunt Pelasgos ita comparatam regionem sibi tradere. Tunc Pelasgi excipientes dicere, Si vento aquilone navis peraget uno die cursum e vestra regione in nostram, ita trademus. Hoc dixere quod scirent fieri hoc non posse, nam Attica multo magis ad austrum vergit quam Lemnus. Haec hactenus.

140. Tunc compluribus deinde interiectis annis, ubi Chersonesus, quae est ad Hellespontum, Atheniensium ditionis fuit Miltiades Cimonis filius, ventis etesiis perflantibus, ex Elaeunte quae est in Chersoneso, solvens, in Lemnum delatus est, praecepitque Pelasgis ut ex insula excederent: redigens eos in memoriam oraculi, quod nunquam illi expletum iri sperassent. Quorum Hephaestienses quidem obtemperaverunt: Myrinaei autem, non agnoscentes Chersonesum esse Atticam, tamdiu obsessi sunt donec in deditionem venerunt. Ita Lemno potiti sunt Athenienses atque Miltiades.

HERODOTI

HALICARNASSEI HISTORIARUM

LIBER SEPTIMUS,

QUI INSCRIBITUR

POLYMNIA.

Posteaquam nuncius pugnae in Marathone peractae ad regem Darium Hystaspis filium allatus est, quum antea etiam vehementer infensus esset Atheniensibus, quod Sardes invasissent, longe tunc infensior factus est, ac propensior ad bellum Graeciae inferendum: missisque continuo nunciis ad civitates, edixit ut colligerent turbam militum, et singulae multo quam antea plures naves longas, equos, rem frumentariam et onerarias compararent. Dum autem haec circumquaque denunciantur, Asia triennium agitata est. Ubi dum delectus agitur optimi cuiusque, utpote adversus Graeciam militaturi, et apparatui opera datur, quarto anno Aegyptii qui fuerant a Cambyse subacti, defecere a Persis: quo magis etiam adversus utrosque Darius expeditionem sumere properabat, Aegyptios atque Athenienses.

2. Dum autem huc tendit, interea ingens inter eius filios de principatu exorta dissensio est, quoniam ex instituto Persarum, oportebat ita demum ire in expeditionem, quum regem declarasset. Erant autem Dario iam antequam regnaret, filii tres e priore uxore Gobryae filia suscepti, et post partum regnum, alii quatuor ex Atossa Cyri filia. Superiorum maximus natu erat Artabazanes, posteriorum Xerxes: qui quum ex eadem matre non essent, disceptabant: nam Artabazanes quidem, quod omnis paternae subolis ipse maximus natu foret, et quod apud universos homines sit institutum, ut maximus natu obtineat principatum: Xerxes vero, quod ipse Atossa genitus esset, filia Cyri, et quod Cyrus foret, qui Persis libertatem acquisisset.

3. Dario autem nondum ferente sententiam, aderat forte Demaratus Aristonis filius, qui per id tempus altercationis Spartano regno exutus, ac Lacedaemone profugus, Susa ascenderat: hic vir audita liberorum Darii controversia, adiit, ut fama fertur, Xerxem, admonuitque ut ad cetera quae pro se dicebat hoc adderet, se quidem genitum Dario iam regi et Persarum imperium obtinenti: Artabazanem vero, Dario etiamdum privato: proinde neque aequum neque iustum esse, alium quempiam potius quam se illud decus adipisci; quoniam Spartae, quod subiecerat Demaratus, quoque sic usurparetur, ut si cui antequam regnet filii nati fuerint, deinde regnanti alius nascatur, huius postea nati successio regni sit. Hac a Demarato suggesta ratione utentem Xerxem, tanquam iusta dicentem, Darius regem declaravit. Quamquam etiam circa praeceptum Demarati Xerxes, ut mea fert opinio, regnavisset: quippe quum omnis potentia penes Atossam esset.

4. Declarato Darius Xerxe rege quum conaretur rebus apparatis exire in expeditionem, altero ab defectione Aegyptiorum anno, supremum diem obiit, sex et triginta annis regni expletis, haud compos voti ut rebellantes Aegyptios et Athenienses ulcisceretur.

5. Eius morte regnum ad Xerxem filium devenit, qui ab initio nequaquam animatus erat ad bellum Graeciae inferendum, sed Aegypto. Ceterum Mardonius consobrinus eius, Gobryae et sororis Darii filius, tum praesens et plurimum apud eum valens, his verbis est alloquutus, Domine, haud decorum est Athenienses tam male iam de Persis meritos non dare poenas eorum, quae perpetraverunt: tu vero quod in manibus habes nunc perficias ubi vero Aegyptum illam contumeliosam domueris, sume adversus Athenas expeditionem; ut et bene de te loquantur homines, et posthac abstineat quisque belli causa in terras tuas veniendo. Et hoc quidem erat ratio ultionis exigendae: illa autem rationis accessio, Europam esse regionem admodum speciosam, omniaque genera felicium arborum ferentem, ac summae bonitatis, et dignum quae a solo inter mortales rege posideatur.

6. Haec Mardonius dicebat ut novorum operum cupidus, et ambiens Graeciae praefectus esse. Tempore tandem intercedente etiam confecit, ac Xerxi persuasit, ut talia aggrederetur. Contigit enim quoque, ut alia ad hoc persuadendum adiumenta fuerint: primum e Thessalia nuncii ab Aleuadis ad regem invocandum, se enim

adversus Graeciam omne obsequium praestituros: Aleuadae autem isti erant Thessaliae reges, deinde ii Pisistratidae qui Susa ascenderant: qui cum eisdem sermonibus inniterentur, quibus et Aleuadae, tum vero aliquid super haec amplius adporrigebant, Onomacritum virum Atheniensem habentes sortilegum, et Musaei sortium venditorem. Ascenderant autem ante cum eo reversuri in gratiam: nam Onomacritus ab Hipparcho Pisistrati filio Athenis fuerat eiectus; quod a Laso Hermionensi manifesto deprehensus fuisset, versibus Musaei etiam inseruisse oraculum, fore ut insulae, Lemno adiacentes, mari submergerentur. Ob id Hipparchus hominem eiecerat, familiarissime illo antea usus Et tunc cum simul ascendisset, quoties in conspectum regis veniret, honorifice do eo Pisistratidis loquentibus, ordine recensebat quaedam oracula. Si igitur alicui inesset aliquid cladem barbaro nuncians; ex illis nullum recitavit; sed quibus felicissimasignificabantur, ea excerpens dicebat, et Hellespontum iungi in fatis esse ab viro Persa, et expeditionem enarrans. Hic igitur oracula promens conversabatur, et Pisistratidae sententias dicentes.

7. Vbi autem Xerxes ad inferendum Graeciae bellum inductus est, altero a morte Darii anno, primam expeditionem fecit adversus eos qui rebellaverant: quos subactos, et Aegyptum omnem magis servam reddens quam sub Dario fuerat, tradidit gubernandam Achaemeni fratri suo, Darii filio: quem praesidem Aegypti interiecto deinde tempore interemit Inarus Psammitichi filius, vir Afer.

8. Xerxes recepta Aegypto, ducturus manus consertum adversus Athenas exercitum, praestantissimos quosque Persarum in concilium vocavit, ut et illorum sententias audiret et ipse coram omnibus diceret quae liberet. Quibus coactis, ita loquutus est, Viri Persae, equidem ego non ero huius instituti autor, sed ab aliis traditi imitator: nam quemadmodum a maioribus natu accepi, ex quo imperium hoc Medis eripuimus, Astyage per Cyrum amoto, nunquam conquievimus, sed ita deus ducit, et ipsis nobis multa adsequentibus in melius conferuntur. Atque ea quidem, quae Cyrus Cambysesque ac pater meus Darius fecere, quasque gentes imperio addidere, non attinet referre apud probe scientes: ego autem posteaquam hanc sedem accepi, dedi operam ne ab iis qui hoc honore sunt functi degenerarem, neve minus potentiae Persis acquirerem, Quod

animo versans, invenio nobis accedentem gloriam pariter, et regionem ea quam nunc possedimus, neque minorem neque deteriorem, sed feraciorem, una cum ultione iniuriae atque vindicta. Ideoque ego vos contraxi, ut id quod agere constitui vobis exponerem. Constitui; iuncto Hellesponto, copias per Europam ducere in Graeciam, ut Atheniensium ulciscar iniurias, quas cum Persis aliis, tum patri meo intulere. Noratis autem et Darium adversus hos viros bellum movere destinasse: verum ei morte praevento non contigit, ut illos ulcisceretur. Ego vero eius vicem aliorumque Persarum ulcisci non prius desinam, quam expugnavero incenderoque Athenas; cuius cives et me et patrem meum priores iniuria affecerunt: primum quum Sardes una cum Aristagora Milesio servo nostro venientes crenaverunt lucosque ac delubra. Deinde in vos quid fecerint terram suam ingressos, quum Datis et Artaphernes duces fuere, omnes scitis. Harum rerum gratia allevor ad inferendum eis bellum: in quibus tot bona ratiocinando comperio, si hos atque ipsorum finitimos, regionem Pelopis Phrygis incolentes, in potestatem relegarimus; terram Persidem aetheri Iovis conterminam reddemus, nullam enim regionem spectabit sed finitimam nostrae, sed ego omnem permensus Europam, una vobiscum cunctas illas in unam redigam. Nam ita rem habere audio, nullam reliquam esse neque virorum civitatem neque gentem aliquam hominum, quae nobiscum dimicare possit, exstirpatis his quos dixi. Ita et qui nos lacessierunt, et qui sunt sine culpa, iugum servile sustinebunt. In quo vos mihi haec faciendo gratificemini: ubi tempus vobis indicavero quo praesto esse oportet, tunc unusquisque debebit impigre adesse. Quorum qui ornatissimis cum copiis aderit, eum donabo iis, quae in nostra domo pretiosissima habentur. Et haec quidem ita agenda sunt. Sed ne meo videar arbitrio privatim consulere, rem pono in medio, iubens unumquemque quam libet sententiam dicere. His dictis loquendi finem fecit.

9. Post quem Mardonius, Domine, inquit, tu vero non modo natis Persis, sed etiam venturis es praestantior: qui cum alia et optima et verissima commemoras, tum vero Iones, qui Europam incolunt, non sines insultare nobis, sane illos indignos. Etenim res miseranda fuerit, si Saces et Indos et Aethiopes et Assyrios, aliasque multas ac grandes nationes, quae nihil Persas laesere, tamen potentiae prolatandae gratia in servitu-

tem redegimus; Graecos, qui nos lacessere iniuria inceperunt, non ulciscemur, quidnam metuentes? quam multitudinis colluviem? quam pecuniarum vim? Eorum pugnam novimus eorum novimus viros, quae sunt imbecilles, eorum, postquam subegimus, liberos habemus, hos qui in regione nostra habitantes, Iones et Aeolenses et Dorienses appellantur. Quos ipse quoque expertus iam sum, quum eis iussu patris tui intuli bellum: ac mihi quum Macedoniam usque processissem, et pene usque ad ipsas Athenas nemo pugnaturus occurrit. Quanquam consuevere Graeci (ut audio) inconsultissime inire bella, propter imperitiam ac sinisteritatem: nam quum bellum inter eos indictum est, in locum quem pulcherrimum planissimumque invenere discendentes, ibi proelia faciunt, ita ut magno cum suo malo victores inde discedant: de victis prorsus nihil dico, nam ad internecionem deveniunt: quos oportebat, quum sint eiusdem linguae, interpositis caduceatoribus ac nunciis dirimere controversias, et omnia alia potius agere quam pugnare: aut, si necesse habent inter se omnino pugnare, invenire qua parte utrique sint expugnatu difficillimi, et ibi fortunam belli tentare. Hoc itaque ritu haud probo utentes Graeci, nunquam ad eam venerunt rationem, ut dimicarent quum Macedonia terra tenus promovissem. Tibi autem, rex, quis obviam venturus est bellandi causa, copias Asiae atque omnem classem agenti? non eo audaciae procedant, ut reor, Graecorum res. Quod si me fallit opinio, et illi vecordia elati ad pugnandum nobiscum venient, discant nos esse in re bellica praestantissimos hominum. Nihil igitur sit quod non experiamur; nam sua sponte nihil fit, sed omnia ab experimento hominibus fieri consuerunt. His Mardonius sententiae Xerxis assentatus, loqui cessavit.

10. Tum silentibus aliis Persis, nec diversam eis quae dicta essent sententiam dicere audentibus, Artabanus Hystaspis filius, Xerxis patrius eoque fretus, ita inquit, Rex, nisi diverse inter se sententiae dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet ea quae dicta est uti; at quum plures dictae sunt, licet; sicut aurum purum ipsum in se non discernimus, sed quum affricuerimus alteri, melius discernimus. Ego autem etiam patri tuo Dario eidemque fratri meo suadebam, ne sumeret adversus Scythas expeditionem viros nulla usquam oppida incolentes: sed ille sperans Scythas Nomades se subacturum, mihi non est assensus,

et sumpta expeditione, multis et egregiis viris de exercitu amissis abscessit. Tu vero, rex, bellum, inferre destinas viris multo, quam Scythae sunt, praestantioribus, quique et mari et terra optimi esse dicuntur: in quibus quid formidandum sit, hoc me tibi iustum est promere. Quum ponte iunxeris Hellespontum, ais te copias per Europam in Graeciam ducturum: atqui contigerit aut in terra aut in mari aut utrobique te superari; siquidem feruntur viri esse fortes. Cuius rei licet hinc argumentum capere: Si tot copias ductu Datis et Artaphernis Atticam regionem ingressas soli Athenienses profligaverunt, ergo non utraque in parte illis successit. Quod si iidem conscensis navibus pugna navali victores ad Hellespontum navigant, ac deinde pontem solvant, hoc formidabile, rex, fuerit. Neque vero hoc ex mea unius privata prudentia coniecto, sed eo casu quo aliquando parum abfuit, quin opprimeremur, quum pater tuus iuncto Bosporo Thracio, ac flumine Istro pontibus commisso, traiecit ad Scythas: eum traiectum Scythae omnibus modis institere precari Iones, quibus custodia pontium Istri delegata erat, ut interscinderent. Quo tempore si Histiaeus Mileti tyrannus aliorum sententiae accessisset, ac non contradixisset, actum erat de rebus Persarum. Atqui res est dictu et auditu quoque horribilis, omnem regis statum in uno viro positum fuisse. Quare ne delibera tu ullum tale adire discrimen, nulla exigente necessitate, sed mihi obtempera: hunc coetum in praesens missum facito, iterumque quum tibi videbitur, re apud te ipsum ante considerata, edicito quod optimum esse arbitraberis: bene enim consultare, comperio maximum esse lucrum; nam etiamsi quid e contrario evenire volet, nihilo tamen minus bene consultum est, sed superavit fortuna consilium: at qui turpiter consultavit, si ei fortuna obsecundet, ille est quidem voti compos nihilo tamen minus male consilium cepit. Vides ut praegrandia animalia fulmine deus ferit nec sinit insolescere: parva vero nec leviter eum angunt? Vides ut maximas semper domos et arbores talia tela percutiunt? Gaudet enim deus eminentissima quaeque mutilare. Unde et ingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties deus iis invidens, aut metum incutit aut tonitru, indignis utique priore fortuna modis labuntur. Deus enim neminem alium quam se ipsum sinit magnum sapere. Quodcunque igitur quidem negotium properando parit errorres, unde magna detrimenta fieri adsolent: in cunctando autem bona insunt,

si non talia quae statim appareant esse, certe suo tempore quis comperiat. Et hoc quidem tibi, rex, suadeo. Tu vero, Gobryae fili Mardonie loqui stulta de Graecis, haud dignis, qui male audiant, nam Graecos calumniando, ipsum regem excitas ad bellandum; ad id tu omni aviditate contendere videris: Ne quaeso ita sit. Calumnia namque importunissima res est: in qua duo sunt qui iniuriam faciunt, unus cui iniuria fit. Qui enim calumniatur, iniurius est, quod non praesentem accusat: item iniurius est, qui sibi patitur ab hoc persuaderi, prius quam rem vere compertam habeat; et illi qui ab sermone abest, ob id fit iniuria quod ab altero per calumniam traducitur, ab altero malus putatur. Quod si omnino bellum his viris inferre oportet, agedum: rex ipse permaneat domi apud Persas, nobis ambobus liberos offerentibus ipse tu in expeditionem, ito, delectis quos velis viris ac quantiscunque velis copiis: et, siquidem qua tu dicis, res succedent regi, interimantur liberi mei, et insuper ego: sin cedent ut ego praedico, talia patiantur tui, et insuper tu, si redieris. Quod si hanc subire conditionem recusas, et omnino in Graeciam deduces exercitum, affirmo fore, ut aliquis eorum qui hic relinquentur, audiat Mardonium post allatam Persis magnam aliquam calamitatem, a canibus volucribusque discerpi aut in Atheniensium solo aut certe te in Lacedaemoniorum, nisi forte et antea inter viam; sciens adversus quales viros suadeas regi ut moveat bellum.

11. Haec Artabano loquuto, Xerxes ira percitus his verbis excepit, Artabane, quod patris mei frater es, hoc te sublevat, ne dignam stulta oratione mercedem recipias, hac tamen te notabo ignominia, quia instrenuus es et ignavus, ne comes sis meae in Graeciam expeditionis, sed hic una feminis maneas. Ego etiam sine te quae dixi conficiam, neque enim fuerim Darii filius, qui fuit Hystaspis, qui fuit Arsamis, qui fuit Armis, qui fuit Teispei, qui Cyri, qui fuit Cambysis, qui fuit Teispei, qui fuit Achaemenis filius, nisi Athenienses ultus fuero: probe intelligens, si nos qui iverimus, non quieturos illos, sed nostram terram cum exercitu invasuros: prout colligere licet ex iis, quae illi facere coeperunt, qui et Sardes incenderunt, et Asiam incursarunt. Itaque neutri possunt exire et recedere, sed propositum est certamen aut agendi, aut patiendi, ut aut haec omnia sub Graecis, aut illa omnia sub Persis sint, medium enim inimicitiarum nullum est.

Quare honestum erit nos lacessitos iam exigere ultionem, ut formidolosum istud quod passurus sum intelligam, profectus adversus eos viros, quos etiam Pelops Phryx meorum maiorum servus ita subegit, ut ad hoc usque tempus et ipsi homines et eorum regio ab illius, qui subegit, cognomine appellentur. Haec hactenus loquutus est.

12. Post ista advenit nox, et Xerxem momordit Artabani sententia; unde per noctem apud se consultans, comperit prorsus non esse suum opus inferre Graeciae bellum. Itaque postquam haec rursus sederunt, obdormiit, et in ista tunc nocte vidit, ut fertur a Persis, hoc visum; somniabat virum corpore ingenti atque specioso repente apparentem sibi dicere. Resilisne ab decreto et statutis, o Persa; exercitum non ducere in Graeciam, quum imperaveris, ut Persae comparent exercitum? Neque igitur mutans animum bene facis, neque qui tibi assentiatur adest: quare perge ire eam viam, quam interdiu ire destinaveras. Haec loquutus ille visus est Xerxi avolare.

13. Ubi dies illuxit, Xerxes huius insomnii nullam rationem habuit; imo ille coactis Persis quos et antea coëgerat, ita verba fecit: Viri Persae, veniam mihi date dicenti contrariam superiori sententiam, nam et ipse nondum ad summum quo perveniendum est mihi prudentiae perveni; et qui ut illud faciam suadent, nullo unquam a me tempore abscedunt. Equidem mihi Artabani sententiam audienti, confestim juventus efferbuit, ut verba in virum grandiorem natu effunderem petulantiora quam debui, nunc itaque agnoscens erratum meum, utar illius sententia: et quoniam revocavi expeditionis contra Graeciam sumendae sententiam, vos quieti estote. Haec ubi audiere Persae, laetitia affecti adoravere.

14. Insequenti nocte idem rursus insomnium quiescenti Xerxi apparens, inquit: Fili Darii, videris expeditionem apud Persas revocasse, verbis meis pro nihilo habitis, quasi illa a nemine audisses. Hoc igitur nunc bene intellige; nisi extemplo inis expeditionem, id tibi ex ea re continget: quemadmodum brevi magnus et amplus effectus es, ita brevi rursus humilis eris.

15. Hoc viso perterrefactus, e cubili exiluit pariter et nuncium misit ad arcessendum Artabanum, qui ubi advenit, ita ad eum inquit, Artabane, ego statim quum in te, bene consulentem mihi stultis verbis inve-

ctus sum, non fui compos mentis: sed non multo post poenitens, cognovi id mihi esse faciendum quod tu praecipiebas. Tamen id volens exequi non possum, nam mihi iam animo immutato, et prioris sententiae poenitenti, apparet in somnis visio, dissuadens omnino hoc quod posterius facere constitueram: quinetiam nunc interpositis minis abscessit. Quod si Deus est, qui insomnium misit, eique prorsus est cordi expeditionem sumi adversus Graeciam, advolabit hoc tibi quoque insomnium, itidem ut mihi praecipiens. Quod ita fore coniecto, si omnem meum ornatum sumas, eoque indutus in solio meo consideas, et deinde in cubili meo capias somnum.

16. Haec loquuto Xerxi, Artabanus initio nolle obsequi, atque negare se dignum qui regio in solio sederet: tandem quum cogeretur, fecit imperata, haec praeloquutus. Apud me, rex, tantumdem valet bene sentire per se, et alteri bonam dicenti sententiam accedere velle: quae ambo tibi quum adsint, malorum tamen hominum colloquia depravant: quemadmodum mare, quod est hominibus omnium utilissimum, ferunt ingruentes ventorum flatus non sinere, ut natura sua utatur. Me vero ex te mala verba audientem non tam dolor momordit, quam illud, quod quum propositae essent duae sententiae Persis, una quae contumeliam augeret, altera quae tolleret, ac diceret perniciosum esse imbui animum plus aliquid semper expetendi quam praesens est; his propositis sententiis, tu elegisti eam quae et tibi ipsi et Persis est periculosior. Nunc igitur quum mutato in melius consilio, tamen ais tibi remittenti adversus Graecos expeditionem accedere insomnium, alicuius dei nutu, quod te vetat dimittere exercitum, hoc non res divina est, fili: insomnia enim ista, quae adeuntia homines frustrantur, talia sunt, qualia ego te docebo, multis quam tu annis natu grandior. Consuerunt ipsa somniorum visa plerumque frustrari ob ea quae quis per diem mente agitat, nos autem nudiustertius expeditionem hanc et quidem vehementer agitavimus. Quod si hoc non est cuiusmodi ego discutio, sed aliquid divini particeps, tu ipse omnia in verbis tuis comprehendisti, apparebit enim et mihi ita, ut tibi, iubens. Verum nihilo magis apparere mihi debet tuum amictum gerenti, quam etiam non meum: neque magis quiescenti in tuo toro quam non et in meo: si etiam alias vult se exhibere. Neque enim eo vesaniae pervenit illud quicquid est, quod sese te, ducto e ve-

stibus argumento. Id autem si me contemptui habebit, profecto nec aspectu suo dignabitur, sive mea geram vestimenta, sive tua, sed te adibit; quod iam animadvertendum erit. Nam, si frequentius accesserit, ipse quoque faterer divinum esse. Ceterum si ita tibi agendum videtur, neque id revocari potest, en ad cubandum in tuo cubili pergo. Age, mihi quoque quum ista fecero, appareat; hac tantum conditione tuae sententiae acquiescam.

17. Haec loquutus Artabanus, qui speraret probaturum se Xerxem dicere nihil, iussa exequutus est. Et quum induta sibi Xerxis veste, regali solio resedisset, moxque cubitum ivisset, idem insomnium dormienti adfuit, quod Xerxem adierat, eique superadstans, ita inquit, Tune ille es qui festinantem bellare contra Graeciam Xerxem detines, tamquam eius curam gerens? Tu neque in futurum neque in praesens impune feres, qui dissuades id quod debet contingere. Quid autem Xerxem pati necesse sit, dicto non audientem, ei ipsi demonstratum est.

18. His verbis Artabano visa est illa visio in somnis minitari, candentibusque ferramentis conari oculos ipsius exurere. Quare vehementer exclamans Arsabanus exiluit, et sedens prope Xerxem, ubi obversatam sibi in somnis visionem exposuit, secundo loco haec inquit: Equidem, rex, ego, utpote homo, qui multa iam videram et magna negotia cecidisse sub inferioribus, non sinebam te omnia aetati indulgere, gnarus rem esse malam multa concupiscere, memoria tenens expeditionem Cyri contra Massagetas quemadmodum cecidisset; etiam reminiscens, quomodo actum fuerit cum exercitu Cambysis contra Aethiopes: qui etiam cum Dario militavi adversus Scythas. Haec sciens ego, sentiebam te, si quiesceres, ab omnibus hominibus pro beato celebratum iri. Sed quoniam divinus quidam instinctus est, et Graecos clades quaedam, ut videtur, missa divinitus manet, ego quoque et ipse mutor, ac sentio aliter. Tu vero quae divinitus missa sunt, indicato Persis, iubetoque, ut iis quae ad apparatum pertinentia prima praecepferas, operam dent. Ita autem agito, ut nihil tuorum, deo tribuente, desit. His dictis, et elatis ex ea visione animis, simulatque dies exstitit, ibi confestim et Xerxes haec Persis exponit, et Artabanus, quem constabat prius solum omnium fuisse dehortatum, tunc palam exhortabatur.

19. Post haec ineunti expeditionem Xerxi tertium

in somno visum oblatum est: quod magi auditum, conjectarunt ad universam terram pertinere, portendereque omnes homines Xerxi servituros: visum autem tale erat: Videbatur sibi Xerxes surculo oleagino coronatus esse, cuius oleae ramis universa tellus occuparetur, et mox coronam capiti circumdatam evanescere. Haec magis interpretando illuc trahentibus, et Persis congregatis, sine mora quilibet eorum ad suam praefecturam digressus, omni studio incubuit ad exequenda iussa, certantes dona quae proposita fuerant obtinere.

20. Xerxes autem ita copias militares suscitavit, ut omnem continentis locum scrutaretur, siquidem a debellata Aegypto per totum quadriennium comparaverat exercitum, atque eius apparatum, quinto autem anno ineunte movit cum ingenti copiarum manu. Nam omnium quas novimus expeditionum haec multo maxima exstitit, adeo ut ad eam nihil fuisse videatur aut illa Darii adversus Scythas sumpta, aut illa Scythica, quae Cimmerios insequens Medicam regionem invasit, ac pene omnia superiora Asiae subegit ac tenuit; quo nomine Darius postea Scythas ivit ultum: neque ad illa quae iactantur Atridarum adversus Ilium, aut illa ante Troica Mysorum Teucrorumque, qui per Bosporum in Europam transgressi, omnes Thraces in ditionem suam redegerunt, ad Ioniumque pontum descendentes, ad Peneum usque amnem, qui ad meridiem vergit, processerunt.

21. Neque illae omnes expeditiones, neque aliae praeter has, cum una hac comparari merentur. Quam enim ex Asia gentem non duxit contra Graeciam Xerxes? quae aqua praeter ingentes amnes potando non defecit? Alii namque naves praestabant; aliis ut peditatum, aliis ut equitatum, aliis ut navigia ad vectandos equos una militantibus, aliis ut naves longas in usum pontium praeberent, iniunctum erat; aliis ut frumentum et naves. Etenim propter Athon, ut in quo superior classis dum circumvehitur, afflictata fuerat, ex tribus ferme annis praeparatio erat. Ad Elaeuntem enim Chersonesi triremes habebant stationem, illincque omnes, copiae sub flagellis coeperunt Athon effodere, quum per vices alii aliis succederent, adiuvantibus etiam in effodiendo accolis montis: praepositis operi, Bubare Megabazi, et Artachaea Artaei filio, viris Persis.

22. Est autem Athos mons ingens ac nobilis, in mare pertinens, ab hominibus cultus; qua ad continentem desinit, habet speciem peninsulae, et est isthmus

duodecim fere stadiorum. Haec planities, atque tumuli e mari Acanthiorum ad mare quod est contra Toronen, non sunt magni. In hoc isthmo ubi Athos finitur, sita est urbs Graeca nomine Sana. Quae autem intra Sanam et intus in Atho sitae sunt urbes, et quas tunc Persa ex continentibus insulanas facere aggressus est, sunt hae, Dion, Olophyxus, Acrothoon, Thyssus, Cleonae. Istae quidem sunt urbes, quae Athon obtinent.

23. Hoc autem modo fodi placuit: barbari locum nationatim divisum circa Sanam urbem fune porrecto metientes posteaquam depressa alte erat fossa, illi quidem in imo versantes pergebant fodere, alii humum effossam assidue tradebant aliis super scalas stantibus: et isti excipientes deinceps aliis, dum ad summos perveniebatur, qui illam efferebant atque eiiciebant. Qua in re aliis quidem deruptae et praecipites ripae operis, praeterquam Phoenicibus, duplum laborem praebebant: nam quum eandem facerent mensuram oris superioris et eius, quod erat inferius in fundo, id necesse fuit illis contingere. At Phoenices cum aliis in rebus, tum vero in illa prudentiam suam declaraverunt: quippe partem, quanta ipsis sorte ducta erat, ita excavaverunt, ut superius os fossae duplum facerent, quam ipsam fossam esse oportebat, procedenteque opere assidue illam coarctabant: ut et ad imum deveniret ac fossa ceterorum partibus adaequaretur. Est autem hoc loco pratum quoddam, ubi illorum erat et forum et mercatus, quo multum etiam ex Asia frumenti moliti comportabatur.

24. Hanc fossam Xerxes, ut ego coniectura colligo, iactantiae gratia deprimi iussit, potentiae ostentandae cupidus, ac monumenta relinquendi; nam quum liceret nullo negotio naves per isthmum transportare, iussit isthmum intercidi, ad mare recipiendum in fossam tantae latitudinis, ut duae triremes pariter illac agitari possent. Eisdem autem quibus fuerat imperatum, ut fossam facerent, etiam imperatum fuit, ut flumen Strymonem pontibus iungerent. Ista Xerxes hunc in modum fecit.

25. Comparabantur item ad pontes armamenta ex byblo et ex albo lino, dato hoc Phoenicibus Aegyptiis negotio, ut commeatum quoque exercitui comportarent: ne fame vexaretur exercitus, neve iumenta quae ducebantur in Graeciam. Sed admonitus iussit illum depo-

nere in loca, quae ubique opportunissima essent, alium alia via comportantes undique ex Asia navibus onerariis et vectoriis. Verum plurimum collectum portarunt in oram Thraciae, quae dicitur Album litus; alii in Tyrodizam Perinthiorum, alii in Doriscum, alii in Eionem, quae est ad Strymonem: alii in Macedoniam ex iussu.

26. Dum isti in imposito opere occupantur, interea Xerxes, coactis omnibus pedestribus copiis, iter ingressus est Sardes versus, movens ex Critalis Cappadociae. Illuc enim edictum erat, ut cunctae copiae congererentur, quae per continentem erant cum Xerxe iturae. In quibus quisnam praefectorum agmen pulcherrime instructum ducens, ab rege donatus fuerit propositis donis, affirmare non possum; neque omnino venisse aliquos de ea re in iudicium novi. Posteaquam autem transmisso flumine Haly, attigerunt Phrygiam, itinere per eam facto, pervenerunt Celaenas, ubi fontes Maeandri existunt, et alterius amnis non minoris Maeandro, nomine Catarractae, qui ex eo ipso foro Celaenarum exoriens influit in Maeandrum. In qua urbe et in quo foro visitur suspensa Sileni Marsyae pellis in utrem formata: quam a Phrygibus fertur Apollo illi detractam suspendisse:

27. In hac urbe residens Pythius Atyis filius, vir Lydus, omnem regis exercitum atque ipsum Xerxem magnificentissimo hospitio excepit: spoponditque se pecuniam ei in bellum suppeditaturum. Ob quam sponsionem Xerxes eos, qui aderant Persas, interrogavit, quisnam esset Pythius, et quantum possidens, qui hoc polliceretur. Illi, Rex, inquiunt, hic ille est qui Darium patrem tuum aurea platano ac vite donavit: quique nunc omnium hominum divitiis princeps est secundum te.

28. Haec ultima verba Xerxes admiratus; secundo loco percontatus est ipse Pythium quantum ei pecuniarum esset. Cui ille, neque te, inquit, celabo rex, neque praetexam me nescire meas ipsius facultates: sed sciens, proinde exacte recensebo. Etenim simulatque accepi te ad mare Graecum descendere, volens tibi ad bellum pecuniam dare, subducta ratione comperi, mihi esse argenti quidem duo millia talentorum, auri vero quadragies centena millia staterum Daricorum, septem millibus minus: quae tibi dono do: nam mihi ipsi victus e mancipiis atque ex fundis suppetit. Haec Pythius.

29. Quibus verbis delectatus Xerxes, Hospes Lyde, inquit, ego ex quo Persidem regionem egressus sum, neminem adhuc nactus sum, qui in exercitum meum hospitalia officia exercere voluerit, aut qui in conspectum meum veniens, sua sponte pecuniam mihi ad bellum conferret, praeter te; qui et exercitum meum magnifice hospitali comitate prosequutus es, et ingentem pecuniam polliceris. Pro his vicissim ego tibi ea decora confero. Hospitem meum te facio: et ista quadragies centena millia staterum de meo ipsius explebo, datis septem millibus: ne quadringentae myriades destituantur septem chiliadibus, sed sit tibi e me suppleta summa solida, quaeque tibi parasti, ipse possideto, ac scito semper talem agere, nam ita agentem te, neque in praesens neque in posterum poenitebit.

30. Haec loquutus, et quae dixerat exequutus, perrexit assidue progredi: praetergressusque urbem Phrygiam nomine Anaua, et stagnum ex quo conficitur sal, pervenit Colossas, Phrygiae maius oppidum, ubi Lycus amnis hiatum terrae subiens occulitur, deinde fere quinque post stadia emergens, elabitur et ipse in Maeandrum. Movens autem e Colossis exercitus, venit ad confinia Phrygum ac Lydorum in oppidum Cydrara: ubi cippus defixus atque erectus a Croeso est, indicans literis eos fines.

31. Ubi autem e Phrygia in Lydiam ventum est, ad divortia viarum, quarum sinistra in Cariam fert, dextra Sardes: quam tenenti necesse est prorsus Maeandrum transire urbemque Callatebum praeterire, in qua sunt opifices mellis e myrica et tritico conficiendi: hanc viam tenens Xerxes, reperit platanum: quam ob pulchritudinem aureo monili donavit, eamque tuendam viro immortali delegavit, et ad urbem Lydorum altero die pervenit.

32. Postquam Sardes advenit, principio caduceatores dimisit in Graeciam petitum terram et aquam; edictumque ut coenas regi instruerent. Sed neque Athenas neque Lacedaemonem dimisit ad petitionem terrae, sed prorsus in ceteras. Ea vero causa dimittebat secunda vice ad terram et aquam; quia quotquot haec ante Dario mittenti non miserant, hos tunc perterritos omnino daturos arbitrabatur. Id igitur volens accurate explorare, misit.

33. Secundum haec sese apparabat tanquam Abydum profecturus, quum interea alii Hellespontum ex

Asia in Europam iungerent. Est autem Chersonesi in Hellesponto, Sestum inter et Madytum urbes, ora salebrosa, quae in mare procurrit e regione Abydi: ubi non longo post tempore sub Xanthippo Ariphronis filio, Atheniensium duce, Artayctem virum Persam Sesti praefectum cepere, vivumque stipiti suffixerunt; qui in templum etiam Protesilai, quod est in Elaeunte, adductis feminis nefanda perpetrabat.

34. Ad hanc oram ex Abydo progressi iungebant pontem ii, quibus hoc munus erat delegatum: hinc Phoenices albo lino, illinc Aegyptii byblo. Est autem ex Abydo ad oppositam continentem septem stadiorum traiectus: quem pontibus iunctum ingens adorta tempestas ea omnia contudit atque dissolvit.

35. Quod quum audisset Xerxes, indigne ferens, iussit trecenta Hellesponto verbera flagello infligi, et in pelagus par compedum dimitti. Iam vero audivi, misisse quoque cum his tortores, stigmata Hellesponto inusturos. Certe mandavit ut flagellantes eum dicerent barbara ac vesana, O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat poenam quod eum laesisti, qui de te nihil male meritus erat. Te tamen rex Xerxes, velis nolisve, transmittet, meritoque nemo hominum tibi sacrificat, ut doloso et ingratae salsuginis flumini. Hac poena mare Xerxes plecti iussit, atque eis qui praepositi iungendo Hellesponto erant, capita praecidi.

36. Et quidem ista fecerunt ii, quibus hic ingratus honor propositus erat. At alii architecti illos iunxerunt. Iunxerunt autem hoc modo: quinquaginta remorum naves triremesque trecentas sexaginta Euxinum versus Pontum composuere: item ab altero latere trecentas quatuodecim, Ponto quidem transversas, Hellesponto autem secundum fluxum, ut laxa esset fluitatio intentionis armamentorum. Quibus compositis, praegrandes ancoras demiserunt, partim ab latere contra Pontum, ventorum causa qui intrinsecus exspirant: partim ab altero contra occasum et Aegaeum, euri et austri causa, relicto inter naves L, remorum patente transitu tribus in locis: ut qui vellet in Pontum minutis navigiis et ex Ponto navigare posset. His actis, intenderunt armamenta a terra torquentes asinis ligneis, non iam separatim utraque ordinantes, sed bina ex albo lino partientes in utramque, quaterna e byblo: eadem quidem erat crassitudo et species; sed prout ratio dictat linea erant robustiora, quorum cubitus talentum pendebat. Porro traiectu pontibus iuncto, truncos lignorum serra discissos et ad la-

titudinem pontis adaequatos apte imposuerunt super armamenta intenta. Hos ubi gradatim posuerunt, tum ibi rursus superiunxerunt. Quod posteaquam fecere, materiam intulerunt concinneque imposuerunt, deinde terram importarunt: qua complanata sepem hinc atque hinc ne maris aspectu iumenta et equi terrerentur, praetenderunt.

37. Perfectis iis quae ad pontes pertinent, quum et opera circa Athon, item aggeres ad ora fossae iacti propter aestum maris, ne ipsa ora alvei implerentur, atque etiam ipsa fossa penitus perfecta nunciaretur: Sardibus, ubi hybernaverat, ineunte vere instructus exercitus profectus est Abydum versus: cui moventi sol suam in coelo sedem relinquens apparere desiit, quum nullae nubes, verum serenissimus aër esset: et pro die nox exstitit. Id animadvertenti Xerxi quum cura incessisset percontandi magos, quid ostentum id vellet portendere, illi responderunt, deum praesignificare Graecis civitatum defectum: quod dicerent, solem, Graecorum esse praemonstratorem, lunam ipsorum.' Ea re audita, Xerxes maiorem in modum laetatus, ire pergebat.

38. Quem procedentem adiens Pythius Lydus coelesti ostento perterritus, elato animo propter munera his verbis alloquutus est; Domine indulgeas, quid quod impetrare cupio, tibi leve concessu, sed mihi pro magno futurum? Xerxes nihil non potius, quam petebat, illum petiturum ratus, se indulturum respondit, et ut peteret proloqui iussit. Pythius ubi hoc audivit, sumpta fiducia, Domine, inquit, quinque mihi filii sunt, quos omnes contingit in militiam tecum ire adversus Graeciam: horum unum tu quaeso, rex, misertus mei qui huc processi aetatis, dimitte ab militia eum, qui natu est maximus: ut et mei ipsius et census curam gerat; quatuor tecum ducas: ita confectis quae in animo habes, rursus revertaris!

39. Rex ob id admodum indignatus, his verbis respondit, Homo improbe, tune, quum ego ipse in expeditionem eam adversus Graeciam, filiosque meos et fratres et domesticos et amicos ducam, ausus es mentionem filii tui facere, qui meus es servus, quem oportebat cum omni familia et ipsa uxore me comitari? Probe nunc discito hoc, animum in hominum habitare auribus: qui bona quum audivit, corpus voluptate implet: his contraria audiens exacerbatur. Tu itaque

quum bene fecisti, et alia eiusdem generis promisisti, non gloriaberis te supergressum esse regem munificentia: quum vero ad impudentiora conversus es, non tu quidem pro merito, sed minora quam pro merito accipies: nam te et quatuor filios liberant hospitalia munera: unius autem, quem praecipue complecteris, vita mulctabere. Haec quum respondisset, subito imperavit iis quibus delegatum erat ista exequi, ut maximum natu filiorum Pythii inventum discinderent medium: eiusque discissi dimidium ad dexteram viae, et dimidium ad sinistram disponent, et illac transiret exercitus.

40. Hoc illi ubi exequuti sunt, illac exercitus pertransivit. In quo praecedebant ii qui sarcinas portabant et impedimenta. Post hos omnigenarum gentium non distinctae sed promiscuae copiae, numero ultra dimidium exercitus. Post has intercedebat intervallum: neque enim isti cum rege miscebantur. Praecedebant mille equites e Persis omnibus delecti: secundum hos totidem hastati, et ii delecti ex omnibus, versis deorsum in terram spiculis. Post hos sacri equi decem quam pulcherrime ornati, qui Nisaei dicuntur, ideo sic dicti, quod est ingens Medicae regionis campus nomine Nisaeus, qui grandes fert equos. Hos decem equos sequebatur sacer Iovis currus, quem octo equi albi trahebant, pone auriga comitante, qui pedibus ingrediens habenas tenebat, hanc enim sellam nemo mortalium inscendit. Post quem ipse Xerxes in curru equorum Nisaeorum, ad latus incedente auriga, cui nomen erat Patiramphes, Otanis filius, viri Persae.

41. Hunc quidem in modum Sardibus excessit Xerxes: sed e curru, quoties ratio exigebat, in essedum transcendebat. Eum sequebantur hastati Persarum optimi ac nobilissimi mille, e more spicula gestantes. Post hos alius delectus equitatus mille Persarum. Dehinc e ceteris Persis decem millia peditum delecta, quorum mille in hastis pro imis cuspidibus gestabant mala punica aurea, et reliquos undique includebant; at novem millia sic ab eis circumdata habebant argentea mala punica; sed et aurea mala punica habebant illi, quorum terram versus spectabant spicula: etiam mala, ii qui Xerxem proxime sequebantur. Haec decem millia ordine subsequebatur equitatus e decem millibus Persarum. Relicta post hos duorum stadiorum intercapedine, mox ibat cetera multitudo promiscue.

42. Ita exercitus e Lydia perrexit ad flumen Caicum et regionem Mysiam: a Caico autem a laeva ha-

bens montem Canae, per Atarnem ad urbem Carinam. Ab hac per campum Thebae, urbem Atramyttium et Antandrum Pelasgidem praetergrediens, et Idam ad sinistram manum stringens, ad terram Iliensem pervenit: cui primum sub Ida noctem agenti, tonitrua et fulgura ingruerunt, et complures ibidem ex eo exercitu occiderunt. Deinde ad Scamandrum est ventum, quem fluviorum primum, ex quo iter e Sardibus fieri coeptum est, aqua destituit, nec exercitui iumentisque potantibus suffecit.

43. Ad istum amnem Xerxes postquam pervenit, Priami Pergamum ascendit, loci visendi cupidus. Quod ubi contemplatus est, et singula quaeque eorum audivit, Minervae Iliadi mille boves immolavit: sed et libamina Magi heroibus dederunt. His actis terror per noctem exercitum invasit. Simul atque illuxit, illinc movit, a laeva stringens Rhoetion urbem, et Ophryneon, et Dardanon, quae Abydo contermina est: a dextra, Gergithas Teucros,

44. Ubi in Abydon venerunt, Xerxi incessit cupido omnem exercitum oculis subiiciendi: itaque in exedra prominente, quam ei Abydeni prius ab illo iussi e candido lapide in tumulo industrie exstruxerant, residebat prospiciens et in litore spectabat pedestres copias atque classem. Quam dum intuetur, subiit eum cupiditas spectandi navale certamen. Id certamen postquam commissum est, in quo Phoenices Sidonii vicere, voluptatem Xerxes cepit, cum certaminis, tum copiarum spectaculo.

45. Et quum intueretur omnem Hellespontum navibus obductum, omnia vero litora atque Abydenorum campos hominibus refertos, ibi se beatum esse iactavit, et post haec lacrymas fudit.

46. Sed animadvertens Artabanus eum patruus, qui primo libere sententiam protulerat dissuadens bellum Graeciae inferendum, hic vir considerans Xerxen lacrymantem, his verbis alloquebatur, Quam valde diversa, rex inter se nunc facis et paulo ante: nam qui te beatum esse dixeras, nunc lacrymas fundis. Et ille, Reputantem me, inquit, quam brevis sit omnis humana vita, subiit horum miseratio; quorum, quum tot sint, nemo ad centesimum annum supererit. Excipiens Artabanus, Atqui, inquit, alia, quam istud est, vivendo miserabiliora patimur. Nam in tam brevi vita nullus hominum adeo felix exstitit, neque horum neque

aliorum, cui non crebro, nedum semel, subitura sit animo moriendi voluntas potius quam vivendi. Incidunt enim calamitates et morbi perturbant: efficiuntque, ut quum vita brevis sit, tamen perlonga videatur. Ita mors optatissimum est perfugium aerumnosae vitae: sed deus, dulci gustu saeculum adspergens, in eo invidus esse deprehenditur.

47. Cui Xerxes, Artabane, inquit, de humana quidem vita, cuius conditio talis est, qualem tu exponis, commemorare supersedeamus: neque tristium meminerimus, quum iucunda in manibus habeamus. Hoc mihi potius edissere: nisi tibi ita evidens insomnii visio fuisset oblata, perstare se adhuc in priore sententia, dissuadens mihi adversus Graeciam bellum? an eam desereres? agedum aperte hoc mihi dicito. Ei respondens Artabanus, Visio, inquit, rex, quae in somnis obiecta est, ad votum succedat amborum! ego autem adhuc adeo metu perculsus sum, ut non sim apud me; etiam mecum reputans alia multa, tum quoque duo, omnium maxima, videns tibi summopere hostilia.

48. Ad haec Xerxes, Divine vir, inquit, quaenam ista ais duo mihi summopere hostilia esse? utrum terrestris exercitus tibi improbandus est, tanquam non satis copiosus? et multo numerosior ille Graecus futurus esse nostro videtur? an classis, tanquam illorum classe inferior? an haec ambo? Nam si ob hoc imbecilliores tibi videntur nostrae res, celerrime alterum quis exercitum comparet.

49. Respondit Artabanus, Neque hunc, rex, exercitum improbaverit quisquam, qui sit mentis compos, neque hanc navium multitudinem. Si vero plures coëgeris, quae duo, dico, erunt tibi multo magis hostilia. Ea vero duo sunt, terra, et mare: neque enim usquam maris portus est eiusmodi, ut ego coniecto, qui surgente tempestate sit capax huius tuae classis, idoneusque ad eam tutandam; neque vero unum illam portum esse oportet, sed per universam continentem, quam praeterveharis. Itaque quum portus tibi opportuni desint, intellige homines in arbitrio fortuitorum, non fortuita in arbitrio hominum esse. Et sic e duobus uno exposito, Pergo dicere alterum: Terra tibi hostilis est; si nihil illic adversarium tibi vult constituere, eo hostilior tibi est, quo longius processeris, assidue ulterius surripiens. Nulla enim est hominibus rei feliciter cedentis satietas. Unde etiam, ut nemo tibi occurrat, dico maiorem maiori in tempore regionem, famem esse alla-

turam. At vir ita demum fuerit optimus, si in deliberando quidem, omnem rem se passurum reputans, extimescat, in re autem agenda sit audax.

50. Cui Xerxes, Artabane, inquit, probabiliter tu quidem horum singula discrevisti: tamen non est ut omnia reformides, omniaque peraeque consideres. Nam si velis in negotii cuiuscunque supervenientis consultatione semper omnia perinde considerare, nunquam aliquid efficias. Satius autem omnia alacriter aggredientem dimidium aerumnarum pati, quam omni in re praesumpto metu nihil omnino pati. Quod si repugnando omnibus quae dicuntur, neque quod firmum est, demonstraveris, labi debes in illis, perinde atque is qui contraria istis dicat. Hoc sane perinde se habet. Scire vero aliquem, quum sit homo, qua ratione quid firmum esse oporteat, nequaquam arbitror. At eos qui volunt, consueverunt plerumque sequi lucra: raro autem illos qui perpensant omnia, et qui agere cunctantur. Cernis quo res persica pontentiae processit! quo nunquam progressam videres, si ii, qui ante me extitere reges, istiusmodi consiliis, quibus tu, usi fuissent; aut non utentes istis, alios suasores tales habuissent: nunc pericula contemnentes, tantopere illam provexerunt. Magna enim negotia magnis cum periculis suscipi volunt. Quare nos, illorum facta aemulantes, optimo anni tempore ingredimur: subactaque omni Europa, rursus revertemur, nullam unquam neque famem neque rem tristem passi: nam et commeatus affatim ipsi nobiscum portamus: et ad quamcunque vel regionem vel gentem veniemus, eius re frumentaria potiemur: nam aratoribus viris non pastoribus inferimus bellum.

51. Posthaec Artabanus, Quandoquidem, inquit non sinis ullam rem formidari, tu tamen meum admitte consilium: necesse est enim de multis negotiis in longius extrahi orationem: Cyrus, Cambyse genitus, omnem praeter Athenas Ioniam Persis tributariam reddidit quare suadeo ne quo pacto hos viros adversus parentes suos ducas: nam sine Ionibus satis superque sufficimus hostem superare: quos necesse est aut iniustissimos esse, si metropolim suam in servitutem redigant; aut iustissimos si illius libertatem adiuvent. Si iniustissimi erunt, nullo modo certe nobis magnum lucrum adferunt: sin iustissimi, magnam poterunt tuo exercitui afferre perniciem. Itaque hoc vetus dictum tanquam probum in mente habe, non statim cum initio exitum omnem esse manifestum.

52. Ad haec excipiens Xerxes, Artabane, inquit, sententiarum quas dixisti in hac praecipue falleris, qui Iones metuis ne immutentur; quorum maximum habemus documentum; quorum et tu testis es, et qui alii cum Dario adversus Scythas militaverunt; quia in eorum potestate situm fuit universas Persarum copias et perdere et servare: illi vero fidem iustitiamque praestiterunt, nihil ingratum committentes. Praeterea quum liberos suos atque uxores et opes in nostra terra reliquerint, ne cogitare quidem oportet eos aliquid rerum novarum molituros. Quare neque hoc extimescas, sed bonum habens animum, tutare meam domum atque tyrannidem: tibi enim soli ex omnibus ego sceptra mea permitto.

53. Haec loquutus Xerxes Artabanum Susa dimisit, iterumque illustrissimos quosque Persarum arcessivit. Qui posteaquam praesto fuere, his eos verbis alloquutus est, ô Persa, ego haec a vobis contendens, vos contraxi, ut viri praestantes existatis, neve res antehac gestas a Persis magnas praeclarasque dedecoretis: sed cum singuli, tum universi exhibeamus alacritatem, commune enim hoc omnibus bonum procuratur. Eaque de re vobis impero bellum gnaviter excipere: nam ut ego audio, adversus viros egregios tendimus; quos si superaverimus, nullus unquam nobis alius hominum exercitus obstabit. Nunc igitur deos praesides terrae Persidis precati, transeamus.

54. Ac eo quidem die sese ad transeundum paraverunt. Postero autem tansisper morati sunt, volentes solem exorientem cernere, omnis generis odores in pontibus adolentes, ac myrto itur consternentes. Ubi sol exortus est, ex aurea phiala Xerxes libans in mare, ad solem vota concepit, nequid sibi adversi contingeret, quo prius desisteret Europam subigere, quam ad illius terminos perveniset. Haec precatus, phialam in Hellespontum abiecit, aureumque craterem, ac gladium Persicum, quem acinacem vocant. Hoc pro comperto diiudicare non possum, utrum soli dedicans gladium demiserit in pelagus; an Hellespontum, quod eum flagellasse poeniteret, in compensationem gladio donaverit.

55. His actis, per alterum pontium, qui vergebat in Pontum, peditatus omnis equitatusque transivit: per alterum qui vergebat in Aegaeum iumenta atque servitia, praecedentibus decem millibus Persarum, coronatis omnibus, quos promiscuus omnium nationum sequeba-

tur exercitus, et hi quidem eo die. Insequenti autem die primi transiere equites, quique spicula deorsum versa gestabant, et hi etiam coronati, dehinc equi sacri, ac sacer currus, tum ipse Xerxes, post hastati, et mille equites; post hos alius exercitus, et naves pariter ad ulterius litus agebantur: quanquam audivi quoque postremum omnium transisse regem.

56. Xerxes, posteaquam in Europam traiecit, conspicabatur exercitum sub flagellis transeuntem. Transivit autem eius exercitus septem per dies totidemque noctes, nullo tempore intermisso. Ibi iam transgresso Hellespontum Xerxe, fertur quidam vir Hellespontius dixisse, O Iupiter, quidnam tu sub specie viri Persae, et accepto Xerxis pro Iovis nomine, Graeciam e sedibus suis exturbare vis, omnes homines ducens, quum etiam sine his tibi id facere liceret?

57. Transgressis omnibus et iter ingredientibus, ingens prodigium oblatum est: quod Xerxes nihili fecit, etsi ad coniecturam patens; siquidem equa leporem enixa est: quod facile erat inde ad coniectandum; quod Xerxes quidem exercitum adversus Graeciam cum maximo strepitu et ambitiosissime ducturus foret, rursusque pro seipso sollicitus, ad eundum locum fuga recursurus. Alterum quoque ei prodigium, dum Sardibus foret, exhibitum est: mula enim mulam edidit ancipitia genitalia habentem, maris et feminae; sed maris erant superiora.

58. Quorum prodigiorum utrumque pro nihilo habens, ire pergebat, comitante eum pedestri copia, quum navalis exercitus extra Hellespontum navigans terram legeret, diverso pedestribus cursu: nam iste quidem vesperam versus ad promontorium Sarpedonium navigabat; quo quum pervenisset, iussus erat permanere: at terrestris exercitus ad auroram et solis exortum iter faciebat per Chersonesum, dextrorsum habens sepulcrum Helles filiae Athamantis, sinistrorsum Cardiam urbem; tum progressus per medium oppidi, cui nomen est Agora, illinc deflectens ad sinum nomine Melana, et fluvium, cui idem est nomen, fluxu non sufficientem exercitui, sed deficientem, hunc dico fluvium, unde etiam sinus iste accepit appellationem, transgressus vesperam versus contendit, et Aenon urbem Aeolidem et paludem Stentoridem praeteriens, donec ad Doriscon pervenit.

59. Est autem Doriscus Thraciae litus et campus ingens, quem grande flumen Hebrus interfluit: ubi extructum est castellum regium quod Doriscus appellabatur, in

quo Persarum erat praesidium a Dario iam inde impositum, quum Scythis inferebat bellum. Quum igitur locus digerendis recensendisque copiis idoneus videretur, Xerxes ita sibi faciendum putavit. Eius iussu navarchi, quum eo appulissent, omnes naves ad litus Dorisco contiguum receperunt, ubi Sala urbs Samothracica et Zona sitae sunt: cuius litoris ultima Serrium, celebre promontorium qui locus quondam erat Ciconum. In hoc litus appulsa ac subducta classe, respiravere. Xerxes autem per hoc tempus apud Doriscou colligebat numerum militantium.

60. Equidem quantam singuli turbam ad numerum praebuerint, pro certo affirmare non possum; quoniam a nullis prorsus hominibus id refertur: pedestris autem exercitus multitudo comperta fuit centum septuaginta myriades, vel decies septies centena millia. Numerum hoc modo inierunt: Conduxerunt unum in locum myriadem, vel decem millia hominum: quo coarctata quam maxime poterant, extrinsecus circulum circumscripserunt; quo facto emissaque illinc myriade, sepem ex circuli modo circumdederunt, in altum excitantes umbilico viri tenus. Eam ubi fecere, aliam subinde intra illud circumstructum myriadem introduxerunt: donec omnes isto pacto enumeraverunt; numeratos autem nationatim digesserunt.

61. Ex quibus qui militabant, hi erant. Persae, hunc in modum ornati: Circa capita gestabant pilea, quas vocant tiaras, non densata; circa corpus tunicas, manicis auctas, varii coloris, squama e ferro conserta in similitudinem piscium: femoralia circa crura: pro clypeis gerra, pharetris subter pendentibus: hastas breves, arcus grandes, sagittas arundineas: insuper ad dextrum femur pugiones e zona suspensos. Hi ducem habebant Otanem patrem Amestris, quae erat uxor Xerxis. Vocabantur autem quondam Persae a Graecis Cephenes; a se vero ipsis atque ab accolis, Artaei: verum posteaquam Perseus Danaës et Iovis filius ad Cepheum Beli filium commeavit, et Andromedam eius filiam duxit uxorem, sustulit ex ea filium, quem Persem appellavit, eumque illic reliquit: a quo, nam Cepheus carebat virili prole, cognomen sortiti sunt Persae.

62. Medi eodem ornatu instructi militabant; nam haec armatura Medica est, non Persica. Habebant autem ducem Tigranem, virum Achaemenidem. Hi quondam ab omnibus vocabantur Arii: sed ubi ad istos Arios concessit Athenis Medea Colchis, immutaverunt et ipsi nomen. Ita de se ipsi Medi commemorant. Cissii in militia cetero ornatu ut Persae erant armati, sed pro pileis

mitras ferebant. Eis dux erat Anaphes Otanis filius. Hyrcani quoque Persica armatura ornati ducem habebant Megapanum, qui postea Babylonis procurator fuit.

63. Assyrii autem qui militabant, hunc habebant ornatum: aereas galeas in capitibus, barbarico quodam modo consertas nec facili ad enarrandum: clypeos autem, hastas, pugiones Aegyptiacis adsimiles: et praeterea ligneas clavas ferro quasi callo horridas, ac lineos thoraces. Isti a Graecis Syrii vocabantur, sed a barbaris Assyrii sunt vocati, inter quos Chaldaei sunt, iis praeerat Otaspes Artachaei filius.

64. Bactrii ornatu capitis persimili illius Medici militabant, sed more gentis, arundineis arcubus et hastis brevibus. Sacae, qui Scythae sunt, in capitibus gestabant pilea, in acutum erectas atque compactiles, induti femoralibus: nec non arcus gentiles atque pugiones, ad hoc secures sagares. Hos, quum sint Scythae Amyrgii, Sacas Persae Sacas appellant. Bactriis et Sacis praeerat Hystaspes, Darii filius et Atossae Cyri filiae.

65. Indi vestiti erant amictu e xylo confecto: arcus arundineos gestabant, itemque arundineas sagittas ferro praefixas: ita instructi Indi, erant sub duce Pharnazathre Artabatis filio. Arii Medicis arcubus muniti erant, cetera Bactriorum similes. Iis praeerat Sisamnes Hydarnis filius.

66. Parthi et Chorasmii et Sogdi et Gandarii et Dadicae eandem quam Bactrii armaturam gestantes militabant, quorum Parthis et Chorasmiis praeerat Artabazus Pharnacis filius: Sogdis, Azanes Artaei fililus: Gandarus et Dadicis Artyphius Artabani filius.

67. Caspii, sisyrnis, genus est rude vestis, induti arcus gentili more arundineos gestabant et acinaces, ducem sui agminis habentes Ariomardum Artyphii germanum. Sarangae indumenta gestantes versicolaria decori erant, caligasque genuum tenus allevatas: sed arcus lanceasque Medicas, duce Perendate Megabazi filio. Pactyes, et ipsi sisyrnas ferebant, et vernaculos arcus atque pugiones: quorum dux erat Artyntes Ithamatris filius.

68. Utii et Myci et Paricanii eodem quo Pactyes modo armati erant sub his ducibus: Utii quidem et Myci, sub Arsamene Darii filio: Paricanii vero sub Siromitre Oeobazi filio.

69. Arabes succincti erant ziras: amiculi genus, arcusque recurvos, ad dextrum latus et longos gestabant.

Aethiopes pardorum pellibus leonumque amicti; arcus e palmarum spathis factos gerebant, longos, quatuor non minus cubitis; item breves ex arundine sagittas, pro ferro praefixas eo lapide acuminato, quo sigilla sculpunt: Praeterea hastas et in eis capreae cornu erat acuminatum et instra spiculi factum; sed et clavas callo clavorum duratas habebant. Hi quum eunt in pugnam, dimitiatum corpus gybso, alterum minio illinunt. Arabum autem Aethiopumque, qui super Aegyptum incolunt, dux erat Arsanes, Darii filius et Artystooae Cyri filiae: quam Darius ex uxoribus maxime adamans, statuam auream malleo ductam fecit. Arsanes quidem Aethiopibus, qui sunt super Aegyptum, atque Arabibus praeerat.

70. Ii autem Aethiopes qui sunt ab ortu solis, nam duplices militabant, accensebantur Indis, forma nihil admodum a ceteris differentes, sed voce duntaxat atque capillicio. Nam Aethiopes qui ab sole sunt, promissos crines; qui ex Africa: crispos maxime inter omnes homines habent. Aethiopes autem hi ex Asia pleraque arma eadem Indis gestabant, sed antefrontes equinas cum auribus excoratas atque iuba in capitibus, ut ipsa iuba pro crista esset, et hirtae aures equinae rigerent: in locum clypeorum pelles gruum praetendebant.

71. Libyes autem corio armati iere, ac iaculis adustis, duce Massage Oarizi filio.

72. Paphlagones autem capitibus gerebant consertas plectendo cassides, scuta exigua, hastas haud magnas; praeterea iacula, pugionesque; pedibus inductas caligas populores ad mediam tibiam ascendentes. Eandem Paphlagonibus armaturam gestabant Ligyes et Matieni et Mariandyni et Syri. Isti autem Syri a Persis Cappadoces vocantur. Paphlagonum et Matienorum dux erat Dotus Megasidrae filius: Mariandynorum et Ligyum et Syrorum, Gobryas Darii filius et Artystonae.

73. Phryges autem proximam Paphlagnicae armaturam gerebant paullum differentes: qui, ut Macedones aiunt, tamdiu vocati sunt Briges, quamdiu Duropaei fuerunt, Macedonum accolae; transgressi autem in Asiam, una cum loco nomen immutavere in Phryges. Armenii Phrygum cultu armati erant, utique illorum coloni; His utrisque praeerat Artochmes, qui Darii filiam in matrimonio habebat.

74. Lydi proxime ad Graecorum armaturam accedebant, olim Meones vocati: pristinoque nomine mutato, a Lyde Atyis filio cognomen acceperunt. Mysi super

capita gentiles galeas ferebant, scutula quoque ac adusta iacula. Sunt autem Lydorum coloni, a monte Olympo Olympieni nominati. Horum utrisque praeerat Artaphernis filius, qui collega Datis Marathonem invasit.

75. Thraces vulpinas pelles capitibus gestabant, corpus tunicis, et insuper circumdati variis ziris; ad pedes ac tibias caligae hinnulorum; ferentes praeterea iacula et peltas et pugiunculos. Isti transgressi in Asiam vocati sunt Bithyni; prius appellati, ut ipsi aiunt, Strymonem accolerent; a suisque sedibus exactos se dicunt a Teucris et Mysis.

76. Thracibus autem qui Asiam incolunt praeerat Bassaces Artabani filius, gestantibus brevia e crudo corio scuta, et bina singulis venabula ad lupos urgendos, in capitibus aereas cassides, et super sides ex aere factas aures bovis et cornua, impositis etiam cristis; tibias autem fasciis purpureis involutas. Martis oraculum apud hos viros est.

77. Cabelees Meones, qui Lasonii vocantur, eundem cultum gerebant Cilicibus: quem ego, quum ordine ad Cilices veniam, indicabo. Milyae autem hastas breves gerebant, et vestes fibulis substrictas, et eorum nonulli Lycios arcus, in capitibus galeas e pellibus factas. Horum omnium praefectus erat Badres Hystanis filius. Moschi ligneas circa capita galeas gerebant, scutaque ac hastilia brevia, sed longa in hastilibus spicula.

78. Eodem quo Moschi ornatu militabant Tibareni, et Macrones, et Mosynoeci, quos hi regebant: Moschos et Tibarenos Ariomardus, Darii filius et Parmyis filiae Smerdis, filii Cyri. Macrones et Mosynoecos Artayctes, Cherasmis filius, qui Sesti in Hellesponto praeses eras.

79. Mares in capitibus gentiles cassides plexas gerebant, scutaque coriacea parva et iacula. Colchi capita tegebant galeis ligneis; aderant scuta ex crudo bovis tergore parva et hastae breves, praeterea machaerae. Praeerat autem Maribus et Colchis Pharandates Teaspis filius. Alarodii et Saspires eodem quo Colchi ornatu militabant, duce Masistio Siromitrae filio.

80. Insulanae gentes, quae rubro e mari sequutae sunt ex iis insulis, ad quas transportare rex solet, quos e suis locis summovet, gerebant proxima Medis et ve-

stimenta et arma: quibus praeerat Mardontes Bagaei filius, qui apud Mycalen dux secundo post haec anno in pugna oppetiit.

81. Hae erant nationes quae per continentem ibant, ex quibus constabat pedester exercitus: quibus ii praeerant qui commemorati sunt, quique ordinarant milites enumeraverantque et praefectos mille militum, et praefectos decem millium delegerant: nam hi creaverant centuriones decurionesque. Erant et alii agminum et gentium praetores: verum ii qui nominati sunt, erant duces.

82. Horum tamen et totius exercitus pedestris imperatores erant Mardonius Gobryae filius, et Tritantaechmes filius Artabani, qui dissuaserat bellum Graeciae inferendum, et Smerdomenes Otanis filius, ambo hi fratrum Darii filii, Xerxis patrueles: et Masistes Dario et Atossa genitus, et Gergis Brizi et Megabyzus Zopyri filius.

83. Hi erant imperatores omnium pedestrium copiarum, praeter illa delecta Persarum decem millia, quibus praeerat Hydarnes Hydarnis filius: qui Persae vocabantur immortales, ob hoc, quod siquis eorum aut nece aut morbo numerum imminueret, alius sufficiebatur: nec unquam plures erant paucioresve decem millibus. Praecipuo inter omnes cultu erant Persae decori, et iidem praestantissimi. Armaturam quidem habebant talem, quae dicta est: et praeterea multo et immenso auro conspicui, ducentes una carrucas cum pallacis ac familia permulta eaque belle ornata: necnon camelos ac iumenta, praeter ceteros milites, quae commeatum portabant.

84. Equitant autem hae nationes: sed non omnes habebant equos, verum hae solae: Persae, qui eadem erant qua peditatus armatura ornati, nisi quod quidam illorum gestabant in capitibus opera ex aere ferroque ductilia.

85. Sunt autem quidam pastorii homines, qui Sagartii appellantur, gens quidem etiam sermone Persica, sed cultu inter Persicum et Pactyicum, qui contulerunt equitatum octo millium equitum, armaturam neque aheneam neque ferream assueti ferre, praeter pugiones, utentes reste e loris conserta, qua freti in bellum eunt. Est autem pugna eorum virorum huiusmodi: Cum hoste congredientes iniiciunt eas restes in summo habentes la-

queos, qui quum aut equum aut hominem adepti sunt, eum ad se trahunt: ita illi septis illaqueati conficiuntur. Talis horum pugna est, iidemque inter Persas erant collocati.

86. Medi eandem equites quam pedites armaturam gerunt: et item Cissi. Indi quoque eandem quam peditatus suus gestant armaturam: ceterum equos singulares agebant et currus: quibus curribus suberant et equi et asini agrestes. Bactrii eodem ornatu instructi erant equites quo pedites, et item Caspii. Libyes et ipsi eandem quam pedites armaturam gerebant: curruum autem hi cuncti erant agitatores. Caspii quoque et Paricanii itidem atque suus peditatus instructi erant, Necnon Arabes eo quo pedites ornati cultu; sed cuncti agitabant camelos nihilo inferiores equis pernicitate.

87. Hae solae gentes erant equestres. Fuitque numerus equitum, octoginta millia, praeter camelos et currus. Et alii quidem equites per ordines fuerunt appositi! Arabes autem in ultimo locati, ob id postremi, ne equitatus consternaretur, equis camelos non tolerantibus.

88. Equitatus autem praefecti erant, Harmamithres et Tithaeus, filii Datis: quorum tertius collega Pharnuches Sardibus erat relictus aegrotus. Nam quum Sardibus proficiscerentur, in calamitatem incidit insciens: equitante enim eo canis sub pedes equi intercurrit: quo equus improviso territus atque erectum sese attollens, Pharnuchem excussit. Hic collapsus sanguinem vomuit, et morbus transiit in tabem. Equo autem, a casu statim domini, fecerunt famuli ut ille iusserat: abducto namque in eum locum ubi dominum straverat, crura in genibus absciderunt. Itaque Pharnuches ita a praefectura summotus est.

89. Porro triremes inito numero fuere mille ducentae et septem; quas hi praebuere: Phoenices, cum Syriis qui Palaestinam incolunt, trecentas, hunc in modum ornati; Circa capita galeas Graecanicis proximas gerebant, induti thoracibus lineis, cum scutis umbone carentibus, cumque iaculis. Hi Phoenices, ut ipsi memorant, quondam mare rubrum accolebant: illinc transgressi, maritima Syriae habitant. Is autem tractus Syriae, et quicquid Aegypto tenus est, Palaestina vocitatur. Aegyptii ducentas praebebant naves. Hi circa capita cassides forcipiculatas gerebant, concava autem scuta magnis umbonibus praedita, ac hastas nauticas,

et grandes bipennes: eorum turba thoraces gerebat ac magnas machaeras Hunc in modum isti armati erant.

90. Cyprii autem centum quinquaginta naves praebebant, hoc modo armati: Reges eorum mitris redimita capita habebant; reliqui tunicas gestabant, cetera ut Graeci. Quorum illae gentes sunt partim a Salamine et Athenis, partim ab Arcadia, partim a Cythno, partim a Phoenice, partim ab Aethiopia oriundi, ut ipsi Cyprii aiunt.

91. Cilices, centum naves: hi circa capita ferebant gentiles galeas, pro scutis parmulas e crudo bovis corio factas, laneis tunicis induti: bina singuli iacula gestantes, et ensem machaeris Aegyptiacis persimilem. Hi quondam Hypachaei appellati fuerant, sed a Cilice Agenoris filio, viro Phoenice, illud nomen acceperunt. Pamphyli, triginta naves, Graecanicis armis ornati: qui ab illis originem ducunt, qui cum Amphilocho et Calchante et Troia disiecti fuerunt.

92. Lycii praebuerunt naves quinquaginta, thoracibus ocreisque instructi; arcubus quoque e corno factis, et arundineis sagittis sine pennis, atque iaculis; gerentes ex humeris suspensas caprae pelles, et in capitibus pilea pennis circum coronata, quin etiam pugiones et falces. Hi e Creta oriundi, quondam Termilae nominati, sed a Lyco Pandionis filio, viro Atheniensi, Lycii fuerunt cognominati.

93. Dorienses, qui sunt ex Asia, naves triginta: hi Graeca gerebant arma, e Peloponneso propagati. Cares, septuaginta naves, cetera Graeco more ornati, sed et falces et pugiones gerebant, qui quales prius appellati fuerint, in prioribus libris dictum est.

94. Iones, centum naves, armati Graeco ritu: qui quandiu in Peloponneso regionem, quae vocatur nunc Achaia, incoluerunt, et ante adventum Danai et Xuthi in Peloponnesum, ut Graeci aiunt, vocabantur Pelasgi Aegialees, litorales, sed ab Ione Xuthi filio, Iones sunt appellati.

95. Insulani, naves decem et septem, armati ut Graeci: et ipsi Pelasgica gens, sed mox Ionica ob eandem causam, et duodecim oppida Ionica ab Athenis. Aeolenses, sexaginta naves, more Graeco armati, et olim Pelasgi, ut apud Graecos fertur, vocati. Hellespontii, praeter Abydenos, quibus mandatum erat ab rege ut loco manerent ad pontes custodiendos, ceterique e Ponto, dabant centum naves, Graece ornati, Ionum ac Doriensium coloni.

96. In omnibus autem navibus epibatae erant Persae et Medi et Sacae; quarum optime navigantes praebuere Phoenices, et inter Phoenices, Sidonii. His omnibus, et item pedestribus eorum copiis praefecti erant populares duces: quorum ego, quia ratio historiae non exigit necessario, non faciam mentionem. Neque enim singularum nationum duces digni memoria fuere, quarum quot urbes, tot duces exstitere: sequebantur enim non ut ductores, verum ut alii bellantes servi: quoniam duces, penes quos summa imperii erat, et singularum gentium principes, quinam eorum Persae fuerint, a me commemoratum est.

97. Nauticis autem hi copiis praefuere: Ariabignes Darii, et Prexaspes Aspathinis, et Megabazus Megabatis, et Achaemenes Darii filius. Ionicae quidem classi et Caricae Ariabignes, ex Dario et filia Gobryae genitus: Aegyptiacae autem Achaemenes, Xerxis ex utroque parente germanus: reliquae autem classi reliqui duo. Porro triginta aut quinquaginta remorum navigia, et cercuri, cum hippagogis, longa, contracta constat ad tria millia pervenisse.

98. Eorum autem qui in classe erant, secundum duces, illustrissimi fuere, Sidonius Tetramnestus Anysi filius, et Tyrius Mapen Siromi, et Aradius Merbalus Agbali, et Cilix Syennesis Oromedontis, et Lycius Cyberniscus Sicae filius. Cyprii autem, Gorgus Chersis, et Timonax Timagorae filius. Carum vero Histiaeus Tymnis, et Pigres Seldomi, et Damasithymus Candaulis filius.

99. Aliorum nunc praefectorum mentionem facere supersedeo, tanquam non necesse habens. Verum Artemisiae praecipua me tenet admiratio, mulieris expeditionem adversus Graeciam sequutae: quae defuncto viro, et ipsa tyrannidem obtinens, quum et filius ei esset adolescens, praestantia animi atque virilitate in militiam concessit nulla adacta necessitate. Nomen ei erat Artemisiae, Lygdamis filiae, paternum genus ex Halicarnasso, maternum e Creta. Imperans haec Halicarnassensibus, et Cois, et Nisyriis, et Calydniis, quinque cum navibus venit, et universae classis post Sidonias, naves praebuit celebratissimas. Eadem apud regem optimas inter omnes socios sententias dixit. Quas civitates recensui sub illius imperio fuisse, earum universam gentem annuo Doricam esse; Halicarnassenses quidem Troezenios, ceteros autem Epidaurios. Hactenus de nautico exercitu.

100. Xerxes, inito copiarum numero, militibus compositis, concupivit illos lustrando oculis obire: quemadmodum et fecit. Itaque inscenso curru unamquamque nationem lustrans, percontabantur; quam professionem scribae excipiebant, donec ab extremis ad extremos equitum peditumque perventum est. Hoc perfecto, et navibus in mare deductis, ibi Xerxes e curru in navem Sidoniam transcendit: residensque sub aureo tabernaculo, praetervehensque navium proras sciscitabatur de singulis itidem ut de terrestri exercitu fecerat, describique iubebat. Enimvero navarchi productas a litore quatuor fere plethrorum spatio naves stabilierant, conversis ad terram proris, omnes versus frontem, propugnatoribus quoque tanquam ad proelium armatis; quos Xerxes inter proras et litus navigans conspicabatur.

101. Ubi autem et classem lustravit, egressus navi arcessivit Demaratum Aristonis filium, comitem huius adversus Graeciam expeditionis, eique arcessito ita inquit, Demarate, iuvat nunc me quae cupio abs te interrogare, qui et Graecus es, et non ex minima neque maxime invalida civitate; ut audio tam ex te quam ex aliis Graecis, qui in sermones mecum veniunt: nunc igitur hoc mihi expone, nunquid Graeci sustinebunt manus contra me levare: nam, ut ego opinor, nec si omnes Graeci ac ceteri ad occasum incolentes homines congregarentur, pares essent ad me invadentem sustinendum, siquidem non sint concordes. Libet tamen mihi abs te audire quid de hoc dicas. His verbis ille interrogavit. Demaratus autem excipiens, Utra, inquit, apud te rex utar, veritate an iucunditate? Ille ut veritate uteretur iubere: neque enim sibi ob id eum minus iucundum fore, quam antea fuisset.

102. Hoc ubi Demaratus audivit, Quoniam, inquit, me iubes, rex, omnino veritatem proloqui, ea dicentem ob quae nemo mendacii postea a te convincetur; Graecia semper quidem alumna fuit paupertatis, virtus autem adventitia, sapientia et legibus culta severis, quam usurpans Graecia, et paupertatem abigit et dominatum. Ita laudo quidem omnes Graecos, qui circa Dorica illa loca incolunt: sed non de cunctis eis haec verba faciam, verum de Lacedaemoniis solis. Iam primum fieri non poterit ut tuas voces admittant, afferentes Graeciae servitutem: deinde venient tibi obviam ad pugnandum, etiam si ceteri Graeci omnes sentiant tecum. Neque vero de numero eorum quaeras, quot illi sint, qui hoc facere possint: nam si in exercitu

eorum mille fuerint, ii tecum congredientur; et item sive pauciores sive etiam plures.

103. Haec quum audisset Xerxes, cachinnans inquit, Demarate, quodnam extulisti verbum? mille omnino viros cum tanto exercitu congressuros? Agedum, dic mihi, nonne teipsum ais istorum virorum fuisse regem? visne igitur sine mora tu cum decem viris dimicare? Quod si vestri populares omnes tales sunt, quales tu praedicas, profecto secundum vestra instituta decet te, qui illorum es rex, ad duplum comparari: nam si denis e meo exercitu singuli eorum pares sint, iure abs te posco, ut viginti sis par; ita verba quae dixisti, comprobabuntur. Atqui si tales sunt illi ac proceritate tanti, qualis tu, ac Graeci qui in colloquium meum venerunt, tantopere gloriamini, vide ne frustra id insolenterque faciatis: nam age intelligam quacunque probabilitate, unde fieri queat, ut mille aut decem millia vel etiam quinquaginta millia hominum, qui pariter omnes liberi, nec unius imperio subiecti, tanto exercitui obsisterent: quum simus nos plures quam milleni ad singulos eorum, si fuerunt quinque millia. Nam sub uno, quemadmodum apud nos fit imperatore milites, illius metu etiam contra suam ipsorum naturam meliores efficiuntur, adactique flagello, vel pauciores adversus plures eunt: iidem remisso libero sibi arbitrio, neutrum horum facerent. Adeo opinor Graecos etiam pares numero Persis, aegre cum eis solis certaturos. immo istud apud nos est id quod ais: verum non ita multum, sed rarum: sunt enim e Persis meis satellitibus, qui velint cum ternis viris Graecis pariter dimicare: quorum tu inexpertus multa blateras.

104. Ad haec Demaratus, Intelligebam, inquit, rex ab initio me veritate utentem, non iucunda tibi dicere me: verissima coegisti, dixi quae erant ex officio Spartanorum. Quanquam ipse optime intelligis quantopere nunc illos ego amem, qui me honore et decore paterno exutum, extorrem profugumque fecerunt; quem pater tuus exceptum, victu ac domicilio donavit. Quare non est credibile virum prudentem respuere benevolentiam exploratam sed maxime observare. Ego autem neque cum decem viris promittam me posse dimicare; neque cum duobus: ac ne singulari quidem certamine volens certaverim. At si necesse fuerit, aut vehemens discrimen institerit, libentissime cum uno quolibet istorum hominum dimicarem, qui se singulos aiunt idoneos ad certandum cum ternis Graecorum. Etenim Lacedaemonii pugnando cum

singulis, non sunt illi quidem ullis deteriores viris: at conferti, cunctorum virorum sunt excellentissimi: nam licet sint liberi, non tamen sunt omnia liberi: quippe quibus praeest domina lex, quam multo magis metuunt, quam tui te. Faciunt ergo quaecunque illa cogit, cogit autem idem semper, vetans eos ex acie fugere quantamvis hominum multitudinem; sed ut ordinem non deserentes aut vincant aut occumbant. Haec ego loquens, si tibi blaterare videor, volo posthac in ceteris silentium agere. Hactenus loquutus sum coatus: tibi vero ex sententia contingat, rex.

105. Haec loquuto Demarato, Xerxes ad risum versus nulla indignatione permotus est, sed comiter hominem remisit. Post Demarati colloquium, ubi Dorisco illi praefecit praetorem Mascamem Megadostis filium, amoto eo, quem Darius praefecerat; ire cum exercitu per Thraciam adversus Graeciam pergit.

106. Huic Mascami, quem illic reliquit Xerxes, uni tanquam omnium praetorum praestantissimo quos ipse aut Darius constituisset, dona quotannis misit; et item eius posteris Artaxerxes filius Xerxis. Etenim ante hanc expeditionem in Thracia et in Hellesponto ubique praetores fuerant, qui omnes post eandem expeditionem a Graecis eiecti sunt et e Thracia et ex Hellesponto, praeterquam iste in Dorisco, quippe hunc in Dorisco Mascamem nulli unquam, etsi multi conati fuerint, tamen eiicere nequierunt: ob id huic ab eo qui semper in Persis regnat, dona mittuntur.

107. Eorum vero qui a Graecis expulsi sunt, neminem rex Xerxes virum egregium esse dixit, praeter unum Bogem ex Eione, quem laudare non desinebat, eiusque qui superfuere liberos maximo inter Persas honore prosequebatur. Siquidem magnis ferri laudibus Boges meruit: qui quum ab Atheniensibus et Cimone Miltiadis filio obsideretur, liceretque ei accepta fide egredi et in Asiam remeare, tamen abnuit, ne regi prae metu superfuisse videretur, sed ad extremum usque perstitit: atque ubi nihil in moenibus commeatus reliquum fuit, collato ingenti rogo, interemit liberos, coniugem, concubinas, familiam, eosque mox in ignem iniecit; dehinc omne aurum urbis atque argentum muro dispersit in Strymonem: his actis, etiam semetipsum misit in ignem. Ita hic merito a Persis ad hoc usque tempus celebratur.

108. Xerxes e Dorisco in Graeciam tendens, ut quosque populos adibat, secum militare cogebat. Erat

autem, ut superius a me expositum est, omnis ad Thessaliam usque tractus in ditionem redactus et regi tributarius effectus a Megabazo et mox a Mardonio. Digressus a Dorisco, praeteriit primum Samothracica castella, quorum ultimum oppidum ad vesperam situm est, nomine Mesambria, cui vicinum est opidum Thasiorum, Stryma: quae oppida interfluit amnis Lissus, cuius aqua tunc non suffecit copiis Xerxis, sed defecit. Haec olim regio vocabatur Galacia, nun autem Briantica; quae tamen optimo iure Ciconum est.

109. Transmisso alveo fluminis Lissi arefacto, Xerxes has Graecas urbes praetergressus est: Maroneam, Dicaeam, Abdera, eas inquam praeteriit, et has quae iuxta eas sunt, nominis clarissimi paludes, Ismaridem, quae Maroneam Strymamque interiacet: Bistonidem Dicaeae contiguam, in quam duo flumina ingrediuntur, Travus et Compsatus. Iuxta Abdera autem nullum nobilem lacum praeteriit Xerxes, sed fluvium Nestum mare subeuntem. Post has regiones pergens mediterraneas urbes praeteriit: in quarum una est lacus triginta ferme stadiorum in circuitu, piscosus et admodum salsus: quem sola iumenta quum aquarentur exsiccavere. Huic urbi nomen est Pistyrsus Has urbes et Graecas sinistrorsum relinquens praeteriit Xerxes.

110. Per quas autem gentes Thraciae iter fecit, hae sunt; Paeti, Cicones, Bistones, Sapaei, Dersaei, Edoni, Satrae. Quarum quae maritimae erant, navibus sequutae sunt: quae vero mediterraneae, quae et commemoratae sunt a me, praeter Satras, ceterae omnes pedestres sequi coactae sunt.

111. Satrae nulli unquam hominum, quantum nos scimus, fuere subiecti, sed soli e Thracibus ad meam memoriam liberi semper perstitere. Editos enim montes incolunt omnigenis arboribus ac nivibus obsitos: suntque viri in re bellica eximii: apud quos oraculum est Liberi, idque in editissimis montibus. Ex Satris qui in illo templo vaticinantur, sunt Pessi: antistes vero quae reddit responsa, quemadmodum Delphis, et nihilo magis varie.

112. Peragrata autem quam dixi regione, Xerxes secundo loco transiit castella Pierum, quorum uni nomen est Phagreti, alteri Pergamo. Et hac quidem iter propter eas arces faciebat, a manu dextera relinquens montem Pangaeum, magnum atque excelsum, in quo aurea sunt et argentea metalla, quae cum Pieres et Odomanti, tum praecipue Satrae exercent.

113. Super Pangaeum ad aquilonem habitantes Paeones, Doberes et Paeoplae praetergressus Xerxes, occasum versus contendit, donec ad flumen Strymonem pervenit, et urbem Eionem, cuius praetor Boges, cuius paulo ante feci mentionem, adhuc vivebat. Regio autem haec Pangaeo monti circumiecta nominatur Phyllis; hinc occasum versus porrecta ad fluvium Augitem, qui Strymonem intrat: hinc meridiem versus ad ipsum Strymonem, in quem magi mactatis equis candidis litaverunt.

114. His et alliis compluribus incantamentis in flumen factis, per Novem vias Edonorum iere ad pontes, Strymonem iunctum invenientes. Audientes autem eum locum Novem vias appellari, totidem illic pueros ac virgines virorum indigenarum vivos defoderunt. Persicum enim est defodere viventes: nam et Amestrin Xerxis uxorem, iam provectae aetatis, audio bis septem illustrium Persarum liberos defodisse, sic gratificantem deo, qui sub terra esse fertur.

115. Ubi a Strymone progressus est exercitus, illic ad solis ocasum est litus, in quo sitam urbem Graecam nomine Argilum praeteriit: haec et quae super eam est regio, vocatur Bisalitia. Illinc autem, sinum ad Neptunitemplum a laeva manu habens processit trans campum nomine Syleum, praeteriens Stagirum Graecam urbem, pervenitque Acanthum, ducens simul unumquemque horum populorum, et item ex accolis montis Pangaei, et ex illis quos superius commemoravi: iis qui maritimi erant, classe, qui procul a mari aberant terrestri itinere sequentibus. Hanc autem viam qua rex Xerxes duxit exercitum, Thraces neque confundunt, neque serunt, sed ad mea usque tempora magnopere venerantur.

116. Posteaquam autem Acanthum pervenit, Persa Acanthiis hospitii ius obtulit, eosque Medica veste donavit: laudavitque quod alacres cerneret esse ad bellum, quodque audiret de fossa.

117. Xerxe autem apud Acanthum agente contigit, ut Artachaees, qui fossae faciundae praefuerat, morbo decederet, vir Xerxi spectatus, genere Achaemenides, statura inter Persas procerissima, quippe cui quatuor digiti deerant a longitudine quinque regiorum cubitorum; clamabatque maxime prae aliis. Xerxes magno damno ducens eum fato functum, apparatissime funeravit, inferias illi faciente toto exercitu: cui tanquam he-

noi ex oraculo Acanthii sacrificant, nomine eum nuncupantes. Et rex quidem Xerxes amisso Artachaee iacturam se fecisse existimabat.

118. At ii Graeci qui exercitum excipiebant, quum Xerxi coenam praeberent, in omnem miseriam devenere, adeo quidem ut suis laribus fierent extorres; ubi Thasiis pro suis urbibus, quae in continente, accipientibus, Xerxis copias et coenam iis praebentibus, Antipater Orgis filius, electus vir inter cives quam maxime probatus, erogavit in coenam quadringenta pecuniae inpensa talenta.

119. Sicuti consimiliter aliis in urbibus ad eam rem constituti proposuere rationem. Tale enim convivium parabatur, utpote iampridem indictum, et multa cura instructum; partim quidem simulatque audiverunt praecones passim annunciantes, tunc vero oppidani frumentum quod in urbibus erat, inter se distributum in farinam et pultem omnes redigebant ad complures menses: partim pecora saginabant pretio optima reperientes et altiles aves habebant terrestres palustresque in caveis et in vivariis, ad excipendum exercitum: partim etiam aurea argenteaque pocula et crateres faciebant, et cetera omnia quae ad mensam ponuntur. Haec quidem ipsi regi et iis qui cum illo vescebantur, fiebant cetero autem exercitui, quae ad esum duntaxat imperata erant: adveniente autem exercitu, tabernaculum stetit fixum paratumque, in quo mansionem caperet rex; reliqui sub dio agebant. Ubi tempus coenae aderat, illi sane, qui excipiebant distinebantur labore: isti vero, quum expleti noctem illic exegerant, postero die revulso tentorio et omni paratu sumpto, ita abscedebant: nihil relinquentes, sed omnia asportantes.

120. Unde Megacreontis viri Abderitae elegans dictum extitit, qui suasit Abderis, ut universi, mares pariter ac feminae: sua delubra adirent, suppliciterque diis assidentes praecarentur, ut posthac dimidium futurorum malorum a se propulsaretur: nam de praeteritis magnam se gratiam illis habere, quod rex Xerxes non bis quotidie cibum capere consuesset. Fore enim ut Abderitae, si iuberentur etiam prandium simile coenae instruere, aut non praestolarentur Xerxem advenientem, aut praestolati, pessime inter omnes homines affligerentur.

121. Et isti quidem quanquam gravate, tamen quod sibi imperabatur exsequebantur: Xerxes vero ex Acan-

tho duces classis a se dimisit, iussos ad Thermam cum classe se opperiri. Est autem Therma in Thermaeo sinu sita, a qua ipse sinus habet cognomen. Hanc enim compendiariam magis viam esse audiebat: nam e Dorisco ad Acanthum usque ita instructus exercitus iter fecerat, tripartito divisus omnis, iussu Xerxis; ut una pars secundum mare iret pariter cum classe, cui parti praerant Mardonius et Masistes: altera per mediterranea, cui praeerant Tritantaechmes et Gergis: tertia inter has media, cum qua Xerxes ipse incedebat, ducibus Smerdomene et Megabyzo.

122. Nauticus porro exercitus ubi a Xerxe discessit, fossam enavigavit in Atho depressam, ac perductam ad sinum, in quo Assa et Pilorus et Singus et Sarta urbes sitae sunt. Ex quibus sumpto commilitio, perrexit ire ad sinum Thermaeum: circumvectusque Ampelon promontorium Toronaeum, praeternavigavit has Graecas urbes, unde et naves et commilitium sumpsit, Toronam, Galepson, Sermylam, Mecybernam, Olynthum: quae regio nunc Sithonia nominatur.

123. Ab eo promontorio Ampelo corripiens cursum usque ad promontorium Canastraeum, quod ex tota Pallene prominet maxime, illinc quoque et naves et commilitium sumpsit, ex Potidaea, ex Aphyti, Neapoli, ex Aega, ex Therambo, ex Sciona, ex Menda, ex Sana. Hae sunt urbes sitae nunc in Pallena, Phlegra prius appellata. Praeternavigata hac etiam regione, ad praestitutum locum pervenit, sumptis etiam militibus e vicinis Pallenae urbibus ac Thermaeo sinui conterminis: quibus haec nomina sunt, Lipaxus, Combrea, Disae, Gigonus, Campsa, Smila, Aenea: quarum regio adhuc Crossaea nominatur. Ab Aenea autem, in qua finis enumerandarum urbium mihi factus est, iam ad ipsum Thermaeum sinum cursus classi exstitit, et ad terram Mygdoniam: donec ad Thermam, quo praeceptum erat, perventum est, et ad urbem Sindum, et ad Chalestram super Axium situm flumen, quod Mygdoniam terram dirimit a Bottiaeide: cuius terrae Bottiaeidis arctum ad mare locum obtinent urbes Ichnae et Pella.

124. Hic navales copiae circa flumen Axium et urbem Thermam et alias in medio harum urbes stativa habuere, regem opperientes. Huc pervenire volens Xerxes, Acantho profectus cum terrestribus copiis mediterraneam viam sequebatur, peragrans Paeonicum agrum atque Crestonicum, super amnem Echidorum, qui e Crestonaeis initio sumpto, per terram Mygdoniam

fluens, propter paludem quae est supra Axiam evolvitur.

125. Hac iter faciente Xerxe, leones impetum dederunt in camelos qui commeatum portabant. Sub noctem enim relictis locis consuetis eo descendebant, nulloque alio neque iumento neque homine tacto in camelos solos grassati sunt. Cuius causam admiror, quaecunque illa erat, quod leones compelleret abstinentes ab aliis adoriri camelos: quod animal nunquam antea nec viderant nec experti illic fuerant.

126. Sunt autem per ea loca leones multi, et boves agrestes praegrandibus cornibus, quae ad Graecos veniunt. Leonum autem terminus est hinc Nestus flumen per Abdera, inde Achelous per Acarnaniam fluens: nam neque ad auroram trans Nestum viserit quis leonem unquam gentium in Europa, aut trans Acheloum ad occidentem in reliqua continente: sed in horum fluviorum medio leones gignuntur.

127. Postquam autem Thermam venit Xerxes, ibi substitit, tantum ad mare spatii occupantibus castris, quantum est ab urbe Therma et Mygdonia usque ad Lydian et Haliacmona, qui amnes agrum Bottiaeicum Macedonicumque terminant in eundem alveum confluentes. In his locis stativa habuere barbari: quibus ad potum solus ex iis qui commemorati sunt amnibus Echidorus e Crestonaeis fluens non suppetiit, sed defecit.

128. Xerxes e Therma prospiciens Thessalicos montes, Olympum et Ossam, praecelsae magnitudinis, audiensque in medio eorum canalem angustum esse, per quem fluit Peneus, et illic viam esse quae in Thessaliam fert, cupidine captus est navigandi ad ostium Penei inspiciundum: quia superiorem viam tenenti erat eundum per Macedones superne habitantes ad Perraebos, praeter Gonnum urbem: nam hac tutissimum iter esse audiebat. Atque ut concupivit, ita et fecit, itaque conscensa navi Sidonia, quam semper conscendebat quoties ei tale aliquid facere libebat, extulit signum ceteris quoque navibus solvendi, relictis illic terrestribus copiis. Eo postquam pervenit, ostium Penei contemplantem ingens admiratio quum subiret, accitos viae ductores interrogavit nunquid flumen posset averti, ut alibi mare ingrederetur.

129. Narratur autem Thessalia quondam palus fuisse, utpote conclusa undique praealtis montibus: nam quae eius ad auroram spectant, ea Pelion mons et Ossa iunctis inter se radicibus praecludunt; quae ad ventum

aquilonem, Olympus; quae ad occasum, Pindus; quae ad meridiem et ventum austrum, Othrys: quod inter hos, quos dixi, montes medium, id Thessalia est, ita cava, ut cum alii frequentes amnes in eam influant, tum hi quinque maxime praecipui, Peneus, Apidanus, Onochonus, Enipeus, Pamisus: qui e montibus Thessaliam cingentibus in eam planitiem confluentes et nominibus cogniti, per unum canalem et eum arctum in mare evadunt, in unam aquam omnes ante redacti: et simulac confluentem fecerunt, Peneus excellens suo nomine ceteros innominatos reddit. Fertur quondam, quum nondum esset hic canalis et effluxus, hos fluvios et praeter eos paludem Baebeidem non habuisse nomen, quemadmodum nunc, et tamen non minus quam nunc fluxisse, sed suis fluentis omnem Thessaliam effecisse pelagus. Ipsi quidem Thessali memorant Neptunum fecisse convallem, per quam meat Peneus, haud absurde sentientes: qui enim arbitratur Neptunum terram quatere, et quae terraemotu diducta sunt, hujus dei esse opera, is etiam cernens hunc locum dixerit Neptunum fecisse: namque diductio illa montium, ut mihi videtur, terrae motus est opus.

130. Xerxi autem interroganti nunquid alius foret exitus in mare Penei, duces viae rem compertam habentes, Rex, inquiunt, nulli sunt huic flumini alibi in mare tendentes exitus, quam iste hic: cuncta enim undique montibus redimita Thessalia est. Ad hoc Xerxes dixisse fertur; Solertes sunt viri Thessali, qui suae sibi imbecillitatis conscii, iampridem cum alia custodiverunt, tum vero hoc, quod regionem habeant facilem occupatu, et mature expugnabilem. Solum enim hoc esse negotium, flumen, obstructo canali, aversoque alveo per quem meat, in eorum terram inducere, a quo omnis Thessalia praeter montes aquis mergeretur. Haec vero Xerxes dixit filios Aleuae respicientia, quoniam e Graecis primi hi sese Thessali regi tradiderant, ratus illos ab tota natione polliceri amicitiam. Hoc loquutus, et locum contemplatus, Thermam renavigavit.

131. Ubi complures dies circa Pieriam est commoratus, nam montem Macedonicum, ut illac in Perraebos omnis transiret exercitus, tertia eius pars tondebat, eodem legati qui dimissi in Graeciam fuerant ad terram petendam, regressi sunt partim inanes, partim terram et aquam ferentes.

132. Quam qui dederunt eorum, hi fuere, Thessali, Dolopes, Enienes, Perraebi, Locri, Magnetes,

Melienses, Achaei Phthiotae, et Thebani, ceterique Boeoti praeter Thespienses et Plataeenses: adversus quos ii Graeci qui bellum contra barbarum sumpserunt, conceperunt iusiurandum: id erat hoc exemplo. Quicunque Graeci se ipsos dediderunt Persae, non adacti necessitate, rebus suis bene constitutis, eos decimare deo qui Delphis est. Ita apud Graecos iusiurandum se habebat.

133. Xerxes autem neque Athenas neque Spartam legatos terram petitum miserat, ob id quod quos ante Darius ad hoc ipsum misisset, eorum alios isti in voraginem, alios in puteum deiecerant, iubentes eos illinc terram et aquam ferre ad regem. Hac de causa nullos ad petendum misit. Et Atheniensibus quidem, quod ita legatos tractarint, quid triste contigerit non queo dicere, nisi quod eorum solum cum urbe vastatum est: quod tamen ipsum non ea causa suspicor contigisse.

134. Lacedaemoniis vero ira Talthybii, qui fuit Agamemnonis praeco, incubuit: est enim Spartae Talthybii templum; sed et sunt eius posteri Talthybiadae nominati, quibus legationes Spartanae omnes instar praemii tribuuntur. Itaque post eam rem Spartiatae, quum laeta exta eis immolantibus non essent, idque diu contingeret, pertaesi huius calamitatis, coetu frequenter coacto, hoc praeconium ediderunt, siquis Lacedaemoniorum vellet pro Sparta occumbere. Tunc Sperthies Aneristi et Bulis Nicolai filius, viri Spartiatae, et ingeniis egregii et opibus inter primos, ultro se obtulerunt ad solvendam Xerxi Darii filio ultionem ob legatos Spartae interemptos. Ita hos Spartiatae tanquam mortem obituros, miserunt ad Medos.

135. Digna autem admiratione cum haec audacia horum virorum, tum verba ab eis habita, nam Susa tendentes, ad Hydarnem Persam in Asia subiectorum litoralium praefectum venerunt: qui eos hospitaliter munificeque acceptos, his verbis interrogavit, Viri Lacedaemonii, quid tandem respuitis esse amici regis? cernitis enim ex me et meo statu quam scit honore prosequi rex viros egregios. Sic et vos, si vos ipsos ei dederitis, nam ab illo existimati estis viri egregii, unusquisque vestrum, rege donante, regioni Graeciae praeerit. Ad haec illi respondentes, Hydarnes, inquiunt, non ex aequo oritur consilium tuum ad nos spectans: quippe conditionem suades, quam expertus es, nam servitutem subire quidem nosti, libertatis autem non-

dum expertus es, utrum sit res dulcis an non: quae si tibi experta foret, non ut hastis, sed ut etiam securibus pro ea dimicaremus, nobis suaderes.

136. Haec Hydarni responderunt. Dehinc vero ut ascenderunt Susa, et in conspectum regis venerunt; principio iubentibus satellitibus ac vim afferentibus ut procumbentes regem adorarent, negaverunt, vel si in caput ab eis truderentur, se unquam id esse facturos: neque enim sui esse consuetudinem hominem adorandi, neque se ad id venisse. Posteaquam autem in hoc repugnaverant, secundo loco haec et his similia dixere, Rex Medorum, nos miserunt Lacedaemonii ad luendam poenam pro iis legatis qui Spartae interiere. Haec illis dicentibus, Xerxes prae magnanimitate negavit se fore Lacedaemoniis similem: illos enim interimendis legatis ius omnium hominum confudisse: se vero, quod illis exprobraret id non esse facturum: neque eos vicissim occidendo, Lacedaemonios culpa soluturum.

137. Hac re sic per Spartiatas gesta in praesens ira Talthybii cessavit, etsi Spartam reversis Sperthie et Buli; sed longo deinde tempore interiecto excitata fuit in bello inter Peloponnenses et Athenienses, ut Lacedaemonii aiunt: quod mihi divinitus maxime videtur esse gestum: quippe iram Talthybii ingruisse in nuncios, nec quievisse priusquam excesserit et eventum nacta fuerit, fas ita ferebat. Quod autem inciderit in eorum qui ad regem propter iram istam ascenderunt filios, Nicolaum Bulis, et Aneristum Sperthiae filium, qui piscatores Tirynthios navi oneraria plena viris adnavigans cepit; manifestum igitur est apud me divinitus id factum esse, ex ira. Nam nuncii in Asiam a Lacedaemoniis missi proditi a Sitalce Terei filio Thracum rege, et a Nymphodoro Pythae filio, viro Abderita, excepti sunt iuxta Bisanthen, quae est in Hellesponto, et abducti in Atticam, ab Atheniensibus necati sunt: cumque iis Aristeas Adimanti filius, Corinthius. Verum haec multis post regis expeditionem annis gesta sunt.

138. Quae expeditio, ut ad superiorem orationem redeam, nomen quidem habebat, quasi tenderet contra cunctam Graeciam. Eam diu ante Graeci quum percepissent, non perinde omnes affecti sunt: nam ii qui terram et aquam dederant Persae, fiduciam animo praesumebant tanquam nihil ingratum passuri a barbaro: qui non dederant, magno in metu versabantur; quippe

quum nulla tanta classis esset in Graecia, quae posset excipere invadentem, etiam plerisque detrectantibus resistere; et libenter ad partes Medorum inclinantibus.

139. Hoc ego loco necesse habeo ferre sententiam apud plures quidem homines invidiosam: at tamen quae mihi videtur esse verum, non inhibebo. Si Athenienses formidantes periculum quod impendebat, patriam deseruissent, aut etiam, non deserentes, sed manentes sese dedissent Xerxi, nulli omnino adversus regem in mari tentavissent: si igitur nemo mari se opposuisset Xerxi; haec in continenti gesta essent: si etiam multae murorum essent tunicae ductae a Peloponnensibus per Isthmum; proditi Lacedaemonii ab sociis non voluntariis, sed necessitate per singulas urbes a classe barbara captis desolati fuissent; desolatique et magna opera edentes, generose occubuissent. Aut haec passi essent, aut priusqaum id fieret, videntes etiam alios Graecos cum Medis sentientes, foedus cum Xerxe inivissent etiam. Ita utroque modo sub Persis Graecia fuisset. Nam murorum per Isthmum ductorum quaenam utilitas futura esset rege mari potiente, nequeo percipere. Nunc autem siquis Athenienses Graeciae liberatores exstitisse dicat, profecto non aberret a vero; nam hi in quaecunque advertissent, hae partes erant praeponderaturae: quum vero praetulerint Graeciam superesse liberam, hi ipsi fuere, qui quicquid Graeciae reliquum erat cum Medis non sentiens erexerunt: quique secundum deos, regem repulerunt; neque illos oracula horrenda ac terribilia, quae a Delphis veniebant, induxerunt ad Graeciam deserendam, sed persistentes sustinuerunt excipere hostem sua invadentem.

140. Siquidem consultoribus Delphos missis, uti oraculo Athenienses volebant: iisque factis apud templum quae ritus postulabat, ubi aedem ingressi consederunt; Pythia cui nomen erat Aristonice, ita vaticinatur:

O miseri! quid adestis? ad extima cedite terrae,
Aedibus et globidae desertis collibus urbis.
Non etenim firmum remanet caput, ac neque corpus,
Extremive pedes; manibus pariter medioque
Nil salvi est, destructa jacent; illam ignis et horrens
Mars vastat Syrio in curru furibundus et armis.
Hic tibi non solum, hic aliis castella revellit,
Permultasque deum saevis dabit ignibus aedes,
Quas nunc hic illic spectas sudore fluentes,

Atque metu tremulas; et de laquearibus altis
Prospiciens fati aerumnas cruor editur ater.
Ite sed ex adyto, atque malis effundite mentem.

141. His auditis Atheniensium consultores maximo sunt moerore affecti; quibus proiicientibus sese propter tam triste responsum, Timon Androbuli filius, vir apud Delphos illustris ut qui maxime, suasit illis, ut sumpto supplicum habitu de integro reverterentur ad consulendum oraculum ut supplices. Obtemperantibus ei Atheniensibus et dicentibus, „O Rex, redde nobis oraculum melius de patria, reveritus haec pignora supplicantium, quae gestantes ad te venimus: alioqui ex adyto non abimus, sed hic manebimus vel ad obitum usque". Haec dicentibus, antistes iterum hoc modo respondit.

Officiosa Iovem dominantem Pallas Olympo
Nec ratione potest sed nec placare precando.
Hoc tibi sed rursum ipso adamante perennius aio:
Nam captis reliquis, quae limes Cecropis intus
Comprendit, quodcunque sacer penetrale Cithaeron,
Iupiter e ligno maris Tritonida donat,
Qui soli invicti tibi sint natisque saluti.
Tu vero adventum petitumque equitumque quietus,
Terrestresque acies ne praestolare; sed hosti
Terga dato, vel si tibi fors erit obvius usquam.
O Salamis divina, teres tu pignora matrum,
Sit licet aut dispersa Ceres, aut prompta coire.

142. Haec legati, ut erant, arbitrati prioribus mitiora, postquam conscripserunt, Athenas rediere, reversique ad populum recitavere; tum multae et aliae sententiae exstiterunt oraculi mentem quaerentium, et hae quas maxime solidas esse apparebat: quidam e maioribus natu dixere, videri sibi deum respondere salvam fore arcem, olim enim Atheniensium arx praecepta vallo fuit: et ii quidem ad vallum coniiciebant spectare hunc ligneum murum. Alii vero dicebant deum significare naves, easque ceteris omissis parari iubebant. Verum eos, qui aiebant naves esse ligneum murum, fallebant duo postrema dicta ab Pythia:

O Salamis divina, teres tu pignora matrum,
Sit licet aut dispersa Ceres; aut prompta coire.

Circa hos versus confundebantur eorum sententiae, qui naves dixerunt esse ligneum murum: nam oraculi interpretes illuc ea accipiebant, quasi oporte-

ret circa Salaminem ipsos vinci pugnam navalem aggressos.

143. Erat autem inter Athenienses vir ad primores recens progressus, nomine Themistocles, Neoclis filius. Hic vero negabat interpretes omnia recte coniectare; talia dicens, Si illud carmen quod dictum est ad Athenienses spectaret ullo modo, non ita placide videri deum fuisse responsurum, sed sic, O Salamis misera, pro eo quod dixit, O divina Salamis; si circa eam incolae forent oppetituri: sed enim recte coniectanti sentiendum a deo contra hostes editum esse oraculum, non contra Athenienses. Itaque suadebat ut sese instruerent tanquam proelio navali certaturi, utpote quum hoc esset ligneus murus. Hanc Themistoclis sententiam Athenienses potiorem esse censuerunt magis quam illorum interpretum oraculi, qui dissuadebant apparatum pugnae navalis: sed hanc esse summam sententiae dicebant, non levandam in hostem manum, sed ex Attica regione demigrantes aliam quandam incolere.

144. Exstitit et alia ante hanc Themistoclis sententia ad tempus egregia. Magna vis pecuniae collecta erat ex reipublicae aerario. Unde illam e proventu metallorum quae sunt e Laureo, erant aeque divisuri viritim denis in singulos drachmis; tunc Themistocles hanc dissuasit Atheniensibus distributionem, sed ex ista pecunia classem ducentarum navium ad Aegineticum bellum comparare suasit. Hoc enim bellum tunc conflatum Graeciae salutem attulit, cogens Athenienses nauticos fieri. Hae vero naves quidem in quem usum comparatae fuerant, non fuerunt adhibitae; at tamen ita in opportunitatem Graeciae cesserunt. Istae igitur naves iam praeparatae Atheniensibus erant, et alias exaedificari oportebat; placuitque illis, inito post oraculum consilio, barbarum Graeciam invadentem navibus excipere universos Atticos, deo obsequentes, una cum Graecis ita volentibus. Et haec quidem oracula Atheniensibus sunt reddita.

145. Coactis autem in eundem locum Graecis qui circa Graeciam melius sentiebant: interque se colloquutis interposita fide, ibi consilio habito visum est ante omnia faciendum, ut reconciliarentur inimicitiae et bella, quae ipsis incesserant. Quippe erant iam adversus quosdam et alios inchoata; sed maximum inter Athenienses et Aeginetas. Posteaquam autem Xerxem cum exercitu Sardibus esse audiere, Athenienses decrevere eum aliquos in Asiam mittendos ad res regis exploran-

das, tum nuncios partim Argos, ad contrahendam adversus Persam belli societatem partim in Siciliam ad Gelonem Dinomenis filium, sed et in Corcyram, etiam in Cretam, rogaturos opem Graeciae ferri: eo animo ut, si fieri posset, omne Graecum nomen unum esset, et ao idem agendum omnes incumberent, utpote, calamitate cunctis similiter Graecis impendente. Ferebantur autem res Gelonis magnae esse, ut nullis non Graecis maiores haberet vires.

146. Ubi haec eis placuere, et in gratiam inter se rediere, primo exploratores in Asiam tres viros misere: qui quum Sardes venissent, et in speculando regis exercitu deprehensi essent, a ducibus pedestrium copiarum torti ducebantur tanquam perituri, lata in eos mortis sententia. Id ubi Xerxes audiit, reprehensa ducum sententia, mittit quosdam e satellitibus iubens, ut si vivos adipiscerentur speculatores, ad sese ducerent. Eos adhuc superstites adepti satellites; in regis conspectum adduxerunt; qui siscitatus qua de causa venissent, praecepit satellitibus, ut homines circumducerent, peditatum omnem equitatumque ostentantes: et eos, ubi contemplando illa expleti fuissent, sine noxa dimitterent quocunque locorum ire ipsis libuisset.

147. Hoc Xeres ea ratione imperavit, quod cogitabat fore, ut si speculatores necati fuissent, neque Graeci praescisceremt potentiam suam esse fama maiorem, neque graviter laederent hostem tribus viris interemptis: at iisdem in Graeciam regressis, fore ut Graeci, quod se opinari dicebat, auditis rebus suis antequam expeditio haec accederet, propriam libertatem proderent, atque ita non oporteret suscipere molestiam de exercitu in eos ducendo. Haec sententia Xerxis cum altera quadam congruit; nam quum Abydi ageret Xerxes, vidit naves cursum tenentes per Hellespontum quae frumentum e Ponto in Aeginam Peloponnesumque portabant: quas ubi audiere eius assessores esse ad eas corripiendas accingebant, intuentes in regem, quando id agi praeciperet, Xerxes eos interrogavit quonam illi tenderent; qui quum respondissent, Ad hostes tuos domine, frumentum vehentes: tunc Xerxes excipiens: inquit, Nonne eodem, quo isti, et nos navigamus, tum rebus aliis, tum frumento instructi? quid igitur hi officiunt nobis; quibus commeatum portant? Ceterum speculatores illi rebus inspectis dimissi in Europam rediere.

148. Post quorum reditum Graeci qui contra Persam coniurarant, nuncios iterum Argos miserunt. Sed Argi-

vi narrant hoc negotium apud se ita confectum esse. Audisse se statim ab initio ea quae ab barbaro excitarentur adversus Graeciam, et quum accepissent intellexissentque ab Graecis se tentatum iri, ut ipsos adsciscerent contra Persam, misisse Delphos qui deum consulerent, quid sibi facientibus esset optime eventurum, nuper enim sex millia suorum fuisse interempta a Lacedaemoniis et Cleomene Anaxandridae filio, eaque de causa se mittere. Ita qui missi fuerant interrogantibus, sic Pythiam respondisse:

Finitimis invise, deis dilecte beatis,
Interius tutamen habens, cautusque sedeto,
Et tutare caput: nam membra tuebitur illud.

Haec illis Pythiam prius respondisse. Postea vero quam nuncii Argos venerunt, senatumque ingressi mandata retulerunt, Argivi responderunt ad ea quae dicebantur, se promptos esse in triginta annos pacificare cum Lacedaemoniis, percusso foedere, et dimidium imperii penes se esse postulare, quanquam enim aequum foret ius imperandi ipsorum esse, tamen dimidio imperii se esse contentos.

149. Hoc aiebant suum senatum respondisse, quamvis dissuadente oraculo societatem contrahere cum Graecis: et licet formidarent oraculum, tamen serio urgere, ut foedus triginta annorum feriretur; intra quos annos liberi sui in virilem aetatem adolescerent: hac videlicet ratione, ne si qua calamitas ad superius malum accederet in bello Persico, nisi foedera forent, in posterum subiecti Lacedaemoniis essent. His dictis Argivorum a senatu, nuncios Spartanos ita respondisse, quod ad foedera quidem attineret, se ad eos qui plures essent relegare: quod autem ad imperium, id vero sibi demandatum esse, ut responderent, ac sane dicere, sibi duos esse reges, Argivis unum, ideo non posse fieri ut alterutri Spartae regi abrogaretur imperium: quominus cum iis duobus rex Argivus parem dignitatem obtineret, nihil obstare. Ita Argivi dicunt se noluisse perpeti Spartanorum insolentiam, sed praeoptasse a barbaro imperari sibi, quam Lacedaemoniis cedere, atque ita edixisse nunciis, ut priusquam occideret sol, ex agro Argivo excederent; alioqui hostium loco futuros.

150. Hoc ipsi Argivi sic se habere memorant; aliter tamen per Graeciam narratur, Xerxem antequam bellum Graeciae inferret, misisse Argos caduceatorem quo quum pervenit, ita fertur verba fecisse, Viri Ar-

givi, Xerxes rex haec vobis inquit, Nos arbitramur, Persem, ex quo nos progeniti sumus, fuisse filium Persei Danaës filii, ex Andromeda genitum, quae fuit Cephei filia: ita igitur ex vobis oriundi sumus. Quod quum ita sit, nefas est et nos progenitoribus nostris inferre bellum, et vos aliis opem ferendo, nobis adversarios fieri; sed potius domi vestrae vos considentes otium tenere, nam si mihi ex sententia succedet, nullos maiores quam vos faciam. Haec Argivi quum audissent, habuisse alicuius momenti dicuntur, et statim quidem nihil promittentes vicissim poscere: sed quum ab Graecis adsciscerentur, tunc partem imperii poposcisse, gnari eam Lacedaemonios non concessuros, ut hoc praetextu tranquilli agerent.

151. Quibus convenisse etiam hanc narrationem quidam Graecorum memorant, rei multis postea annis gestae: quum Susis Memnoniis alterius negotii gratia essent Atheniensium legati Callias Hipponici filius et collegae qui pariter ascenderant, contigit ut Argivi et ipsi per idem istud tempus Susa miserint legatos, qui Artaxerxem filium Xerxis interrogarent, utrum amicitiam quam cum Xerxe contraxissent, ipsis adhuc continuaret, an ab illo pro hostibus haberentur. Quibus Artaxerxes, imo vero maxime perdurare respondit, nullamque sibi civitatem amiciorem putare quam Argos.

152. Verum an caduceatorem Xerxes Argos miserit ad ea dicenda, et an Argivorum nuncii qui Susa ascenderunt, Artaxerxem de amicitia interrogaverint, pro comperto dicere non possum, nec ullam de his aliam ferre sententiam, nisi quam Argivi ipsi edunt. Id demum scio, si omnes homines qui domestica mala in medium contulissent, eum vicinis mutare volentes, mala vicinorum intuiti fuissent, libenter reportaturos rursus illorum singulos ea quae ipsi attulissent. Ita non turpissime ab Argivis actum est. Ego vero quae dicuntur dicere debeo, attamen non omnino omnibus credere: quod in universam historiam a me dictum sit, quoniam et hoc narratur, Argivos extitisse qui Persam in Graeciam arcessiverint, posteaquam cum Lacedaemoniis male pugnassent, prae dolore praesenti quidvis praeoptantes. Talia quidem de Argivis dicta sunt.

153. In Siciliam autem ad agendum cum Gelone, tum alii legati a sociis iere, tum vero etiam a Lacedaemoniis Syagrus. Huius Gelonis progenitor inhabitans Gelam erat ex insula Telo, quae Triopio adiacet: qui dum Gela conderetur a Lindiis, qui sunt e Rhodo,

et Antiphemo, relictus non est. Interiecto autem tempore, posteri eius dearum inferarum antistites esse perseveraverunt; Telinė, uno ex maioribus consequuto hunc in modum: Viri Geloi in seditione inferiores, in Mactorium urbem sitam supra Gelam profugerunt: hos Telines Gelam reduxit nullis virorum copiis adiutus, sed harum dearum sacris: quae unde acceperit, aut ipse possederit, id vero dicere non possum. His sacris fretus, reduxit illos, pactus, ut posteri sui illic dearum antistites forent. Admiratio igitur et mihi incessit ad ea, quod audio tantum opus Telinem effecisse: qualia opera non a quocunque viro effici opinor, sed ab eo qui sit bonae mentis et virili robore. At ille fertur ab incolis Siciliae contra fuisse ab natura comparatus, nempe et effeminatus ac mollior vir. Hunc in modum ille hoc decus adeptus est.

154. Cleandro autem Pantarei filio qui septem annos Gelae tyrannide potitus est, vita functo, a Sabyllo autem viro Geloo fuit interfectus, ibi frater eius Hippocrates suscepit imperium. Quo tyrannidem obtinente, Gelon inter posteros Telinis vatis, cum aliis multis et Aenesidemo Pataici filio, qui erat satelles Hippocratis, non diu post ob virtutem declaratus est totius equitatus praefectus: nam quibus in bellis Hippocrates obsedit Callipolitanos et Naxios et Zanclaeos et Leontinos, atque insuper Syracusanos et permultos barbarorum, in iis bellis Gelon exstitit vir clarissimus; adeo ut nulla omnium quas retuli civitatum effugerit Hippocratis dominationem, praeter Syracusanos: quos pugna ad flumen Elorum superatos Corinthii Corcyraeique liberaverunt, his conciliantes conditionibus, atque hac lege, ut Syracusani Camarinam, quae ipsorum iam olim fuerat, Hippocrati traderent.

155. Hippocrates autem quum totidem annos quot frater Cleander tyrannidem obtinuisset, illato Siculis bello, apud urbem Hyblam periit: ita Gelon per caussam tuendi liberos Hippocratis, Euclidem et Cleandrum, ubi cives, quod abnuerent dicto amplius audientes esse, proelio vicit, re vera ipse Geloorum imperium adeptus est, liberis Hippocratis dominatu fraudatis. Post hoc commentum, Syracusanorum Gamoros, ut vocabantur, a plebe et servis suis, qui Cyllyrii nominabantur, eiectos, in patriam ex urbe Casmena reducendo potitus etiam est ipsis Syracusis, nam ei venienti plebs Syracusana et urbem et se ipsam tradidit.

156. Quum Gelon ubi accepit, Gelam quam tenebat minoris faciens, Hieroni fratri demandavit, sibique Syracusas habuit, et quidem omnia erant Syracusae, ideoque ea civitas confestim convaluit ac floruit; partim deductis eo Camarinaeis omnibus, quos cives fecit, quum Camarinam everteret; partim dimidio et eo amplius Geloorum perinde usus ut Camarinaeis. Necnon Megarensium qui sunt in Sicilia, quum obsessi ad deditionem venissent, locupletes quoque, qui et bellum ei intulerant, et ob id se perditum iri putabant, Syracusas traducens, etiam cives fecit: at plebem Megarensem, quae belli movendi fuerat expers, quaeque nihil mali se passuram expectabat, Syracusas adductam venundedit, ea conditione, ut ex Sicilia exportaretur. Idem hoc fecit Euboeensibus qui sunt in Sicilia, postquam distinxisset. Hoc autem ideo de utrisque statuit quod arbitraretur contubernium plebis rem esse molestissimam. Ea ratione magnus tyrannus effectus est Gelon.

157. Ad quem legati Graecorum, posteaquam Syracusas venerunt et admitti contigit, ita loquuti sunt: Lacedaemonii pariter et Athenienses eorumque socii nos misere ad te in societatem assumendum adversus barbarum: nam prorsus audisti hunc irruentem in Graeciam, ut vir Persa iuncto pontibus Hellesponto, secum omnes orientis ex Asia copias ducens, bellum inferat Graeciae; titulo quidem utens belli Athenis inferendi, sed in animo habens omnem Graeciam redigere in suam potestatem. Tu igitur, cui magna potentia adest, nec minima Graeciae portio, quum sis Siciliae princeps, ferto opem iis qui Graeciam a servitute vindicant, eamque una cum illis liberato. Coacta enim cuncta Graecia, constabit magna manus, et ad pugnam pares erimus invadentibus nos: quod si e nobis alii proditores fuerint, alii nolint adiuvare, quod sincerum supererit Graeciae, exiguum sit; iam hoc periculum est ne omnis Graecia pessum eat. Neque enim speraveris Persam, si nos proelio superaverit, ad te non esse venturum: quinimo hoc ante caveris: nobis namque opem ferendo, temetipsum tutaris. Rei bono consilio gestae salubris plerumque vult adesse exitus. Haec legati dixere.

158. Sed Gelon vehemens erat in urgendo, utens hac oratione; Veri Graeci, insolentem habetis orationem, qui ausi estis me adire, hortantes ad ineundam adversus barbarum societatem: at vos ipsi quum orarem prius adversus exercitum barbaricum iuvare bel-

lum, quod mihi erat cum Carthaginensibus; etiam quum obtestarer ut ultio necis Doriei Anaxandridae filii de Aegestanis exigerretur, quin et quum offerrem me adjutorem ad liberanda emporia, unde vobis magna emolumenta atque commoditates provenerant, vos neque mei causa auxilii, neque ultionis de nece Doriei exigendae venire voluistis. Itaque quod ad vos pertinet, omnia haec a barbaris obtinentur. Verum nobis haec bene et in melius reciderunt: nunc autem postquam circumiit bellum, atque vos attigit, ita demum Gelonis memoria fit. Sed in contemptum apud vos lapsus, non ero vestri similis; sed paratus sum ferre opem collaturus ducentas triremes, et viginti millia gravis armaturae ac duo millia equitum, totidem sagittariorum, totidemque cursores equestres leviter armatos. Sed et rem frumentariam cunctis Graeciae copiis, donec fuerit debellatum, suppeditaturum recipio. Caeterum ea lege haec polliceor, ut ego sim adversus barbarum Graecorum dux et imperator: aliter neque ipse venirem, neque alios mitterem.

159. Ea Syagrus audiens, non tulit; sed, O quam eiularet, inquit, Pelopides Agamemnon, si audiret Spartiatas imperio spoliatos esse ab Gelone atque Syracusanis. Tu vero ne feceris huius rei mentionem amplius, ut nos tibi tradamus ducatum; sed si tibi animus est opem ferendi Graeciae, esto dicto audiens Lacedaemoniis: si dedignaris mandari, opem ne feras.

160. Ad haec Gelon uci vidit verba Syagri aversa, hanc ad extremum protulit orationem, Hospes Spartiata, contumeliae homini immissae solent irritare indignationem: tu tamen contumelias in verbis invehens, non induxisti me, ut vicem meam indecorus sim. Sed ubi vos ita ducatum amplectimini, me magis quam vos decet illum amplecti, qui multo maiorum copiarum imperator sum ac plurium navium. Ceterum, quoniam vobis oratio ista tam difficilis accidit, nos aliquantum a superiore oratione decedemus. Si vos terrestribus copiis praefueritis, ego nauticis praeero: sin vos mari imperitare iuvat, ego terrestribus volo. Ey quo oportet vos aut ad alterutram harum conditionum accedere, aut tantis sociis destitutos abscedere. Hanc Gelon conditionem offerebat.

161. Cui legatus Atheniensis, Lacedaemoniorum lagatum antevertens, ita respondit, Rex Syrcausanorum, Graecia nos ad te misit, non imperatoris indiga, sed exercitus: tu vero prae te fers non missurum te exer-

citum, nisi sis Graeciae dux; videlicet ut illius exercitui imperes affectas. Itaque quantenus quidem cuncto Graecorum exercitui praeesse postulabas, sufficiebat nobis Atheniensibus silentium agere, intelligentibus Laconem fore idoneum ad reddentam de utrisque rationem quoniam vero deiectus ab imperio summo omnium poscis ut imperio classis praesis, ita abreoto: nos, etiam ut Lacon permittat, non esse premissuros praeesse te classi: nostrum enim munus hoc est, nisi Lacedaemonii id velint: quibus praeesse classi volentibus non contradicimus, alteri vero concederemus nemini; nam frustra maritimas copias Graecorum plurimas possideremus, si Syracusanis imperio cederemus, qui sumus Athenienses, antiquissimae originis gens, solique Graecorum qui nunquam solum vertimus: e quibus virum instruendo ornandoque exercitu aptissimum Homerus etiam versificator ait Ilium venisse. Adeo non est dedecus nobis ista commemorare.

162. His Gelon ista respondit, Hospes Atheniensis, vos qui prae sint habere videmini; quibus praesint nequauquam. Quocirca quum nihil cedentes totum obtinere velitis, quam celerrime hinc retro abscedatis; renunciaturi Graeciae, ver ex anno illi exemptum esse. Cuius dicti sensus hic est, quem vult dicere; constat enim probatissimam anni partem esse ver; talem esse suum exercitum in exercitu Graecorum. Igitur si Graecia privaretur sua societate, quasi quoddam ver ex anno sublatum esse coniectabat.

163. Hoc responso Gelonis accepto legati Graecorum abnavigarunt. Post haec Gelon timens quidem ille Graecis, ne superare barbarum non possent, et tamen indignum atque intolerandum sibi ratus, ut profectus in Peloponnesum subesset Lacedaemoniis, qui Siciliae tyrannus esset, omissa hac via aliam iniit. Nam simultaque audiit Persam transmisisse Hellespontum, Delphos misit cum tribus navibus quinquagenum remorum Cadmum Scythae filium Coum, multa cum pecunia ac placidis verbis, ad observandum quo casura esset pugna: ut si barbarus vinceret, ei pecuniam traderet terramque et aquam eorum locorum quibus Gelon imperaret; sin vincerent Graeci, retro navigaret.

164. Hic Cadmus ante id tempus, quum tyrannidem Coorum a patre accepisset bene cedentem et nullo moleste incurrente, sed sua sponte ob iustitiam, in medium Cois reddito imperio, in Siciliam abiit: ubi

una cum Samiis tenuit atque incoluit urbem Zanclam, cuius nomen in Messanam mutatum est. Hunc igitur Cadmum, hoc modo accedentem, Gelon ob iustitiam, quam illi ex aliis rebus adesse noverat, misit: quin homo praeter alia quae edidit opera iusta, hoc non minimum illorum reliquit; quod tantum pecuniae a Gelone commissum intervertere quum posset, noluit, sed posteaquam Graeci qugna navali superiores exstitere, et Xerxes cum exercitu abiit: ipse etiam in Siciliam rediit cum omni pecunia.

165. Fertur autem et hoc ab iis, qui Siciliam incolunt, Gelonem induco ad obtemperandum Lacedaemoniis animo, fuiise laturum Graecis auxilia, nisi Terillus Crinippi filius eiectus ex Himera, ubi erat tyrannus, a Therone Aenesidemi filio Agrigentinornm monarcho, contra ipsum adduxisset sub id tempus Phoenicum et Afrorum et Iberorum et Ligurum et Helisycorum et Sardonum et Cyrniorum trecenta millia, duce eorum Amilcare Annonis filio Carthagineesium rege: quem Terillus conciliatum et hospitii necessitudine, et praecipue promta animi voluntate Anaxilai Cretinei filii, Rhegini tyranni, qui filios suos Amilcari obsides dedit, induxit in Siciliam ulciscendi soceri causa: habebat enim Anaxilaus in matrimonio Terilli filiam, nomine Cydippam. Ita Gelonem, quum nequiret auxilia Graecis ferre, Delphos misisse pecuniam.

166. Praeterea aiunt iidem contigisse, ut eodem die Gelon et Theron Amilcarem Carthaginensem in Sicilia superarint, quo Graeci in Salamine Persam. Quinetiam Amilcarem, qui a patre quidem Carthaginensis, a matre vero Syracusanus erat, et ob virtutem rex Carthaginensium, quum conflixisset, praelio victum, e conspectu fuisse ablatum audio nec usquam gentium aut vivum aut mortuum comparuisse: omnia enim Gelonem indagando lustravisse.

167. Apud ipsos autem Carthaginenses illius imaginem servantes, haec fama est, dum barbari eum Graecis in Sicilia ab aurora ad crepusculum pugnarent, tamdiu enim traxisse dicitur conflictus, interea Amilcarem in castris manentem sacrificasse atque litasse in ingenti pyra integra corpora adolentem: sed quum conspiceret suos in fugam versos, ut erat adfudens libamenta sacris, sese in ignem misisse, atque ita combustum e conspectu sublatum. Cui, sive hoc modo, ut Phoenices, sive alio, ut Carthaginenses nemorant, ex oculis ablato, partim extruxerunt monumenta in omnibus co-

Ioniarum urbibus et praecipuum in ipsa Carthagine. Hactenus quae ad Siciliam attinent.

168. Corcyraei autem aliud legatis responderunt, aliud fecerunt: nam quum eos iidem qui in Siciliam ierant, adsumerent, iisdem quibus Gelonem verbis alloquuti, hi vero polliciti sunt confestim se auxilia missuros ac praesidio futuros, negantes sibi Graeciam pereuntem neglectui habendam: quae si collaberetur, nihil aliud sibi super esse, quam ut primo quoque die servirent; ideoque sibi quoad maxime possent, illam esse adiuvandam. Haec illi aspectu speciosa responderunt: at ubi ferre opem oportuit, aliud habentes in animo, sexaginta naves instruxere: aegreque in altum evecti, Peloponneso applicuere, ac circa Pylon ac Taenaron orae Lacedaemoniorum naves in salo statuerunt; observantes et ipsi bellum quo caderet, desperantes quidem fore ut Graeci superarent, sed opinantes Persam multo superiorem universae Graeciae imperaturum. Itaque studio et astu id egerunt, ut haec ad Persam haberent. Adsciscentibus nos Graecis ad hoc bellum, O rex, qui copias habemus non sane minimas et naves praebemus non minimas, sed plurimas secundum Athenienses, tamen adversus te ire noluimus, aut quippiam tibi ingratum facere. Haec dicendo sperabant se plus aliquid quam ceteros ablaturos, quod etiam, ut mihi videtur, contigit. Ad Graecos autem excusationem paravere, qua etiam usi sunt: accusantibus enim Graecis quod opem non tulissent, dixere sexaginta se triremes armavisse, sed per ventos etesias superare Maleam nequisse: atque ita ad Salaminem non venisse, neo ullam malitiam in causa fuisse, ut post navalem pugnam venerint. Est isti quidem ita Graecos summoverunt.

169. Cretes autem, postquam adsciti sunt ab iis Graecis, quibus hoc negotium datum erat, ita faciendum putarunt, ut communiter Delphos mitterent consultores deum rogaturos, numquid sibi satius foret Graeciam defendere, Quibus Pythia respondit, O stulti, conquerimini de lacrymis, quas succensens ob ultionem Menelai vobis Minos misit. Quoniam illi quidem non adiuverunt ulcisci illius caedem in Camico factam: vos autem illos ob mulierem e Sparta a viro barbaro. Haec Cretes allata ubi audiere, ab auxilio ferendo supersedere.

170. Siquidem fertur, Minoëm, quum Daedalum vestigans in Sicaniam, quae nunc Sicilia dicitur, pervenisset violenta nece occubuisse: interiecto deinde

tempore omnes Cretes, praeter Polichnitanos et Praesios, divinitus impulsos; cum magna classe in Sicaniam traiecisse, et quinquennio obsedisse Camicum, quam mea aetate Agrigentini incolunt: ad extremum quum neque illam expugnare possent, neque permanere, fame compulsos relicta urbe abiisse: et dum circa Iapygiam cursum tenerent, ingenti eos tempestate adorta, in terram fuisse eiectos: laceratisque navibus, quia nullus in Cretam receptus ostendebatur, illic subsidentes urbem Hyriam condidisse: et mutato nomine pro Cretibus Iapyges Messapios esse effectos, et pro insulanis continentis incolas: et ab urbe Hyria alias incoluisse: quas diu post Tarentini evertentes, magnam in ruinam devenere, ut haec maxima caedes omnium quas novimus, exstiterit, tum ipsorum Tarentinorum, tum Rheginorum; qui a Micytho Choeri filio ad tria millia civium adacti opem ferre Tarentinis; interiere. Ipsorum autem Tarentinorum qui caesi sunt, numerus non est initus. Micythus autem quum Anaxilai famulus esset, procurator Rhegii relictus, ubi ex ea urbe excidit, Tegeam Arcadum incoluit, compluresque statuas in Olympia consecravit.

171. Sed mihi Rheginorum et Tarentinorum res sint interpositio historiae. In Cretam igitur desolatam Praesii aiunt cum alios homines, tum praecipue Graecos immigrasse: tertiaque a morte Minois aetate, res Trojanas fuisse, in quibus non deterrimos extitisse Cretes Menelai defensores: et ob id eos Troia reversos una cum suis pecoribus fame pestilentiaque correptos, iterumque desolatam Cretam cum reliquis a tertiis Cretensibus habitari. Harum rerum memoriam refricando, Pythia illos ad ferenda Graecis auxilia animatos cohibuit.

172. At Thessali necessitate subacti circa initia Medorum partes foverunt, quum ostenderent non placere sibi quae Aleuadae excogitassent: nam quumprimum audierunt Persam traiicere in Europam, legatos ad Isthmum mittunt, ubi provisores Graeciae delecti e civitatibus coacti erant, quae de Graecia meliora cogitabant. Ad quos postquam venere legati Thessalorum, ita verba fecere, Viri Graeci, Olympicum ingressum custodiri expedit, ut Thessalia pariter atque omnis Graecia sit septa ab bello. Nos equidem ad custodiendum simul parati sumus: sed vos quoque debetis multum mittere copiarum: quas nisi mittatis, scitote nos pactionem inituros esse cum Persa. Neque enim decet nos adeo

ante ceteram Graeciam positos pro vobis solos ocumbere: Quibus ferre opem si recusatis, nullam potestis iniungere necessitatem. Nulla namque fortior necessitas est imbecillitate. Itaque nosmet ipsi aliquam salutem comparare conabimur. Haec Thessali.

175. Ob quae Graeci illuc mittendum decrevere exercitum pedestrem per mare ad ingressum custodiendum. Exercitus, ubi coactus est, per Euripum navigavit. Qui postquam ad Alum Achaiae pervenit, egressus, relictis illic navibus, in Thessaliam contendit, et ad Tempe pervenit, ad ingressum, qui ab inferiore Macedonia in Thessaliam fert, iuxta amnem Peneum inter Olympum et Ossam montes. Ibi castra posuere Graeci, ad decem millia gravis armaturae coacti: quibus aderat Thessalorum equitatus, ducibus Lacedaemoniorum quidem Euaeneto Careni filio, delecto ex polemarchis, quamquam non esset e regio genere; Atheniensium autem, Themistocle Neoclis filio. Verum paucos illic dies morati sunt: advenientes enim ab Alexandro Amyntae filio viro Macedone legati, suaserunt eis ut discederent, ne in illo ingressu perstantes, ab exercitu irrumpente proculcarentur; multitudinem terrestrem nauticamque indicando Horum consilio Graeci, nam et bene sibi consuli, et bono erga ipsos animo Macedo esse videbatur, obtemperaverunt. Quamquam mihi videtur diffidentia id suasisse, quum audivere alium etiam esse in Thessalos ingressum per Perrhaebos, in superiori Macedonia, iuxta urbem Gonnon, qua et transivit exercitus Xerxes. Ita Graeci ad naves regressi, rursus ad Istmum se receperunt.

174. Haec fuit in Thessaliam sumpta expeditio, dum rex in Europam ex Asia transiturus erat, et Abydi iam agebat. A sociis autem deserti Thessali, ita prompti ad Medos transiere, iam nihil ambigentes, ut in rebus gerendis sese regi praestiterint utilissimos.

175. Graeci autem ad Isthmum reversi, ob ea quae ab Alexandro dicta erant, consultabant et qua bellum statuerent, et quibus in locis, evicitque haec sententia, ut praesidio aditum Thermopylarum custodirent, quippe qui videbatur et angustior quam ille Thessaliae, et simul ipsorum terrae propinquior. Nam, semitam qua intercepti sunt apud Thermopylas, ne quidem noverant illi Graeci, qui capti sunt, prius quam ingressi Thermopylas ab Trachiniis sciscitati sunt. Hunc igitur aditum tuendo decreverunt, non sinere barbarum transi-

re in Graeciam, utque classis navigaret in Histiaeotidis orae Artemisium. Haec enim loca inter se vicina sunt, ut audiri utrinque possint quae apud alteros geruntur. Quae loca ita se habent.

176. Artemisium quidem a pelago Thracico, ex laxitate in arctum cogitur traiectum, qui est inter insulam Sciathum et continentem Magnesiam: ab angustiis autem Euboeae iam Artemisium excipit litus, in quo est Dianae templum. Ingressus vero in Graeciam per Trachinem, ubi arctissimus, dimidiati plethri est: quanquam ad caeteram regionem non est hic locus arctissimus, sed ante postque Thermopylas: iuxtaque Alpenos a tergo sitos, tantummodo ad agendum vehiculum via patet: anterius etiam iuxta flumen Phoenicem, prope urbem Anthelam solum agendo vehiculo rursus via sufficit. Thermopylarum autem quod ad occasum vergit, mons est inaccessus et praealti praecipitii, procedens usque ad Oetam: quod autem viae vergit ad auroram, mare excipit ac vada. In hoc autem ingressu sunt calida lavacra, quae χύτρους, id est, ollas, indigenae vocant: et prope illa est ara Herculi exstructa. Ad hos ingressus, murus aedificatus erat, et olim portae aderant. Eum autem murum aedificaverant Phocenses metu Thessalorum, quoniam illi ex Thesprotis iere Aeolidem terram habitatum, quam nunc possident; quippe Thessalis conantibus eos evertere, hoc praesidio imposito se tutabantur: aquamque illam calidam in ingressum immisere, ut esset lacunosus locus; omnia excogitantes, ne in suam terram Thessali incursarent. Hic tamen antiquus murus quondam exstructus, maiori ex parte iam vetustate erat collapsus; quem qui rursus excitaverunt, visum est illis faciendum, ut illac barbarum arcerent a Graecia. Est autem proxime viam vicus, nomine Alpeni, unde frumentari Graeci statuerant.

177. Et haec quidem loca videbantur Graecis opportuna, cuncta enim ante rimati atque ratiocinati, ubi barbari neque multitudine neque equitatu uti possent, ibi illum Graeciae turbatorem excipere statuerunt. Postea vero quam Persam in Pieria esse audiere, ex Isthmo digressi sunt; peditatus ad Thermopylas insidendas, ceteri mari, ad Artemisium.

178. Et Graeci quidem ex iussu propere ad succurrendum tendunt; interea vero Delphi deum consulere, de seipsis et de Graecia solliciti. His responsum est ut ventos precarentur: illos enim maximos fu-

re Graeciae auxiliatores. Delphi quod accepere oraculum, cum iis primum Graecis communicavere, quibus libertas cordi erat: quo nuncio illos quod barbarum magnopere timerent, immortali beneficio demeruere. Deinde statuta ventis ara in Thyia, ubi fanum est Thyiae Cephissi filiae, a qua et locus hic habet nomen, etiam hostiis illos prosequuti sunt: propter quod oraculum etiam nunc Delphi ventos propitiant.

179. Nauticus autem Xerxis exercitus ex urbe Therma movens, decem ex omnibus navibus velocissimas recte traiecit in Sciathum, ubi erant tres praesidiariae naves Graecae, Troezenia, Aeginaea, Attica: quae prospicientes barbarorum naves, in fugam se proripuerunt.

180. Sed ex iis Troezeniam, cui praeerat Praxinus, insequuti barbari, continuo capiunt; ac deinde strenuissimum propugnatorum eius ducentes, in prora navis iugulant, perfaustum existimantes, quem primum et strenuissimum Graecorum ceperant: huic autem, quem immactaverunt, nomen erat Leon; fortasse etiam non nihil ipso nomine fruitus est.

181. Aeginaea vero, cuius trierarchus erat Asonides, nonnihil tumultus hostibus praestitit, quod inter propugnatores erat Pythes Ischenoi filius, vir eo die praestantissimus: qui quum caperetur navis, tamen eousque pugnando restitit, donec totus in frusta carnis concisus est, quumque collapsus non esset mortuus, sed spiraret, Persae, qui in navibus militarem operam proestabant, admiratione virtutis, magnum operae pretium putaverunt servare: vulnera myrrha sanantes, sindonisque byssinae fasciis obvolventes, ac rursus in castra sua reversi, hominem universo exercitui ostentabant admirabundi, ac probe excipientes: quum alios quos in eadem navi ceperant, tanquam mancipia tractarent.

182. Duabus navibus ita interceptis, tertia, cui praeerat Phormus, vir Atheniensis, dum fugit, ad ostia Penei impacta est: qua sine viris barbari potiti sunt: nam Athenienses, simulatque navem impegerunt, ab ea desilientes, iter Thessaliam intenderunt, seque Athenas receperunt. Huius rei per ignes e Sciatho editos facti certiores Graeci qui ad Artemisium castra habebant, et ob id perterriti: illinc Chalcidem concesserunt quidem ad Euripum tutandum, relictis tamen per edita Euboeae loca diurnis speculatoribus.

183. Ex illis autem decem barbarorum navibus tres ad saxum, quod est inter Sciathum et Magnesiam, nomine Myrmecem, invectae sunt: quo loco ubi barbari lapideam columnam apportatam imposuere, ipsi qui ex Therma solverunt, postquam omnia ante oculos fuerunt pura; cum tota classe abnavigabant undecim diebus; ex quo rex a Therma discesserat, interpositis: sed eos ad id saxum quod erat in traiectu deducebat praecipue Scyrius Pammon. Hinc totum diem navigantes barbari partem orae Magnesiae peragunt ad Sepiadem, et litus quod est inter urbem Casthanaeam et oram Sepiadem.

184. Ad hunc usque locum atque Thermopylas exsors malorum Xerxis exercitus fuit: et adhuc multitudo erat, quemadmodum ego coniiciendo invenio navium quidem ex Asia mille ducentarum septem: antiquam turbam e singulis nationibus millia ducenta et quadraginta unum ac quadringentos, ducenos supputando viros in unaquaque nave: et in his navibus praeter indigenas singularum propugnatores, erant Persarum Medorumque ac Sacarum triceni epibatae. Haec alia turba constabat ex triginta sex millibus, ducentisque ad decem. Adiiciam autem huic et superiori numero eos qui sunt ex navibus quinquaginta remorum, supponens quidquid plus erat in eis aut minus, ad singulas octoginta viros. Quarum navium summa, ut superius iam a me dictum est, trium millium fuit: ita in eis fuerint virorum ducenta et quadraginta millia. Haec igitur erat classis ex Asia, quingentorum et decem millium virorum in universum, et praeterea septem millium sexcentorum decem. Peditatus fuit decies septies centenum millium: equitatus, octoginta millium: quibus addo Arabes qui camelos, Afros qui currus agitabant, quos facio viginti millium. Quae copiae classiariae et terrestres in summam redactae fiunt ter et vicies centena et praeterea decem et septem millia, sexcenti et decem. Has copias ex ipsa Asia fuisse eductas dictum est, praeter servitia quae comitabantur, et frumentarias naves, et quot in eis vehebantur.

185. Huic omni enumerato exercitui adiiciendus est ille ductus ex Europa, de quo ex opinione dicere oportet. Isti igitur Graeci ab Thracia, et ex insulis Thraciae obiacentibus, praebuerunt naves centum viginti, quarum viri fiunt viginti quatuor millia: terrestres copias praebuerunt Thraces, et Paeones, et Eordi et Bottiaei, et genus Chalcidicum, et Brygi: et Pieres et Macedones, et Perrhaebi, et Enienes, et Dolopes

et Magnetes, et Achaei: et qui maritima Thraciae habitabant. Harum nationum reor trecenta millia fuisse: quae myriades illis Asiaticis adiectae, fiunt in summa virorum pugnantium ducentae sexaginta quatuor, et praeterea mille sexcenti ac decem.

186. Hoc autem ipso tali pugnantium numero non pauciora sed plura fuisse arbitror, quae eos comitabantur ministerii instrumenta, et eos qui in frumentariis acatiis erant, et omnio in aliis navibus, quae una cum exercitu procedebant. Et sane facio illos istis pares esse, et neque plures neque ulla parte pauciores. Ita aequati numero pugnantium, explent easdem illis myriadas. Sic quingentas et viginti octo myriadas, et tria millia ducentos et viginti viros Xerxes Darii filius duxit ad Sepiadem usque et ad Thermopylas.

187. Hic est universarum copiarum Xerxis numerus. Nam mulierum pinsentium et pallacarum et eunuchorum numerum nemo pro comperto dixerit: ac ne impedimentorum quidem, aliorumque iumentorum sarcinariorum, neque canum Indicorum, exercitum comitantium, prae multitudine quisquam iniverit numerum. Quo minus miror prodidisse fluenta quorundam amnium; magis miror, quomodo tot myriadibus cibaria suppetierint: nam subducta ratione comperio, si singuli quotidie singulos frumenti choenicas, et non amplius acceperunt, absumpta fuisse singulis diebus centum decem millia medimnorum, et alios trecentos ac quadraginta medimnos. Haud annumero datum mulieribus eunuchisque, et iumentis, atque canibus. In quo exercitu quum tot virorum myriades forent, nec specie nec magnitudine corporis quisquam eorum Xerxe ipso erat dignior, qui illud imperium obtineret.

188. Navales autem copiae, postquam e statione solverunt, provectaeque litus terrae Magnesiae tenuerunt, quae est inter urbem Casthanaeam et oram Sepiadem, primae quaeque naves ad terram habuere stationem, aliae deinceps in ancoris; utpote quum non magnum foret litus, capitibus in pontum obversis stabant etiam ad octavum usque ordinem, atque ita per istam noctem. Sub ipsum vero diluculum, ex sereno coelo et tranquillo quum mare efferbuisset, incidit in eam atrox tempestas, ac vehemens ventus subsolanus, quem Hellespontiam nuncupant, qui circa illa loca habitant. Eum ventum quicunque augescere animadverterunt, et quibus per conditionem stationis licuit, ii tempestatem praevenerunt retrahendo naves, et sese atque illas incolumes praestiterunt:

at quas naves ventus in alto nactus est, earum alias ad loca quae dicuntur Ἰπνοί, id est, furni, quae sunt in Pelio, extulit, alias in litus, aliae in ipsam Sepiadem illisae sunt, aliae in urbem Meliboeam, aliae in Casthanaeam expellebantur: erat enim intoleranda vis eius.

189. Enimvero feruntur Athenienses divinitus Boream invocasse, allato ad eas oraculo alio, ut generum suum ad sibi opitulandum invocarent. Habet autem, ut apud Graecos fertur, Boreas in matrimonio Orithyiam, Atticam, Erechthei filiam. Ex hac affinitate, ut fama est, Athenienses inducti sunt ad coniectandum Boream sibi generum esse; et dum in Chalcide Euboeae excubarent, quum intelligerent auctum iri tempestatem, aut etiam ante hoc tempus, sacrificaverunt, et invocaverunt Boream et Orithxiam, ut sibi auxilio essent, et barbarorum naves corrumperent: quemadmodum prius etiam circa Athon. Num autem ob id Boreas ingruerit in barbaros stationem agentes, non queo dicere: certe Athenienses aiunt Boream, qui ante fuerit ipsis auxilio, etiam tunc illa effecisse: atque digressi illinc, delubrum Boreae extruxere ad amnem Hissum.

190. In hac clade qui paucissimas naves, ii non pauciores quadringentis periisse aiunt, viros quoque innumerabiles ac vim pecuniarum immensam; ut Aminocli Cratini filio, viro Magneti, circa Sepiadem possessiones habenti, maiorem in modum fuerit fructuosum hoc naufragium, qui sequenti tempore multa pocula aurea per aestum eiecta, multa argentea sustulit, thesaurosque Persarum invenit, affatimque aliarum ex auro rerum lucratus est: et quum alioqui non esset fortunatus, e rebus repertis mirifice est ditatus: nam et hunc calamitas quaedam tristis lugere cogebat ob liberorum necem.

191. Navium autem frumentariarum aliorumque navigiorum quae perierunt numerus iniri non potest. Unde praefecti navalium copiarum, veriti ne sibi post acceptam calamitatem Thessali incursarent, excelsum vallum e naufragiis circumdederunt. Triduo enim tempestas perstitit: quarto tandem die magi hostiis, et praestigiis incantando ventum, ad haec Thetidi ac Nereidibus sacrificando, tempestatem compescuerunt; sive alioquin ipsa sua sponte cessavit. Thetidi autem sacrificavere, quod ab Ionibus acceperant; Thetin ex eo loco raptam fuisse a Peleo, omnemque oram Sepiadem illius esse, aliarumque Nereidum. Et illa quidem quarto die conquievit.

192. At Graecis diurni sui speculatores ex Euboicis promontoriis decurrentes, altero ab exorta primum tempestate die indicarunt omnia quae circa naufragium contigerant. Quae isti ubi audiere, fusis ante votis Servatori Neptuno ac libamentis, celerrime rursus ad Artemisium revehuntur, sperantes sibi paucas aliquas naves fore adversarias. Ita ad Artemisium revecti iterum stationem habuere, Neptuni Servatoris cognomen inde ad hocusque tempus usurpantes.

193. Barbari, postea quam ventus quievit, et fluctus strati sunt, deductis navibus praeter continentem enavigabant, circumvehentesque promontorium Magnesiae, rectum cursum in sinum qui ad Pagasas fert tenebant. In hoc Magnesiae sinu locus est, in quo fertur Hercules, quum e navi Argo aquatum missus esset, derelictus fuisse ab Iasone a sociis, dum in Aeam urbem Colchidis ad vellus navigarent. Illinc enim aquati in pelagus erant abituri, eaque de re nomen loco fertur esse Aphetae.

194. Hoc in loco Xerxis naves stationem habuerunt: quarum quindecim, quae longe ultimae navigabant, prospectis Graecorum ad Artemisium navibus, ratae suas esse, in medium earum hostilium navium delatae sunt: quarum dux erat Sandoces Thamasiae filius, Cymae Aeolidis praefectus: quem ante haec tempora Darius in hoc crimine deprehensum cruci affixerat, quum e regiis iudicibus esset, iniquam sententiam ob pecuniam tulerat; sed eius in cruce suspensi Darius reputans plura peccatis esse beneficia in domum regiam collata, hoc reperiens, agnoscensque properantius se quam prudentius egisse, hominem solvit. Ita regem Darium elapsus, ut ab eo non occideretur, supererat; tunc vero in Graecos delatus, non iterum erat elapsurus: hos enim ad se cursum tenentes Graeci ubi videre, cognito hominum errore, contra invecti, facile eas cepere.

195. In quarum navium una captus est Aridolis, Alabandensium qui sunt in Caria tryannus; in altera Penthylus Demonoi filius, dux Paphius, qui e Papho duodecim naves quum duxisset, amissis earum undecim tempestate, quae ad Sepiadem exstiterat, cum una quae superabat tendens ad Artemisium, captus est. Hos Graeci quae volebant de Xerxis exercitu sciscitati, vinctos ad Corinthiorum Isthmum dimiserunt.

196. Cetera barbarorum classis, praeter quindecim naves quibus praefuisse Sandocem dixi, ad Aphetas pervenii. Xerxes cum terrestribus copiis per Thessaliam

et Achaiam iter faciens intraverat et quidem post triduum in Melienses: quum in Thessalia certamen equorum suorum fecisset, Thessalici equitatus experiend gratia, illum optimum in Graecis esse edoctus: in eo autem certamine multo inferiores fuerunt equi Graeci. Fluviorum porro qui sunt in Thessalia, solus Onochonus potanti exercitui non suffecit. Fluviorum autem Achaiae quum maximus sit Apidanus, ne hic quidem suffecit, nisi maligne.

197. Xerxi ad Alum urbem Achaiae tendenti, duces viae cuncta referre cupientes, enarrabant id quod de templo Iovis Laphystii ab indigenis narratur: Athamantem Aeoli filium, inito cum Ino consilio necem Phrixo machinatum: deinde Achaeos ex oraculo tale certamen illius posteris proposuisse, ut qui ex eo genere maximus natu esset, aditu prytanei, quod leitum Achaei vocant, interdicentes ipsi excubias agunt: quod siquis intravisset, non prius exire posset quam mactandus esset. Ita multos, quum iam mactandi essent, eo metu in aliam profugisse regionem: interiecto deinde tempore, quum reversi essent, si deprehenderentur in prytaneum mittebantur et quemadmodum mactarentur, referebant toto corpore infulis cooperto, et cum pompa educti. Hoc autem posteros Cytissori Phrixo geniti ob id pati, quod quum Achaei ad expiandam regionem elegissent ex oraculo Athamantem Aeoli filium, eumque essent immolaturi, Cytissorus iste ex Aea Colchide veniens illum liberavit: eoque facto posteris eius iram dei fuisse iniectam. Haec quum audisset Xerxes, ubi ad lucum adfuit, et ipse eo abstinuit, et idem suis copiis imperavit, domumque posterorum Athamantis item ac fanum veneratus est.

198. Haec in Thessalia Achaiaque; a quibus locis processit Xerxes in Melidem iuxta maris sinum, ubi totum diem aestus atque reciprocatio fluctuum fit. Huic sinui circumiectus est locus campester, alibi spatiosus, alibi arctus admodum. Suntque ipsi campo circumiecti montes editi atque inaccessi, omnem Melidem cingentes regionem, quae Trachiniae nominantur. Prima in sinu urbs ab Achaia euntibus est Anticyra, quam amnis Sperchius praeterlabens ex Enienibus in mare defluit. A quo alter amnis xx. ferme stadiis abest, cui nomen inditum est Dyras, quem fama est emersisse ad ferendam Herculi quum cremaretur opem. Ab hoc totidem stadiorum intercapedine alius amnis est, qui vocatur Melas. Unde urbs Trachis quinque stadia abest.

199. Illic est amplissimum regionis totius, ubi est sita urbs Trachis, spatium a montibus ad mare, utpote duorum et viginti millium plethrorum planitie: montis vero qui terram Trachiniam circumdat, est ad Trachinis meridiem anfractus, per quem Asopus circa radices montis defluit.

200. Ad cuius meridiem alius non magnus amnis est, nomine Phoenix, ex his montibus in Asopum defluens. Iuxta Phoenicem amnem est angustissimum: quippe ubi sola una via munita est, qua plaustrum agi potest. A flumine Phoenice ad Thermopylas quindecim stadiorum est intervallum: in isto autem spatio inter fluvium Phoenicem ac Thermopylas, in quo vicus est nomine Anthela, quem praeterfluens Asopus in mare evolvitur: et ei locus spatiosus est circumiectus, ubi templum Cereris Amphictyonidis exstructum visitur, et sedilia Amphictyonibus, et ipsius Amphictyonis delubrum.

201. Ceterum rex Xerxes quidem in Trachinia Melidis castra habebat, Graeci vero in transitu: qui locus a plerisque Graecorum vocatur Thermopylae, ab indigenis autem atque accolis Pylae. Haec erant utrorumque castrorum loca; Xerxe omnibus, quae ad ventum boream spectant usque ad Trachinem, potito: Graecis, quae in hac continente ad austrum et meridiem ferunt, tenentibus.

202. Qui hoc in loco Persam Graeci opperiebantur, hi fuere, Spartanorum trecenti armati, Tegeatarum et Mantinensium mille, totidem ex utrisque: ex Orchomeno Arcadiae centum viginti, ex reliqua Arcadia mille, tot quidem Arcades. A Corintho autem quadringenti: a Phliunte ducenti, et Mycenaeorum octoginta: hi ex Peloponneso aderant: ex Boeotis autem Thespienses septingenti, Thebani quadringenti.

203. Praeter hos evocati erant Locrenses Opuntii cum omni copia, et Phocensium mille. Ipsi enim Graeci eos evocaverant, missis nunciis, qui dicerent, ipsos quidem praecursores aliorum venire, ceteros autem socios quotidie penes ipsos; atque etiam expectari: ac tutelam maris esse in Atheniensium praesidio Aeginetarumque, et eorum quibus res navalis iniuncta esset: nec ipsis quippiam esse formidolosum: non enim deum esse qui bellum Graeciae inferret, sed hominem: nec mortalem quempiam aut esse aut fore, qui ex quo natus est, mali exsors sit: et ut quique maximi sunt,

ita mala maxima: debere itaque fieri, ut quum mortalis esset, qui bellum inferret, ab opinione sit casurus. Haec illi audientes, in Trachinem auxilio iere.

204. Erant his cum alii duces suae quisque civitatis, tum vero, penes quem summa imperii erat, quem maxime admirabantur, Lacedaemonius Leonides, Anaxandridae filius, qui Leontis, qui Eurycratidae, qui Polydori, qui Alcamenis, qui Telecli, qui Archelai, qui Agesilai, qui Doryssi, qui Leobotae, qui Echestrati, qui Agis, qui Eurysthenis, qui Aristodemi, qui Aristomachi, qui Cleodaei, qui Hylli, qui Herculis filius fuit; adeptus ex inopinato Spartae regnum.

205. Nam quum duo forent ei fratres natu maiores, Cleomenes et Dorieus, aberat a cura regni adipiscendi: verum Cleomene sine virili sobole defuncto, et Dorieo iam non superstite, sed et ipso in Sicilia vita functo, ita regnum ad Leonidem pervenit, quia et maior natu erat Cleombroto, is enim novissimus fuit Anaxandridae filiorum, habebatque in matrimonio Cleomenis filiam. Qui tunc se ad Thermopylas contulit, delectis trecentis compositis viris, et quibus filii erant: assumpseratque eos Thebanos, quorum de numero feci mentionem, quorum dux erat Leontiades Eurymachi filius. Hac de causa Leonides dedit operam ut hos solos Graecorum adscisceret, quod eos maxime insimulabat cum Medis sentire. Evocabat igitur eos ad bellum, sciendi cupidus utrum simul mitterent auxilia, an ex professo abnegarent Graecorum societatem: sed illi aliud sentientes, tamen auxilia miserunt.

206. Eos qui cum Leonide fuere, primos miserunt Spartiatae, ut his inspectis alii socii militiam sumerent, neve cum Medis etiam ipsi sentirent, si ipsos cunctari audirent. Ipsi autem celebratis Carniis, haec enim sacra morabantur eos, relictis Spartae custodibus, erant cum omni copia illuc celerrime ituri auxilio. Reliqui autem socii ad id agendum itidem animati, nam tempus Olympiadis in haec negotia inciderat, haud suspicati tam cito apud Thermopylas bello decernendum, antecursores miserant.

207. Ita isti sibi faciendum statuerant. At ii Graeci qui in Thermopylis erant, ubi ad ingressum Persa adventabat, metu perculsi de discendo consultabant. Ac ceteri quidem Peloponnenses censebant faciendum, ut reversi in Peloponnesum, Isthmi custodiam agerent: huic autem sententiae quum valde infensi essent Pho-

censes et Locri, Leonides suadebat illic persistendum, et nuncios ad arcessenda subsidia per civitates dimittendos, tanquam se paucioribus quam ut Medorum exercitum arcerent.

208. Haec istis consultantibus, Xerxes equitem quendam ad speculandum quot illic essent, et quid agerent, mittit. Addiderat enim iam tum quum in Thessalia esset, eo loci contractam esse exiguam copiam, eiusque duces esse Lacedaemonios, atque Leonidem e genere Herculis. Eques ubi ad stationem Graecorum accessit, contemplatur aspicitque non illa quidem omnes milites, nam eos, qui intra murum quem excitaverant excubabant ad eius custodiam, intueri nequibat, sed eos qui extra murum agebant. Erant autem eo tempore exterius manendi in Lacedaemoniorum statione vices: eos animadvertit partim se ludo gymnastico exercentes, partim comam pectentes. Haec cum admiratione intuitus, etiam cognito eorum numero, ac omnibus plane perceptis, per otium sese recipit: nemo enim insequebatur, sed hominem magno contemptui habebant. Regressus ad Xerxem, cuncta quae inspexerat refert.

209. Quae Xerxes audiens, non poterat coniectare quod erat, eosque parare se, tanquam perituri, et perdituri, quantum possent. Sed, ridiculam enim rem facere sibi videbantur, arcessit Demaratum Aristonis filium, qui in exercitu erat: quem, ut venit, interrogavit horum singula, cupiens nosse quid ab Lacedaemoniis ageretur. Et ille, Audisti, inquit, et antea me, dum adversus Graeciam proficisceremur, de his viris: et quum audisses loquentem haec ipsa, quae eventura providebam, derisui habuisti: nam mihi summa contentio est adversus te, o rex, veritatem colere; audias vero nunc utique. Hi viri ad nobiscum pugnandum de introitu venere, atque hoc apparant: nam ita sese apud eos habet consuetudo: quoties adire vitae periculum debent, tunc capita comunt: sed scito, si et hos et quod in Sparta residuum est, subegeris; nulla hominum gens alia est, quae contra te, rex, audeat tollere manus. Etenim nunc adversus regnum atque civitatem in Graecia pulcherrimam atque viros praestantissimos tendis. Et admodum haec dicta incredibilia Xerxi videbantur, et denuo interrogabat, quo pacto tantillae copiae cum suis pugnabunt: ille vero inquit, o rex, utere me ut viro mendaci, nisi haec tibi evenerint, prout ego dico.

210. Haec dicens, tamen Xerxi non persuasit.

Itaque quatriduum Xerxes supersedit, ratus eos illinc fugam esse facturos. Quinto die quum non discederent, atque ipse putaret impudentia illorum atque temeritate fieri, ut manerent, ira percitus, Medos in eos ac Cissios mittit, imperans ut illos caperent vivos et in conspectum suum ducerent. Medi, ubi facto impetu in Graecos impressionem fecerunt, multi cadebant, aliisque supervenientibus nihil tamen depellebantur, etsi vehementer ingruerent: palam facientes aliis omnibus, et non minimum ipsi regi, penes ipsum quidem multos homines esse, at paucos viros. Fuit autem hic pugnae congressus interdiu.

211. Post, ubi Medi aspere fuissent excepti, tum vero ipsi se subduxere, Persaeque subeuntes excepere, immortales, quorum duxerat Hydarnes, rex appellavit, tanquam facile rem profligaturos. Ubi et hi cum Graecis congressi, nihilo magis quam Medi proficiebant, sed eodem modo, utpote in loco angusto, pugnantes, et brevioribus hastis quam Graeci utentes, et nullus multitudinis erat usus: ibi Lacedaemonii dignam memoratu pugnam edebant, cum aliis in rebus ostentantes se peritos inter imperitos pugnare, tum vero in eo, quod quoties terga vertebant, conferti fugiebant. Quos barbari dum fugientes cernerent, cum vociferatione et strepitu ingruebant: at Graeci deprehensi revertebantur, ut adversis pectoribus barbaros exciperent: et sic conversi quamvis Persarum innumeram multitudinem prosternebant; aliquot tamen illic ex ipsis etiam Spartiatis occubuere. Persae, posteaquam et catervatim et universis copiis introitum occupare conati, nihil tamen promovebant, iterum sese receperunt.

212. Fertur autem Xerxes, quum ad spectaculum adesset, in his pugnae congressibus ter e solio resiluisse, quod videlicet exercitui suo timeret. Tunc igitur ita pugnarunt. Postridie autem nihilo melius barbari proeliati sunt. Ita enim pugnabant, ut qui existimarent illos, utpote paucos, saucios esse; eisque adhuc ad tollendas manus vires non superesse. At Graeci eos excepere, instructis ordinibus, ac per nationes digesti, et in suo quisque loco praeter Phocenses, qui in monte ad iter obsidendum locati erant. Persae ubi nihil aliud discriminis quam in pridiana pugna vident, abscedunt.

213. Ibi regem ancipitem quodnam in re praesenti consilium capesseret, Epialtes Eurydemi filius, vir Meliensis, alloquuturus adiit, tanquam magna aliqua re ab illo remunerandus, indicavitque ei tramitem qui per

montem in Thermopylas ferebat: quo virtutem eorum Graecorum qui illic manserant, evertit. Is postea Lacedaemoniorum metu in Thessaliam profugit; sed cui profugo ab pylagoris, Amphictyonibus ad Pylaeam congregatis, pecunia praeconio publico imposita fuit: qui interiecto deinde tempore ab Athenade viro Trachinio, Anticyrae, nam illuc redierat, interemptus est. Quem, etsi ob aliam causam, quam ego in sequentibus reddam, Athenades hic interemit, nihilo tamen secius a Lacedaemoniis praemio affectus est. Hunc in modum Epialtes postea interiit.

214. Est et alia quae fertur fama, Onetem Phanagorae filium, virum Carystium, et Corydalum Anticyrensem, fuisse, qui ea dixerint regi, et circum montem Persas duxisse. Quod apud me prorsus fide caret: nam partim hinc licet coniectemus, quod Graecorum pylagori non Onetae et Corydali, sed Epialtae Trachinii capiti pecunia et praeconio periculum moverunt, id scilicet compertissimum habentes: partim quod Epialten ob hoc crimen scimus se fuga proripuisse. Sane quidem etiam, quanquam Onetes non fuisset vir Meliensis, tramitem illum novisset, si in ea regione multum versatus fuisset: sed enim Epialtes est, qui montem circumduxit, et quod ad tramitem pertinet, illi culpam adscribo.

215. Xerxes ea, quae Epialtes se confecturum spondebat, probans, maiorem in modum laetus, sine mora Hydarnem cum iis quibus praeerat copiis misit. Ille circa primam facem e castris profectus est. Tramitem vero illum indigenae Melienses vestigaverunt; eoque investigato Thessalos deduxere adversus Phocenses, eo tempore, quo Phocenses intersepta muro semita, erant in loco securo belli; et ex tanto tempore monstratus est nihil utilis Meliensibus.

216. Sic autem sese habet ille callis: incipit ab Asopo fluvio, qui per montis meat anfractum, cui monti ac viae idem nomen est inditum Anopaea: haec Anopaea per dorsum montis porrecta, desinit iuxta Alpenum urbem, quae prima est ex Locridibus, Melienses versus ac iuxta lapidem nomine Melampygum ac iuxta Cercopum sedes, ubi angustissimus est.

217. Hac ipsa via atque ita se habente Persae Asopum transgressi, iter tota nocte fecerunt, habentes a dextra Oetaeorum montes, a sinistra Trachiniorum; ac sub exortum aurorae in acumen montis evaserunt: quo in montis loco, sicut superius ostensum est, mille Pho-

censium armatorum praesidium excubabat, tum ad liberandam suam terram, tum ad callem tutandum: nam ingressus inferior a quibus dictum est custodiebatur, et hanc per montem viam ultro polliciti Leonidae custodiebant Phocenses.

218. Hoc autem modo Phocenses ascendisse Persas didicerunt: nam quum montem isti ascenderent, prorsus latebant, quia totus erat obsitus quercubus. Quum vero esset coeli tranquillitas, edito multo strepitu, ut res postulabat, propter frondes sub pedibus stratas, Phocenses recurrerunt; et dum sibi arma induunt, confestim barbari adfuere: qui conspicati viros arma sibi circumdantes, obstupuere: quippe qui adversarium nihil sibi sperabant apparitorum, inciderunt in exercitum. Ibi Hydarnes formidans ne Phocenses forent Lacedaemonii, Epialten percontatus est, cuias ille esset exercitus. Mox certior rei factus, Persas tanquam in aciem instruxit, quorum sagittis multis crebrisque Phocenses quum ferirentur, fugerunt in verticem montis, gnari adversus se omnino illos venisse; et se praeparabant tanquam perditi. Ita isti sentiebant. Verum Phocenses hos nihili aestimantes spernebant ii, qui circa Epialten et Hydarnen erant: ita illi rapide de monte descendunt.

219. At iis Graecis qui in Termopylis erant, primum vates Megistias extis inspectis indicavit mortem illis cum aurora impendere. Postquam vero etiam transfugae notum fecere Persarum montis circuitum, illi quidem adhuc noctu signum dederunt. Tertio loco significavere speculatores diurni, qui a verticibus montis decurrerant iam die illucescente. Hic inter se consultantes Graeci, sententiis discrepabant: alii enim stationem non sinebant deserere, alii contra tendebant. Ita dissidentes partim abscedunt, dilapsique in suam quisque urbem se recipiunt: partim cum Leonide ad illic perstandum se accingunt.

220. Fertur autem ipse Leonides eos qui abscessere dimisisse, ne perirent procurans; se vero et Spartiatas, qui adessent, non facturos e sua dignitate, si stationem desererent, ad quam venissent omnino custoditum. Ad hanc quoque ego magis opinionem vergo, Leonidem, posteaquam animadvertit socios minime promptos esse et nolle simul periculum subire, veniam eis abeundi dedisse, sibi vero decedere inhonestum putasse: permanenti autem illic ingentem gloriam futuram, et Spartae felicitatem non defuturam. Siquidem

iam inde ab initio moti huius belli Spartiatis consulentibus a Pythia redditum erat oraculum, fore ut aut Sparta everteretur a barbaris, aut rex ipsorum occumberet. Quod oraculum hexametris illa versibus reddidit, in haec verba:

Vobis, amplivagae colitis qui moenia Spartae,
Aut urbs clara dabit Persa victore ruinam:
Aut, si non erit hoc, oriundus ab Hercule quidam
Flebitur exstinctus rex in Lacedaemonis ora.
Nam neque taurorum neque vim feret ille leonum,
Sed Iovis, et cuius reor haud tolerabile robur,
Alterutrum donec passim discerpserit horum.

Haec reputantem Leonidem, cupidumque gloriae solius comparandae Spartiatis dimisisse socios potius, quam illos qui abierunt, in sententiis dissidentes, tam deformiter abiisse.

221. Cuius rei non minimo id mihi testimonio est, quod non modo alios, sed etiam vatem Megistiam, huius expeditionis comitem, Acarnanem, qui a Melampode oriundus dicebatur, hunc qui etiam praedixit ex extis ea quae erant illis eventura, propalam Leonides dimiserit, ne secum periret; at iste dimissus tamen ipse non deseruit, filium modo, qui ei unicus erat, una militantem missum fecit.

222. Ita socii quos Leonides remittebat, ei obtemperantes abiere. Thespienses tantum atque Thebani perstitere cum Lacedaemoniis: Thebani quidem, inviti ac nolentes, quippe quos Leonides loco obsidum distinebat: Thespienses vero libentissimi, qui negaverunt se Leonide et iis qui cum eo erant desertis abscessuros: permanentesque una cum ille occubuerunt: quorum dux erat Demophilus, Diadromae filius.

223. Xerxes, sub exortum solis libaminibus factis, tantisper moratus dum tempus esset, quo forum solet maxime frequens esse hominibus, e castris movit: etenim ita ab Epialte erat mandatum: nam descensus a monte, compendiarius magis ac breviori multo spatii quam circuitus atque ascensus. Et Barbari igitur, qui circa Xerxem erant, accessere, et Leonides ac Graeci, qui cum eo erant, tanquam ad necem exitum facturi, iam multo magis quam a principio itidem progressi sunt ad faucium partem laxissimam: nam munitiones muri eos tutabantur. Et qui superioribus diebus in loca arcta prodeuntes dimicaverant, tunc extra angustias facto conflictu permulti barbarorum cadebant,

Nam duces a tergo sui quisque agminis, flagellis quae gestabant unumquemque caedebant, assidue ad procedendum adhortantes, unde multi eorum in mare decidentes absumebantur, multo plures invicem vivi proculcabantur, quum nulla pereuntis ratio haberetur. Quumque scirent impendere sibi necem ab iis qui montem circumiverant, quantum maxime roboris poterant id in barbaros ostendebant, ingruentes ac sese intrudentes.

224. Quorum plerisque quum iam lanceae diffractae essent, illi vero gladiis Persas obtruncabant, et Leonides in hoc discrimine cecidit, navata strenuissime opera, et cum eo alii insignes, multi vero etiam non insignes Spartani: quorum ego tanquam dignorum virorum nomina sciscitatus sum; sed et sciscitatus fui trecentorum omnium. Persarum quoque illic cum multi alii celebres ceciderunt, tum vero duo Darii filii, Abrocomes et Hyperanthes: quos Darius ex Phrataguna Artanis filia sustulerat. Artanes autem, Darii regis frater, et Hystaspis filius nepos Arsamis erat, qui quum Dario filiam nuptum dedit, omnia insuper ei bona sua tradidit, ut qui esset unicae pater.

225. Xerxis igitur duo fratres pugnantes occubuere, adeoque vehemens de cadavere Leonidae fuit Persarum Lacedaemoniorumque conflictus, donec Graeci et id virtute substraxerunt, et quater adversarios fugere compulerunt, et eousque perstiterunt, dum ii qui cum Epialte erant adfuere. Quos ubi venire audierunt Graeci, tum vero pugnandi ardor immutatus est, nam ad angustias viae sese retro recepere: et praetergressi murum, quum venissent, in tumulo addensati sederunt cuncti, praeter Thebanos. Est autem iste tumulus in ingressu, ubi nunc ad Leonidem stat lapideus leo. Hoc in loco defensantes se gladiis, quibus illi adhuc superant, et manibus et oribus, barbari obruerunt incessentes; alii ex adverso urgentes, et munitionem muri diruentes; alii undique circumvenientes et circumstantes.

226. Lacedaemonii autem atque Thespienses quum tales exstiterint, praestantissimus tamen exstitisse fertur Dieneces Spartiata: quem, antequam cum Medis confligeretur, hoc dictum dixisse aiunt: quum a quodam Trachinio audisset barbaros ubi emissuri essent arcus, prae multitudine sagittarum solem obducturos, tantam eorum esse copiam, adeo non his expavefactus est, ut parvi faciens Medorum turbam, responderit: Omnia sibi bona Trachinium hospitem nunciare, si Medis so-

lem occultantibus sub umbra cum illis, et non in sole pugna ipsis futura esset. Haec et alia huiusmodi dicta aiunt Dienecem Lacedaemonium reliquisse monumenta.

227. Post hunc e Lacedaemoniis duo fratres praestantissimi feruntur fuisse, Alpheus et Maron, Orsiphanto geniti: e Thespiensibus autem excelluit maxime Dithyrambus Harmatidae filius.

228. His eo loci ubi ceciderunt sepultis, et iis sociis qui prius occubuerunt, quam a Leonide dimissi abierunt, epigrammata his verbis inscripta sunt:

Terdecies centum hic certarunt millibus olim
E Peloponneso millia quarta virum.

Haec universis superscripta sunt: ista peculiariter Spartiatis,

Nos Lacedaemoniis refer hic, peregrine, iacentes,
Illorum dictis dum damus obsequium.

Et Lacedaemoniis quidem istud: vati autem quod sequitur:

Nobilis hoc bustum est, Medi occidere, Megistae,
Sperchium ad fluvium: non sed inultus obit.
Qui vates obitum quamvis praesciret adesse,
Spartae haud sustinuit deseruisse duces.

Qui hos inscriptionibus et cippis exornarunt, praeter inscriptionem vatis Amphictyones fuere: at istud vatis Megistiae, Simonides Leoprepis filius, propter hospitii iucunditatem inscripsit.

229. Ex his trecentis feruntur duo Eurytus et Aristodemus, et quum liceret communi ratione utentibus aut salutem sibi parare Spartam euntibus, sicut erant e castris ab Leonide remissi, et decumbebant in Alpenis acerrime oculis laborantes; aut, si reverti recusarent, una cum aliis occumbere: quum liceret illis alterutrum facere, noluisse idem consilium sequi; sed quum discreparent, Eurytum quidem audita Persarum circuitione petiisse arma, et quum induisset, iussisse Hilotam ad pugnantes ducere: hunc ubi duxit, illum, qui duxerat, fugae se mandantem abiisse, illum dato in agmen impetu occubuisse: Aristodemum vero prae ignavia remansisse. Quod si vel Aristodemus solus dolensque rediisset Spartam, aut si pariter ambo reduces fuissent, videntur mihi Spartiatae nullam iis poenam irrogaturi fuisse; nunc autem altero eorum exstincto, altero qui vicinus eidem praetextui, tamen occumbe-

noluerit, necessario debuisse magnopere irasci Aristodemo.

230. Quidam hunc in modum et ob hanc causam Aristodemum sospitem rediisse Spartam aiunt. Alii autem ab exercitu pro nuncio missum, quum posset pugnae quae fiebat adesse, noluisse, sed moratum in via, fuisse superstitem: sociumque eius, qui una mittebatur, in pugnam profectum oppetiisse.

231. Lacedaemonem igitur regressus Aristodemus probro et ignominia notatus est: qualia quum exciperet, erat infamis, neque eum quisquam Spartiatarum igni aut alloquio impertivit: et ignominiam subibat Aristodemus fugax appellatus. Verum hic omnem sibi obiectam culpam in pugna apud Plataeas gesta delevit.

232. Fertur item alius ex eisdem trecentis superfuisse, in Thessaliam pro nuncio missus, cui nomen erat Pantitae: sed Spartam reversus, quum opprobrium esset, sese strangulasse.

233. Thebani autem, quorum dux erat Leontiades, hactenus vi retenti a partibus Graecorum dimicaverunt adversus regis copias; at ubi res Persarum superiores esse animadverterunt, ibi a Graecis cum Leonida ad tumulum ire properantibus se dissociantes, manus ad barbaros protenderunt, ad eosque propius accesserunt, referentes, quod verissimum erat, sese cum Medis sentire, terramque et aquam regi inter primos dedisse: at vi coactos ad Thermopylas venisse, et a culpa cladis regi illatae abesse. Haec allegantes, quorum etiam Thessalos testes habebant, servati sunt: non tamen omnia fortunati fuerunt: nam barbari qui eos illuc progressos cepere, aliquos horum ut accedebant etiam obtruncaverunt; pluribus, iussu Xerxis, regias notas inusserunt, a duce Leontiade exorsi: cuius filium Eurymachum postea Plataeenses, quadringentorum Thebanorum ducem, quum urbem ipsorum teneret, interemere.

234. Hunc quidem in modum Graeci ad Thermopylas dimicaverunt. Xerxes autem accitum Demaratum interrogavit, hinc orsus, Demarate, virum te bonum esse indicio veritatis experior; quae enim dixisti, ea omnia perinde evenere: nunc hoc mihi pandito, Quotnam sunt reliqui Lacedaemonii, quotve eorum tales in re bellica? an et universi? Cui Demaratus, Mul-

titudo, rex, inquit, Lacedaemoniorum omnium magna est, et civitates multae. Quod autem dicere vis, scies: Est enim in Lacedaemone urbs Sparta octo millium ferme virorum, qui omnes iis qui hic pugnavere sunt similes; ceteri Lacedaemonii, non illis quidem similes, sed tamen strenui. Ad hunc Xerxes, Demarate, inquit, agedum expone quo pacto hos viros minimo cum labore subigamus: tu namque calles quo tendant eorum consilia, utpote quorum rex fuisti.

235. Cui Demaratus; Quum, inquit, me, O rex, libenter consulas, aequum est me tibi expromere, quod sit optimum; nempe, si trecentas naves ex navali copia in oram Lacedaemoniam mittas; adiacet autem illi insula nomine Cythera: quam obrui mari quam extare conducibilius esse Spartiatis Chilon aiebat, vir abud nos sapientissimus: videlicet exceptans semper ab ea aliquid tale futurum: quale nunc ego expono; non ille quidem tuam classem praevidens sed quamcunque similiter extimescens. Ex hac igitur insula exorti tui Lacaedaemonios territent. Ita illi ex vicino nacti domesticum bellum; nihil tibi erunt timendi, ne ceterae Graeciae, quum a tuis pedestribus copiis expugnatur, auxilia ferant: subacta autem reliqua Graecia, Laconica sola iam linquitur invalida. Quod nisi feceris, hoc fore expecta: Est Peloponnesi arctus isthmus, quo in loco Peloponnensibus omnibus adversum te coniuratis, alia tibi proelia superioribus atrociora futura expecta. At si illud feceris, citra proelium est isthmus hic et civitates tibi sedeent.

236. Post hunc Achaemenes, Xerxis frater, classis praefectus, quum ei colloquio interesset, veritus ne Xerxes ad id agendum induceretur, Animadverto, inquit, te, o rex, verba admittere viri, qui tibi prospere agenti invidet, aut etiam res tuas prodit. His enim moribus uti Graeci gaudent, ut et fortunato invideant et meliorem oderint: Quod si e praesenti conditione, quum naves quadringentae naufragium fecerint, trecentas alias e cetera classe miseris ad obeundam Peloponnesum, fiunt nobis adversarii pares ad decertandum: at si coniuncta classis fuerit, inoppugnabilis illis reddetur, et omnino nobis illi impares erunt: simulque omnis exercitus nauticus terrestri, et invicem terrestris, una iter faciens, nautico erit auxilio. Quos si distraxeris, neque tu illis usui eris, neque illi tibi: sed tua ipsius bene constituens animo age, ut adversariorum res non perpendas, vel ubi

bellum gesturi sint, vel quae acturi, vel quot numero sint. Illi enim soli ad sibi ipsis prospiciendum sufficiunt, et nos itidem ad consulendum nobis. Quod si Lacedaemonii adversus Persas in pugnam ibunt, praesens hoc vulnus minime sanabunt.

237. Ad haec subiiciens Xerxes, Recte, inquit, Achaemenes, mihi videris dicere: quae et faciam. Demaratus, quod optimum ille quidem mihi sperat esse, id suadet: eius tamen sententia a tua superatur. Neque enim illud admitto, eum nolle rebus meis bene consultum, ut ex iis, que antea ab eo dicta sunt, et ex ipsare coniecto. Quoniam civis quidem civi secundis rebus praedito invidet, et in taciturnitate eum male odit: neque quidquam civi consultanti, vir civis, quae optima sibi videntur, suadeat; nisi prope accesserit ad virtutem, quales pauci sunt. Hospes autem hospiti prospera fortuna utenti, omnium est benevolentissimus, eique consultanti optima consulerit. Quapropter ab insectatione in Demaratum, quum sit hospes mihi, posthac abstinere iubeo.

238. Haec Xerxes loquutus, inter caesos transiit, et praeter Leonidem: quem quum audisset Lacedaemoniorum regem eundemque ducem fuisse, iussit, postquam abcidissent caput, in crucem tolli. Et mihi cum hoc non minimo factum fuit manifestum, regem Xerxem maxime omnium excanduisse in Leonidem viventem: nam alioqui nunquam in defunctum hoc genere deliquisset; quum ex omnibus, quos ego novi, hominibus, Persae maxime soleant viros in re militari praestantes honore afficere.

239. Illi igitur quibus imperatum erat, id exsequuti sunt. Redeo ad eam narrationem unde antea defecit. Lacedaemonii primi regem adversus Graeciam tendere perceperunt, atque ita Delphos ad oraculum miserunt: ubi responsum est id redditum, cuius paulo ante memini. Perceperunt autem miro modo. Demaratus enim Aristonis filius, qui profugit ad Medos, non ille erat Lacedaemoniis benevolus, ut ego quidem arbitror, et ratio mecum militat, tamen hoc fecit, sive in hoc bene illis consultum vellet, ut coniectare licet, sive quod insultaret. Nam posteaquam Xerxes statuit adversus Graeciam sumere expeditionem, id Demaratus qui Susis erat, quum accepisset, censuit Lacedaemoniis esse indicandum: sed quum aliter nequiret, quippe periculosum erat, ne deprehenderetur, hanc

rem commentus est. Sumptis duplicium paginarum pugillaribus, ceram illinc eradit: deinde in eorum ligno consilium regis exarat: quod litteris exaratum, rursus cera inducit, nequid negotii apud viarum custodes exhiberent pugillares vacui, qui ferrentur. Sed et ubi Lacedaemonem atlati sunt, non poterant Lacedaemonii coniectura adsequi, antequam, ut ego accipio, Cleomenis filia, eademque Leonidae uxor, Gorgo, illos edocuit sola ipsa, quum excogitavisset iubens ceram erudi: fore enim ut litteras in ligno reperirent. Ita ei auscultantes litteras repertas legerunt, easque deinde ad alios Graecos miserunt.

HERODOTI

HALICARNASSEI HISTORIARUM

LIBER OCTAVUS,

QUI INSCRIBITUR

URANIA.

Atque haec quidem ita gesta dicuntur esse. Graeci autem quibus res navalis delegata erat; hi fuere. Athenienses, qui naves centum et septem viginti praebuere; sed quas virtute et promptitudine stimulante, Plataeenses rei nauticae inexperti propugnatoribus instruxerunt. Corinthii, qui attulere naves quadraginta: Megarenses, qui viginti. Chalcidenses totidem sibi ab Atheniensibus praebitas armaverunt: Aeginetae duodeviginti: Sicyonii duodecim, Lacedaemonii, decem; Epidaurii, octo; Eretrienses, septem; Troezenii, quinque, Stryreenses, duas: Cei, totidem navigiis quinquagenum remorum. Quibus auxiliares erant Locri Opuntii cum septem navibus L. remorum.

2. Hae naves ad Artemisium in statione erant: quarum quot quique praebuerint, a me dictum est. Universarum vero praeter naves L. remorum, ad Artemisium coactarum, numerus fuit ducentarum septuaginta unius. His ducem, penes quem summa imperii esset, Spartiatae praebuerunt Eurybiadem Euryclidae filium. Nam socii negaverunt se, nisi Lacon esset imperator, sequuturos esse Athenienses ductores, sed exercitum, qui futura erat, soluturos.

3. Etenim iam inde ab initio, antequam in Siciliam ad societatem ineundam mitteretur, agitatum sermone erat, tanquam expediret rem nauticam Atheniensibus permittere: ceterum recusantibus sociis, cessere Athenienses, quod magni facerent Graeciam superesse; quam intelligebant esse perituram, si de ducatu contenderent; recte sentientes. Nam intestina seditio tanto deterior est bello, quod concorditer geritur, quanto bel-

lum pace! Hoc itaque ipsum intelligentes, non repugnaverunt, sed cesserunt, usquedum magnopere illis indigebant, quemadmodum ostenderunt. Siquidem posteaquam expulso Persa iam de illius terra certabant, superbiam Pausaniae causati, Lacedaemonios ducatu abdicaverunt. Verum haec posterius gesta sunt.

4. Tunc autem ii Graeci, qui ad Artemisium se contulerant, ubi viderunt et multum navium ad Aphetas esse contractum, et omnia plena militum, perculsi metu quod praeter opinionem suam expectationemque res barbarorum succederent, consultabant de facienda fuga ex Artemisio intus in Graeciam. Quorum consultatione cognita, Euboeenses obsecrabant Eurybiadem ut exiguum temporis praestolaretur, usquedum ipsi liberos atque domesticos subducerent. Ubi non persuadent, ad ducem Atheniensium Themistoclem transgressi, paciscuntur cum eo triginta talentis, ut manentes ante Euboeam pugna navali decreturi essent.

5. Themistocles autem hac ratione Graecos retinuit. Euribiadae ex hac pecunia, quinque talenta impertit, tanquam de suo donans scilicet: hoc persuaso, Adimantum Ocyti filium Corinthium ducem, qui solus reluctabatur negans se permansurum, sed ab Artemisio profecturum, ita alloquutus est iureiurando interposito; Tu vero nos non deseres quem ego maioribus donabo muneribus quam quae rex Medorum tibi mitteret socios deserenti. Haec loquutus, statim ad navem Adimanti tria misit argenti talenta. Istis donis icti obtemperabant, et Euboeensibus gratificatus est. Sed et Themistocles lucratus est et clam reliqua tenuit: sed qui partem illius acceperant, putabant eam ab Atheniensibus ad hoc ipsum profectam esse.

6. Ita in Euboea perstitere, ac proelium mari fecere, quod ita gestum est. Barbari ad Aphetas circa diluculum progressi, quum etiam ante audivissent paucas Graecas naves ad Artemisium stationem habere: tunc autem ipsi cernentes cupidine tenebantur aggrediendi, si forte eas interciperent. Ceterum ex adverso invadendum ideo non videbatur, ne Graeci, conspectis ipsis obviam tendentibus, fugam capesserent: noxque fugientes exciperet, atque ita eventurum esset, ut hi scilicet effugerent: at illorum, prout iactabant Persae, ne ignifer quidem evadere debebat.

7. Igitur ad eam rem hoc sunt machinati; Ducentas ex omnibus delectas extra Sciathum circummittunt, ne circumvehentes Euboeam ab hoste cer-

nerentur prope Capharea et circa Geraestum ad Euripum, ut sic circumdarent, illi quidem huc tendentes, et viam quae retro ferebat obsepientes ipsi vero ex adverso ingruentes. Hoc capto consilio quas constituerant naves miserunt, habentes in animo ipsi eo die Graecos adoriri, nec priusquam signum ab illis, qui circumvehebantur, ederetur iam de suo adventu. His circummissis navibus reliquarum apud Aphetas numerum inibant.

8. In quibus recensendis dum occupati sunt, Scyllias quidam Scionaeus, qui iisdem in castris erat, omnium eius tempestatis hominum optimus urinator, qui etiam in naufragio ad Pelium facto multam pecuniam Persis servavit, multa et sibi lucratus est. Hic Scyllias iampridem in animo habuerat ad Graecos transire, sed quum ad eam diem non fuisset nactus occasionem, tunc ad Graecos transfugit. Sed incertum quonam modo illuc transierit: demiror tamen si vera sunt quae referuntur. Fama est enim quum ex Aphetis mare subiisset non prius emersisse quam ad Artemisium pervenit, octoginta ferme illa stadia per mare emensus. De hoc viro et alia memorantur, partim mendaciis similia, partim vera: dequo mihi ea probatur opinio; eum navigio ad Artemisium pervenisse. Is ubi eo pervenit, duces certiores fecit et naufragii facti et navium ad circumeundam Euboeam dimissarum.

9. Hoc Graeci audito inter se colloquuti sunt: et quum multae essent sententiae, illa evicit, ut eum diem illic maneretur et in statione perstaretur; dehinc media nocte praeterita proficiscerentur, et classi hostrum quae circumageretur occurrerent. Post, ubi nemo se ex adverso fert, observato diei crepusculo ipsi feruntur in barbaros, animo experiundae fortunae cum in pugnando, tum in perrumpendo.

10. Quos Xerxiani milites ducesque paucis cum navibus venientes in se conspicati, magnae hoc illis dementiae dantes, et ipsi naves educunt, sperantes facile se illos ire interceptum: merito sane id sperantes, quod viderent paucas Graecorum naves, suas vero multo plures atque velociores: itaque prae contemptu illos in medio concludunt. Ex Ionibus tamen illi: qui Graecis bene volebant, inviti militabant, magnae calamitatis loco ducentes quod viderent circumveniri illos, quorum neminem animadverterent esse rediturum; adeo infirmae res Graecorum esse illis videbantur. At ii, quibus id quod fiebat voluptati erat, pro se quisque annitebantur

tur, ut ipse primus aliqua navi Atheniensium capta, dona ab rege acciperet. Nam apud exercitum plurimus erat per hos de Atheniensibus sermo atque respectus.

11. Graeci, ubi eis signum datum est, primum conversis in barbaros proris, puppes in medium coëgerunt; deinde secundo signo dato; opus capessunt, quanquam in exiguo spatio deprehensi et a fronte: mox triginta babarorum naves capiunt, inquibus et Philaonem Chersis filium, Gorgi Salaminiorum regis germanum, et in eo exercitu virum eximium. Graecorum autem primus navem hostium cepit vir Atheniensis Lycomedes Aeschreae filius; idemque palmam rei bene gestae retulit. In hac pugna quum invicem nunc hi, nunc illi superiores essent, interventu noctis dirempti sunt: et Graeci quidem ad Artemisium avecti, barbari vero ad Aphetas: multo maius opinione sua certamem experti. In hoc proelio, solus e Graecis, qui cum rege erant, Antidorus Lemnius ad Graecos transfugit; quem Athenienses ob eam rem loco in Salamine donarunt.

12. Ubi nox adfuit, erat autem anni tempus mediae aestatis, immensa vis aquarum exstitit per totam noctem, et dira tonitrua a Pelio. Cadavera quoque ac naufragia ad Aphetas offerebantur, et circa navium proras volvebantur, et remorum palmulas derturbabant. Haec audientes qui illic erant milites, metu consternabantur, credentes se esse utique perituros, ut qui in tantum malorum devenissent: quippe quos, antequam respirassent e naufragio et tempestate, quae ad Pelion extiterat, excepisset atrox pugna navalis, ex pugna navali vehemens imber et validi in mare fluxus ruentes, ac dira tonitrua. Et istis quidem huiusmodi nox contigit.

13. At iis quibus negotium datum erat, ut Euboeam circumirent, eadem sane illa nox, etiam multo atrocior erat: tanto quidem, quanto maius est quod eos dum in pelago ferrentur invasit, adeo ut tristis exitus fuerit. Ut enim eos cursum tenentes tempestas ac pluvia adorta est, quum essent ad Coela Euboeae, ac flatu ferrentur, ignari quo ferrentur, ad petras impingebantur. Et omne a deo fiebat, quo Graecae classi par redderetur id navium Persicarum quod supererat, nec multo plus foret. Atque hi quidem circa Euboeae Coela periere.

14. Barbari vero qui apud Aphetas erant, ubi ipsis libentibus dies illuxit, naves tenebant tranquillas, satis

habentes, quum male agerent, quietem captare in praesens: At Graecis auxilio tres et quinquaginta naves Atticae supervenere: quae suo adventu illos corroboraverunt et simul nuncius allatus, eos barbaros qui Euboeam circum vehebantur tempestate illa, quae extiterat, cunctos interiisse. Itaque Graeci eadem observata hora profecti, naves Cilissas invasere. Quas ubi corrupere, et nox advenit, iterum se ad Artemisium receperunt.

15. Tertio die barbarorum duces, tum indigne ferentes naves tam paucas ipsis insultare, tum a Xerxe supplicium timentes, non expectarunt amplius, ut Graeci priores pugnam capesserent, sed cohortati sese naves circa meridiem eduxerunt. Contigit autem, ut per eosdem dies et haec navalia proelia et illa in Thermopylis terrestria gererentur. Erat autem omne certamen his in mari de Euripo, quemamodum illis, qui cum Leonide erant, de transitu custodiendo: et Graeci quidem sese adhortabantur, ne barbaros intrare Graeciam sinerent; barbari vero: ut Graecorum copiis profligatis, transitu potirentur.

16. Procedente autem Xerxianorum classe in aciem ordinata, dum Graeci se apud Artemisium immotos tenerent: tunc eos barbari, ut comprehenderent, lunata classe circumdabant. Ibi Graeci ex adverso prodeuntes conflixere. Qua in pugna pari marte pugnatum est: nam Xerxiana classis prae magnitudine et copia sua in se incidebat, perturbatis navibus et mutuo incursantibus: resistebat tamen neque cedebat. Indigna enim res videbatur, a paucis navibus in fugam converti. Itaque multae Graecorum naves interibant, multi etiam viri, sed multo plures barbarorum et naves et viri: atque ita dimicantes utrique ab alteris abscessere.

17. Hoc in proelio Xerxianos inter milites optimam Aegyptii navaverunt operam, cum aliis magnis editis operibus, tum hoc, quod quinque Graecas naves cum viris omnibus cepere. E Graecis autem eo die praestantissimi extitere Athenienses, et inter Athenienses, Clinias Alcibiadis filius; qui domestico sumptu ac propria navi cum ducentis viris militabat.

18. Ubi utrique libenter in diversum abiere, ad stationem festinabant, Graeci autem dirempto proelio revecti, etsi caesorum corporibus ac naufragiis potiebantur: tamen quod aspere vexati essent, praecipueque Athenienses, quorum dimidium navium vulneratum erat de fugiendo interius in Graeciam deliberabant.

19. Themistocles, reputans si ab viribus barbaricis abduceret Iones et Cares, fieri posse ut reliquos superarent; dum Euboeenses pecora ad mare propellunt, huc duces contraxit, eisque dixit se viam quandam habere, qua speraret optimos sociorum ab rege abductum iri. Hactenus rem enudavit, addiditque in rebus praesentibus hoc ab illis agendum esse, ut Euboicorum pecorum quantum vellet quisque mactaret; satius enim esse suos milites potiri quam hostem. Ac monuit ut suis quique popularibus praeciperent ignem accendere; sibi autem de discessu tempus curae fore, ut sine noxa abirent in Graeciam. Hoc illis probatum quum esset, accensis ignibus ad pecora est itum.

20. Nam Euboeenses, contempto Bacidis oraculo, tanquam nihil dicente, neque exportaverant quicquam, neque importaverant, velut impendente eis bello, et res sibi quoque ipsis ambiguas effecerant: ita enim habebat de his oraculum Bacidis:

> Dum juga barbaricus canabacea jactat in aequor,
> Euboea caprae mecentes fac procul absint.

His versibus quum nihil illi uterentur in malis, quae tum aderant, tum impendebant, debebat fieri ut maxima calamitate afficerentur.

21. Dum haec isti agebant, advenit ex Trachine speculator: nam erat apud Artemisium speculatur Polyas, genere Anticyrensis, cui datum erat negotium, et habebat expeditum et remis instructum navigium, si copiae navales conflixissent, ut renunciaret iis, qui apud Thermopylas erant. Similiter Abronychus Lysiclis filius Atheniensis apud Leonidem erat paratus cum triginta remorum navigio ad nunciandum iis, qui ad Artemisium agebant, si quid novi pedestribus copiis contigisset. Hic igitur Abronychus adveniens, indicavit ea quae circa Leonidem et eius exercitum gesta erant. Qua isti re audita non iam sibi differendum abitum putaverunt: sed ut quique locati erant, abscesserunt; primi Corinthii, postremi Athenienses.

22. Quorum Atheniensium velocissimis navibus delectis, Themistocles ad aquas potabiles se conferens, in lapidibus litteras incidebat; quas postero die Iones ad Artemisium venientes legerunt, in haec verba: Viri Iones, haud iuste facitis, militantes adversus patres, et Graeciam redigentes in servitutem. Sed maxime quidem state a nobis: sin hoc facere non potestis, at vos altem et nunc e medio nobis vos subducite, et ipsi et

Cares, ut eadem vobis faciant, obsecrate. Quod si horum neutrum fieri potest, et maiori necessitate estis obstricti, quam ut possitis desciscere, utique vos in re gerenda, dum pugnam conseremus, tergiversamini, memores a nobis vos esse oriundos, et inimicitiarum nobis cum barbaro principium a vobis exstitisse. Haec Themistocles, ut arbitror, duplici consilio scripsit, ut si litterae regem laterent, Iones induceret ad deficiendum a rege ad se; sin ad eum deferrentur, darenturque crimini, infidos eidem redderet Iones, et a proeliis navalibus summoveret.

23. Postquam autem haec Themistocles inscripsit, extemplo vir Histiaeensis navigio advectus, barbaris nuncium attulit Graecos ab Artemisio profugisse. Illi homine, quod fidem non haberent, servari iusso, naves veloces ad rem explorandam miserunt: qua re per istas nunciata, prout erat, simulatque refulsit sol, omnis classis addensata ad Artemisium contendit: ubi ad meridiem usque immorata, mox ad Histiaeam processit. Eo appulsi, urbe Histiaeorum potiti sunt, et Hellopiae portionis, regionis autem Histiaeotidis maritimos vicos omnes incursaverunt.

24. Dum isti hoc in loco agunt, Xerxes praeparatis, quae volebat circa cadavera, praeconem ad classiarios mittit. Haec autem praeparaverat. Quicumque e suo exercitu apud Thermopylas caesi, erant autem viginti millia, eorum mille ferme relictis, ceteros depressis fossis humavit: et ne a classiario exercitu cerni possent, foliisque constravit, et humum aggeravit. Praeco ubi ad Histiaeam transiit, facto totius exercitus coetu, haec dixit, viri socii, rex Xerxes dat veniam cuicunque libet relictis ordinibus ire visum, quemadmodum pugnet cum amentibus hominibus, qui se superaturos speraverant copias regis.

25. Haec denunciante praecone, mox nihil infrequentius fuit navigiis: ita multi visere cupiebant. Illuc transvecti et transeuntes cernebant cadavera. Cuncti vero sciebant omnes Lacedaemonios esse ac Thespienses, qui iacebant, quum etiam hilotas cernerent. Itaque eos qui transmisere non latuit Xerxes, qui circa suorum cadavera id fecisset. Etenim erat res profecto etiam ridicula, ut illorum quidem mille iacentes occisi extarent, isti vero omnes conferti eundem in locum quater milleni comportati essent. Atque hunc quidem diem in spectaculo consumpserunt: postero autem classiarii Histiaeam

ad classem remeaverunt. Xerxes et qui cum eo erant, iter ingressi sunt.

26. Verum ad hos pauci quidam ab Arcadia perfugae venerunt, victus inopes, et operam suam praestare cupientes: qui in conspectum regis adducti, interrogatique cum ab aliis Persis, tum vero praecipue a quodam, de Graecis, quae agerent, responderunt eos agere Olympia, et spectare certamen gymnicum atque equestre. Rursus eodem percontante quodnam illis praemium esset propositum propter quod certarent, oleaginam coronam inquiunt esse qua donarentur. Ibi Tritantaechmes Artabani filius generosissimam quum dixisset sententiam, a rege pro timido est habitus. Audiens enim praemium coronam esse, non pecunias, silentium tenere non potuit quin coram omnibus diceret, Papae Mardoni, in quos viros induxiisti nos ad pugnandum? qui non pecuniarum certamen agitant, sed virtutis?

27. Haec ab illo dicebantur. Eo intenim tempore post acceptam apud Thermopylas calamitatem confestim Thessali caduceatorem ad Phocenses mittunt, utpote iis infensi, cum semper antea, tum praecipue post novissimam cladem Quippe non multis ante hanc regis expeditionem annis, quum ipsi Thessali omni cum copia et eorum socii aggressi essent Phocenses, a Phocensibus fugati sunt aspereque vexati. Etenim quum ad Parnassum conclusi essent, Phocenses habentes Telliam faticinum Eleum, ibi Tellias hic huiusmodi rem eis commentus est. Sexcentos viros e Phocensibus praestantissimos gypso tam ipsos quam arma illinit, eosque sub noctem in Thessalos immisit, dato praecepto ut quemcunque non albicantem cernerent, eum obtruncarent. Hos primi Thessalorum excubitores, aliud quoddam prodigium esse arbitrati, et post has excubias ipse exercitus adeo exhorruerunt, ut quatuor millibus caesorum atque scutorum Phocenses potiti sunt, quorum scutorum dimidium apud Abas, reliqua apud Delphos dedicaverunt: et ex decimis pecuniarum huius pugnae factae sunt statuae grandes, quae circa tripodem e regione delubri Delphis visuntur; et alterae eiusmodi in Abis repositae.

28. Haec Phocenses in peditatum Thessalorum, a quibus obsidebantur, egerunt: equitatum quoque eorundem, qui in suum agrum incursaverat, insanabili clade afflixerunt: ad ingressum enim qui est iuxta Hyampolim, depressa istic ingenti fossa, amphoras inanes

in ea deposuerunt, humumque desuper iniecerunt, eamque reliquo solo exaequaverunt: atque ibi Thessalos exceperunt incurrentes. Thessali impetu sumpto, tanquam eos rapturi, in amphoras inciderunt, ibique equorum crura corrupta sunt.

29. Ob haec ambo Phocensibus infensi Thessali, misso caduceatore ita dixere, O Phocenses nunc aliquid amplius resipiscentes agnoscite non esse vos nobis pares; qui et antehaec inter Graecos, quandiu partes illorum nobis placuerunt, semper vobis antecelluimus et nunc apud barbarum adeo pollemus, ut penes nos sit et agro vos exui, et praeterea in servitutem redigi. Quam facultatem etsi obtinemus, tamen iniuriarum non sumus memores, nisi ut eo nomine quinquaginta talenta rependatis: et nos vobis recipimus, damna omnia nos ab agro vestro aversuros.

30. Haec Thessali Phocensibus denunciabant, quod soli Phocenses inter eius loci homines cum Medis non sentiebant; idque nulla alia causa, ut ego coniectura comperio, quam Thessalorum odio; partes Medorum, ut mihi videtur, sequuturi, si Thessali partes Graecorum fuissent. Haec deferentibus Thessalis, negarunt se Phocenses pecuniam daturos; et sibi itidem, ut Thessalis facultatem esse sentiendi cum Medis, aliter sentire vellent: sed nequaquam fore ut sponte proditares Graeciae.

31. His verbis renunciatis ita Thessali irritati in Phocenses barbaro duces itineris exstiterunt, et ex Trachinia Doridem uegionem incursaverunt: nam eius regionis limes angustus illuc triginta non amplius stadia in latum pertinet, inter Meliadem ac Phocensem regionem situs, quae olim Dryopis erat. Haec autem regio, Doriensium qui sunt in Peloponneso, metropolis est. Hanc igitur Doridem regionem ingressi barbari nihil laeserunt; cum Medis enim, etsi Thessalis non videbatur, sentiebant.

32. Posteaquam autem e Doride in Phocidem ingressi sunt barbari, ipsos quidem Phocenses non sunt adepti: eorum enim nonnulli cacumina Parnassi conscenderant; et est vertex Parnassi iuxta urbem Neonem situs, nomine Tithorea, in se aptus turbae capiendae, in quam aut vecti erant, aut ipsi ascenderant: sed plures ed Locros Ozolas exierant in urbem Amphissam, quae supra Crisaeum sita est campum. At barbari omnem agrum Phocensem incursaverunt: sic enim ducebant exercitum Thessali; et omnia quae

nacti sunt, igni ferroque vastarunt, in urbes etiam et sacras aedes igne iniecto.

33. Nam peragrantes Phocidem iuxta Cephissum amnem, cuncta populati sunt, et hinc urbem Drymon incenderunt, illinc Charadram et Erochum et Tethronium et Amphicaeam et Neonem et Pedieas et Trteas et Elateam et Hyampolin et Parapotamios, et Abas: ubi delubrum Apollinis erat locuples et thesauris donariisque compluribus exornatum; ubi etiam tunc erat, sicut nunc quoque est oraculum. Hoc delubrum posteaquam diripuere, incenderunt. Phocensium etiam quosdam ad montana insequuti ceperunt, et mulieres aliquot, prae multitudine stuprantium exstinxerunt.

34. Praetergressi quoque Parapotamios, pervenere ad Panopeas. Inde copiae delectu habito divisae fuerunt: quarum plurima pars ac validissima cum ipso Xerxe Athenas versus tendens in Boeotos, in agrum Orchomeniorum ingressa est. Boeoti autem cum Medis universi sentiebant: quorum urbes viri Macedones in eis collocati, qui ab Alexandro missi fuerant, servaverunt, volentes planum facere Xerxi Boeotos sentire cum Medis. Et hi quidem barbari hac iter intenderunt.

35. Ceteri vero commissi ducibus Parnassum a dextra praestringentes, ad templum quod est Delphis processerunt; quicquid agri Phocensis etiam ei nanciscebantur, id omne foedantes: nam et Panopensium oppidum incenderunt, et Dauliorum, et Aeolidarum. Ideo autem hac ab aliis seiuncti pergebant, ut direpto quod Delphis est templo, pecunias monstrarent Xerxi regi: qui omnia quae in eo templo erant memoratu digna, melius notat, ut ego audio, quam quae in aedibus suis reliquerat; permultis assidue referentibus cum alia, tum praecipue Croesi Halyattis filii donaria.

36. Hoc Delphi quum audissent, in extremam prorsus devenere formidinem: qua attoniti, deum de sacris opibus consultarunt, numquid eas humi defoderent, an alium in locum transportarent. Et deus illis interdixit, ne moverent: se enim idoneum esse, qui rebus suis praesideret. His auditis Delphi de semet ipsis curandum putaverunt, liberis uxoribusque in Achaiam traiectis. Ipsorum plerique quidem vertices Parnassi superaverunt, et ad Corycium antrum delati sunt; quidam ad Amphissam Locridem se subduxerunt. Ita omnes Delphi urbem deseruerunt, praeter sexaginta viros, ac prophetam.

37. Postea vero quam barbari subeuntes appropinquabant, templumque cernebant, interim propheta cui nomen erat Aceratus, aspicit ante delubrum sacra arma proposita e penetrali, ab intus exprompta, quae nefas erat cuiquam mortalium contingere: quod ostentum Delphis, qui aderant, perrexit nunciatum. Ubi autem barbari urgentes venere ad fanum Minervae, quod est ante templum, tum vero etiam maiora quam superius prodigia illis exhibita sunt. Nam et res haec profecto valde miranda est, arma Martia sua sponte extra delubrum proposita apparuisse. Quod tamen secundo loco evenit, ex omnibus miraculis maxima est admiratione dignum: quum enim barbari ad sacellum Minervae, quod est ante templum, accederent, interea e coelo fulmina in eos deciderunt; et a Parnasso duo abscissi vertices, magno cum fragore sunt devoluti, permultosque eorum interceperunt: atque ex ipso sacello Minervae vociferatio iubilatioque exstiterunt.

38. Quibus omnibus pariter ingruentibus, terror incussus est barbaris, ut fugae se mandarent. Ea re cognita Delphi descendentes magnam eorum stragem edidere. Qui autem superfuere, recta ad Boeotos fugerunt: et qui ex eis redierunt, referebant, ut ego accipio, se praeter ista etiam vidisse alia divina, duos armatos, humana natura augustiores, institisse sibi, caedem facientes atque insequentes.

39. Hos autem duos Delphi aiunt indigenas heroas esse Phylacum et Autonoum, quorum fana exstant circa sacellum: Phylaci quidem, secundum ipsam viam super aedem Minervae: Autonoi vero, prope Castaliam, sub Hyampeo vertice. Saxa autem quae a Parnasso deciderunt, adhuc ad nostram usque memoriam salva erant in fano Minervae Protemplaris locata, ad quod per barbaros devoluta pervenere. Atque hic discessus a templo horum virorum fuit.

40. Graecorum autem classis ab Artemisio profecta, rogatu Atheniensium ad Salaminem substitit. Quod ut facerent ideo rogaverant Athenienses, tum ut liberos atque uxores ex Attica subducerent, tum ut consultarent quid sibi agendum esset. Nam pro rebus quae contigerant, consilium capturi erant, tanquam opinione frustrati: quippe qui quum putassent, inventuros se Peloponnenses communiter ad accipiendum barbarum in Boeotia subsidentes, horum nihil invenerant, sed audiebant illos Isthmum ad Peloponnesum muro sepire, hoc plurimi facientes ut ipsi superessent, et istam obtinentes tutarentur,

omissis ceteris. Haec Athenienses quum audissent, ita socios obsecrarunt, ut ad Salaminem sisterent classem.

41. Quo aliis appulsis, Athenienses in terram suam profecti, praeconio edixerunt, ut qua quisque Atheniensium ratione posset servaret liberos atque domesticos. Ibi plurimi quidem Troezenem miserunt, quidam in Aeginam, nonnulli in Salaminem, pro se quisque properantes sui pignora exportare, et quod oraculo vellent obsecundare, quod Athenienses aiunt ingentem anguem arcis custodem in templo solitum obversari. Haec et dicunt, et tanquam re vera esset, serpenti menstrua non cessant libamina proponere. Ee menstrua sunt placenta melle condita: quae quum semper superioribus temporibus depasceretur, tunc illibata manserat. Id quum templi antistita indicasset, eo magis Athenienses eoque promptius deseruere urbem, tanquam a dea etiam destituta arce: exportatis itaque rebus omnibus, ad castra navigaverunt.

42. Posteaquam autem eos, qui ab Artemisio solverunt ad Salminem substitisse auditum fuit, reliqui classiarii qui ad Troezenem erant, eodem confluxere: nam ut in Pognem Troezeniorum portum coiretur erat edictum: ita multo plures contractae sunt naves quam ad Artemisium decertaverant, et a pluribus civitatibus. eodem quo ad Artemisium duce, Eurybiade Euryclidae filio, viro Spartiata, non tamen e genere regio: quarum multo plurimas atque optime navigantes praebebant Athenienses.

43. Quae classis ex his constabat: Ex Peloponneso Lacedaemonii sedecim naves praestabant: Corinthii, totidem quod ad Artemisium praestiterant: Sicyonii, quindecim: Epidaurii, decem: Troezenii, quinque: Hermionensas, tres. Hi Doricae ac Macedonae gentis, Hermionensibus exceptis, ex Erineo et Pindo et Dryopide novissime profecti: nam Hermionenses Dryopes sunt, ab Hercule et Meliensibus e regione, quae Doris nunc vocatur, abducti. Hae copiae Peloponnensium erant Hi sunt in exteriore continente.

44. Athenienses quidem pares omnibus aliis, praestabant naves centum octoginta soli; quippe quibus non adfuerunt in pugna ad Salaminem gesta Plataeenses, ob hanc causam: quod quum Graeci ab Artemisio discesserunt; ubi iuxta Chalcidem appulsi fuere, Plataeenses escendentes in oppositam oram Boeotiae, ad exportandos domesticos conversi sunt: ita dum in suis conservandis occupantur, relicti fuere. Athenienses autem sub

Pelasgis eam quae nunc Graecia nuncupatur tenentibus, Pelasgi erant, Cranai nominati; sub rege autem Cecrope, Cecropidae sunt vocati; Erechtheo autem adepto imperium, immutato nomine Athenienses appellati: deinde Iones, ab Ione Xuthi filio, qui dux exstitit Atheniensis exercitus.

45. Megarenses autem tantundem copiarum, quantum ad Artemisium, attulerunt: Ampraciotae septem cum navibus auxilio venerunt: Leucadii cum tribus, Dorica gens, et a Corinthó oriunda.

46. Ex insulanis autem Aeginetae triginta naves exhibuerunt: quibus aliae quoque erant naves instructae, sed iis oram suam tutabantur: verum cum triginta omnino navibus ad navigationem optimis ad Salaminem dimicaverunt. Sunt autem Aeginetae Dorienses, ab Epidauro; cui insulae nomen antea fuerat Oenone. Post Aeginetas easdem, quas ad Artemisium, viginti naves praebuere Chalcidenses: et Eretrienses, septem: hi Iones sunt. Dehinc autem Cei easdem praebuere, gens ab Athenis Ionica. Naxii autem naves praebuere quatuor, qui quemadmodum et ceteri insulani, a popularibus ad Medos missi errant, sed illorum iussa aspernati, transiere ad Graecos, suasu Democriti, viri inter cives illustris, et tunc trierarchi. Naxii autem Iones sunt ab Athenis ducentes originem. Styreenses quoque easdem quas in Artemisio naves praebuere. Cythnii unam omnino, et penteconterum: horum utrique Dryopes sunt. Seriphii etiam et Siphnii et Melii fuere in partibus: hi enim soli ex insulanis terram barbaro et aquam negaverunt.

47. Intra Thesprotos isti omnes et amnem Acherontem incolentes militabant. Siquidem Thesproti sunt contermini Ampraciotis ac Leucadiis, ex ultimis regionibus in militiam profectis. Eorum autem qui extra hos habitant, soli fuere Crotoniatae, qui Graeciae periclitanti auxilium una navi tulere, cui praeerat Phayllus vir ter Pythiorum victor. Sunt autem Crotoniatae genere Achaei.

48. Et ceteri quidem ex hac classe triremes praebuerunt: Melii autem et Siphnii et Seriphii quinquaginta remorum naves, Melii duas, Siphnii Seriphiique unam utrique: Melii, a Lacedaemone genus ducentes; Siphnii et Seriphii, ab Athenis Iones. Summa navium, praeter illas quinquaginta remorum, fuit trecentae septuaginta octo.

49. Ut vero duces ex iis quas dixi urbibus ad Salaminem convenerunt, consultabatur: Eurybiade referente: ut qui vellet sententiam diceret: ubinam ex iis locis, quibus ipsi potirentur, commodissimum videretur pugna navali decernere: iam enim Attica pro derelicta erat, itaque de ceteris deliberabatur. Pleraeque igitur illorum sententiae in hoc congruebant, ut profecti ad Isthmum ante Peloponnesum decretarent, hac videlicet ratione, quod si male pugnassent, ad Salaminem quidem, obsessis sibi in insula nullum subsidium ostendebatur, ad Isthmum vero dabatur ad suos effugium.

50. Haec ratio quum a ducibus, qui ex Peloponneso erant, redderetur, advenit quidam Atheniensis nunciatum, iam Atticam barbarum ingredi, eamque omnem igne vastare: nam copiae quae cum Xerxe erant, Boeotiam peragrantes, incensa tum Thespiensium: qui in Peloponnesum abscesserant, tum Plataeensium urbe, Athenas pervenerant, et omnia illa pervastabant. Ideo autem Thespiam et Plataeam incenderunt, quod a Thebanis acceperant illas civitates non sentire cum Medis.

51. A traiectu autem Hellesponti ex quo iter ingredi coepere barbari unum mensem trivere transeundo in Europam, tres alios dum in Atticam pevenere, Calliade summum Athenis magistratum gerente; urbemque desertam cepere, paucis quibusdam Atheniensibus in templo repertis, nec non quaestoribus templi, et hominibus egenis, qui praesepta foribus atque lignis arce subeuntes arcebant: qui non exierant illinc ad Salaminem, simul prae inopia victus, simul opinione oraculi intellecti, quod reddiderat ipsis Pythia, murum ligneum inexpugnabilem fore: id interpretantes ex oraculo effugium esse, non naves.

52. Hos Persae, castris ex adverso arcis positis in colle, quem Martium collem Athenienses voaant, hunc in modum obsederunt: Sagittas stupa circumdatas ubi incenderant, emittebant in sepem. Athenienses, quanquam obsessi, et ad ultimum malorum deducti, etiam quum sepes prodidisset, tamen resistebant; ac ne verba quidem Pisistratidarum conditionem deditionis offerentium admittebant: et, cum alia ad repugnandum excogitarunt, tum vero hoc, quod in barbaros portis subeuntes devolvebant saxa molaria: adeo ut Xerxes perdiu inops consilii fuerit, quod eos expugnare non posset.

53. Tandem ex difficultatibus accessus quidem apparuit barbaris: necesse enim erat, secundum oraculum, omnem Atticam quae in continente est, subjici Persis.

Igitur a fronte arcis, a tergo autem portarum et ascensus, qua parte nemo credebat quempiam hominum ascensurum, hac parte, etsi loco praerupto, quidem ascenderunt, iuxta templum Aglauri filiae Cecropis. Quos ubi in arcem ascendisse viderunt Athenienses, partim e muro sese praecipitaverunt, atque extincti sunt, partim in aedem refugerunt. At Persae qui ascenderant, primum ad portas contendunt, eisque patefactis supplices trucidant: atque ubi omnium stragem fecerunt, direpto templo arcem totam incendunt.

54. Athenis omnino Xerxes potitus, equitem nuncium Susa mittit Artabano nunciaturum felicitatem praesentem. Postero die quam nuncium miserat, convocatis Atheniensium exulibus, expeditionis suae comitibus, iussit ut conscensa arce hostias suo ritu immolarent: sive ita iusserit ex aliquo in somniis visu, sive religio ei fuerit obiecta, quod templum concremasset. Exules Athenienses id quod iussi erant exequuti sunt.

55. Cuius rei cur mentionem fecerim exponam: Est in arce hac, Erechthei, qui fertur fuisse terrigena templum, in quo olea est et mare, ut apud Athenienses praedicatur, Neptuno et Minervae in testimonium posita, quod de regione decertassent. Hanc igitur oleam una cum cetero templo contigit barbaris exuri: quam Athenienses, qui ab rege iussi erant rem divinam facere, altero ab incensione die quum in templum ascendissent, aspexerunt fruticasse, edito a stipite virgulto cubiti instar.

56. Et haec quidem illi narraverunt. At Graeci qui apud Salaminem erant, ubi nunciatum est, uti res circa Atheniensium arcem se haberent, eo perturbationis devenere, ut nonnulli e ducibus non expectarent, dum propositum negotium constitueretur, sed in naves irruerent, ac vela tollerent tanquam profecturi: ceterique qui relinquebantur: statuerent sibi ante Isthmum proelio navali decernendum. Et quum nox adfuisset, digressi e concilio naves conscenderunt.

57. Ibi Themistoclem pergentem ad navem sciscitatur Mnesiphilus vir Atheniensis; quidnam ab ipsis decretum esset, et quum ab eo audisset decretum esse: ut ad Isthmum navigarent, et ante Peloponnesum dimicarent. Si isti, inquit, a Salamine proficiscantur, iam tu pro nulla adhuc patria dimicabis: ad suam enim quique patriam remeabunt: ut ne Euribiades, nec alius hominum quispiam illos cohibere possit, quominus copiae dilabantur Graeciaque peribit consilii inopia. Quare siquid com-

minisci potes, perge, et quae decreta sunt tenta disiicere, si forte possis Eurybiadem a sententia revocare, ut hic perstet.

58. Themistocles, quum haec admonita sibi admodum probarentur, nullo reddito responso ad Eurybiadae navem perrexit ubi hominem conveniens, ait velle se de negotio communi cum eo colloqui. Hunc ille in navem ingressum iubet loqui, quae vellet; cui Themistocles assidens, quaecunque a Mnesiphilo acceperat, tanquam a semetipso refert, et alia adiicit multa donec eum orando a sententia revocavit; persuasitque ut e navi prodiret, et duces ad concilium contraheret.

59. Ii posteaquam congregati sunt, priusquam ad eos Euribiades referret id cuius gratia ipsos coegerat, Themistocles multis agebat verbis, prout magnopere expetebat. Quem interfatus Corinthiorum dux Adimantus Ocyti filius, Themistocles, inquit, in certaminibus ii, qui ante tempus surgunt, flagris caeduntur. Eum refellens Themistocles, At, inquit, qui domi relinquutur, non coronatur.

60. Comiter autem Corinthio quum respondisset, ad Eurybiadem conversus, nihil amplius eorum dicebat quae dixerat prius, illos, posteaquam a Salamine profecti fuissent, dilapsuros: praesentibus enim sociis, putabat sibi minime decorum accusare, sed aliunde oratione sumpta, In te nunc, inquit, situm est servare Graeciam, si mihi assentiens, navale proelium hic manens facias, et non ab horum quibusdam orantibus persuasus, classem ad Isthmum retrahas, utrumque enim, quum audieris: iner se comparato Si ad Isthmum confliges, in patenti pelago dimicabis, ubi nobis minimum expedit, naves habentibus et graviores et numero inferiores. Ex quo, etiamsi in aliis feliciter nobis omnia sint eventura tamen amittes Salaminem et Megara et Aeginam: nam illorum navales vires una comitabitur suus pedester exercitus: atque ita tu eos in Peloponnesum duces, omnemque Graeciam discrimini obiicies. Sin autem id feceris quod suadeo, haec in eo reperies commoda: Primum si in arcto conflixerimus paucae naves cum multis, profecto si probabilia ex bello contingent, multo superiores erimus: quoniam in arcto pugnare, pro nobis est; in spatioso, pro illis. Praeterea Salamis servatur, ubi nostri nunc liberi collecti sunt et uxores. Est in his et aliud in quod etiam praecipue incumbitis; hic manens similiter pro Peloponneso pugnabis, perinde ac ad Isthmum; neque illos, si sapis, ad Peloponnesum duces.

Quod si id quod spero continget, ut classe vincamus, barbari neque ad Isthmum nobis aderunt, neque longius ab Attica procedent, sed nullo ordine abeunt; et nobis lucrifaciemus quae servaverimus, Megara, Aeginamque, atque Salaminem, in qua etiam nobis oraculum dicit hostibus fore superiores. Consentanea equidem rationi deliberantibus, ut plurimum solent evenire: secus facientibus ne deus quidem solet velle accedere ad humanas sententias.

61. Haec dicentem Themistoclem rursus interpellabat Corinthius Adimantus, iubens silere eum, cui patria non esset; quin etiam Eurybiadem non sinens ex viri extorris sententia decernere, et ita demum id permittere, quum urbem Themistocles habuisset: videlicet haec exprobrans; quod Athenae captae essent, tenerenturque ab hoste. Tunc Themistocles, et illi et Corinthiis multa ingerens probra, oratione ostendit, sibi esse et solum, et urbem maiorem quam illis, quamdiu naves ducentae ipsis adessent sociis navalibus ac militibus armatae, quas nulli Graecorum invadentes possent depellere.

62. Haec quum sermone significasset, ad Eurybiadem transiens, maiori cum acrimonia loquebatur, inquiens, Tu vero si hic manes, vir eris egregius; sin minus, Graeciae eversor: totum enim belli momentum nobis naves sustinent. Sed mihi crede, nisi hoc feceris, nos prout sumus, ubi domesticos receperimus, profecturos ad Sirin quae est in Italia, et ab prisco tempore nostra ea fuit, et quam, ut oracula aiunt, a nobis condi oportet. Vos autem talibus sociis destituti meorum verborum reminiscemini.

63. Haec dicente Themistocle Eurybiades edocebatur: et ob id edocebatur, ut mihi videtur, quod maxime formidabat, ne si ad Isthmum classem eduxisset, ab Atheniensibus desereretur: quibus deserentibus, iam reliqui non essent in pugnando hostibus pares. Ita sententiam eam probavit, ut illic permanentes, pugna navali decernerent.

64. Quod ubi Eurybiadi placuit, ii, qui altercationibus velitati fuerant circa Salaminem, quum illic sese appararent tanquam proelium navale facturi, dies illuxit: et simul oriente sole exstitit terrae et maris motus: propter quod visum est votum diis faciendum, et ut Aeacidas in auxilium invocarent. Decretum factumque. Nam post omnibus diis vota nuncupata, illinc e Sala-

mine et Aiacem et Telamonem invocaverunt, navemque ad Aeacum et alios Aeacidas Aeginam miserunt.

65. Narrabat autem Dicaeus Theocydis filius, vir Atheniensis, atque exul, et apud Medos factus illustris per id tempus quo Attica regio Atheniensibus desolata a pedestri Xerxis exercitu vastabatur, se forte fuisse una cum Demarato Lacedaemonio apud campum Thriasium, vidisseque pulverem triginta ferme millium virorum procedentem ab Eleusine: et quum demirarentur quorumnam hominum esset ille pulvis, statim se audisse vocem, quae vox ipsi videretur Jacchus mysticus: et Demaratum, ut qui esset sacrorum quae fierent in Eleusine ignarus, interrogasse quidnam esset quod ita sonaret? seque dixisse, Demarate, non aberit quin grandis aliqua clades contingat regiis copiis. Hoc enim palam est, quum Attica sit desolata, numen ab Eleusine resonans, venire auxilio Atheniensibus ac sociis: et siquidem in Peloponnesum incumbat, periculum ipsi regi erit, eiusque copiis; quae sunt in continente: sin ad classem, quae ad Salaminem est vertatur, periculum adibit rex, ne nauticum amittat exercitum. Haec autem solennia Athenienses quotannis celebrant Cereri atque Proserpinae; et his sacris quicunque vult etiam aliorum Graecorum initiatur: et vocem quam audis, in hoc festo per Iacchum emittunt. Ad haec dixisse Demaratum sile, neve alteri cuiquam hunc sermonem dixeris: nam si ad regem referantur haec verba, capite plecteris, ut nec ego te nec alius quispiam hominum queat eripere; quamobrem tene silentium. haec autem expeditio diis curae erit. Hoc quidem Demaratum admonuisse. Ex illo autem pulvere ac voce coiisse nubem, eamque in sublime eductam, Salaminem versus ad Graecorum exercitum fuisse delatam. Ita ipsos didicisse nauticas Xerxis copias esse perituras. Haec Dicaeus Theocydis filius referebat, Demaratum atque alios testes citans.

66. Classiariae autem Xerxis copiae, ubi conspecta strage Laconum ex Trachine in Histiaeam traiecerunt, triduum illic moratae, per Euripum navigabant, et intra totidem dies ad Phalerum praesto fuerunt. Nec vero minore, ut mihi videtur, numero, vel qui terra venerunt vel qui navibus, Athenas invaserunt, quam quum ad Sepiadem atque Thermopylas accesserunt: nam in supplementum eorum qui aut tempestate, aut ad Thermopylas, aut in navibus ad Artemisium proeliis interierunt hos substituam, qui nondum regem tunc sequebantur, Melienses, Locros, Boeotos,

qui cum omni copia advenerunt, exceptis Thespiensibus et Plataeensibus: nec non Carystios, Andrios, Tennios ac ceteros omnes nsulanos; praeter quinque civitates, quarum nomina superius commemoravimus: nam quo magis penetrabat intro in Graeciam Perses, eo plures eum nationes sequebantur.

67. Qui omnes, exceptis Pariis, postquam Athenas venere, et ad Phalerum, Parii autem in Cythno relicti, quo bellum caderet expectabant; ceteri ergo ut venerunt ad Phalerum, ibi Xerxes ipse ad classem descendit animo coetum classiariorum adeunti: et audiendi sententias. Eo profectus ubi praesedit, assidentibus, qui accitu eius ex navibus aderant, suae quibusque gentis tyrannis ac ordinum ductoribus, ut cuique rex honorem dederat; quorum primus erat Sidonius rex, tum Tyrius, deinceps alii. Sic ubi deinceps ordine consederunt, misit ad eos Mardonium tentandi gratia, sciscitatum singulos, an proelium navale faceret.

68. Posteaquam Mardonius a Sidonio exorsus, singulos circumiens interrogavit, ceteri quidem eandem dixere sententiam, iubentes fieri proelium: Artemisia vero, Haec, inquit, Mardonie, regi referas me dicere, quae in proeliis ad Euboeam gestis non ignavissima exstiti, neque minima ostendi, domine. Sententiam vero quam habeo, aequum est me proferre quae in rem tuam maxime esse sentio. Itaque hoc tibi suadeo, ut navibus parcas, nec proelium navale facias; illi enim viri tanto sunt tuis viris in mari prastantiores, quanto feminis viri. Quid vero necesse habes omnio venire in discrimen pugnae navalis? nonne Athenas habes, quarum gratia expeditionem sumsisti? nonne reliquam Graeciam? ac nemo tibi obsistit. Qui tibi obsistebant, ita summoti sunt ut eos decebat. Quo autem ego exituras hostium res arbitror, id exponam: Si non instabis pugnae navali committendae, sed classem perges hic continere ad terram, aut etiam tendere in Peloponnesum, tibi, domine, succedent ea, quorum gratia venisti: neque enim diu tibi resistere Graeci possunt, sed illos dissipabis, et ad suas quique urbes defugient; quoniam neque commeatus est eis in hac insula, ut ego audio, neque, si tu in Peloponnesum pedestres copias duces, hic eos credibile est perstituros qui illinc huc advenerunt, neque de pugna pro Atheniensibus facienda curaturos. At si pugnam navalem gerere approperabis, vereor ne copiae nauticae male re gesta insuper pedestribus sint exitio. Praeterea hoc etiam, rex, in animum demitte:

usu venire, ut bonis quidem hominibus mali servi sint, malis autem boni. Ideoque tibi, qui virorum omnium es optimus, servi sunt mali, qui numero sociorum censentur, Aegyptii, Cyprii, Cilices, Pamphyli, e quibus nulla utilitas est.

69. Haec ad Mardonium loquente Artemisia, quicunque ei bene volebant, noxiam illi rebantur suam orationem, tanquam aliquid mali passurae ab rege, quem vetaret pugnam facere navalem: at ii qui male consultum illi volebant invidebantque, utpote cui inter primos sociorum omnium honos haberetur, gaudebant eius sententia, tanquam periturae. Sed Xerxes, postquam ad eum sunt relatae sententiae, magnopere delectatus est Artemisiae sententia; et quum iam antea seriam esse sensisset, tunc multo impensius laudavit. Nihilominus ut pluribus staretur iussit, ratus ad Euboeam suos sponte male pugnasse, quod videlicet ipse abfuisset: itaque constituit spectaculo pugnae navalis interesse.

70. Classiarii, ubi nunciatum est illinc esse solvendum, classem Salaminem versus ducunt, et per otium in aciem sunt digesti. Sed quum eos dies defecisset, quominus proelium committerent, nox enim supervenit, in posterum diem sese instruebant: quum interim Graecos metus formidoque cepit, cum alios, tum vero non minime Peloponneses, quod ipsi desidentes in Salamine, pro Atheniensium terra essent certaturi: qui si superarentur, in insula deprehensi forent obsidendi, sua terra sine praesidio relicta.

71. Per eandem noctem pedester exercitus barbarorum contendebat in Peloponnesum: quanquam cuncta, quae poterant, excogitata erant, ne barbari per continentem ingrederentur. Nam ubi Leonidem cum suis apud Thermopylas occubuisse accepere Peloponnenses, celerrime ex urbibus concursu facto, Istmum insederunt, duce Cleombroto Anaxandridae filio, Leonidae fratre. Ibi considentes, primum viam Scironidem obstruxerunt; deinde consilio inito Isthmum muro inaedificabant, opusque perficiebant, quippe nemine, quum tot millia virorum essent, cessante: nam et lapides et lateres et ligna, et sportas sabulo plenas afferebant, nullo temporis momento opus intermittentes, neque diurno neque nocturno.

72. Hi autem e Graecis fuerunt qui ad Isthmum auxilio cum omni copia venerunt: Lacedaemonii, et Arcades omnes, et Elei, et Corinthii, et Sicyonii, et

Epidaurii, et Philiasii, et Troezenii, et Hermionenses. Hi fuerunt qui quidem auxilio venerunt, metuentes periclitanti Graeciae. Ceteris enim Peloponnensibus id nihil admodum curae erat, et Olympia iam et Carnia praeterierant.

73. Incolunt autem Peloponnesum gentes septem, quarum duae indigenae eundem, quem habitarunt olim locum, nunc habitant, Arcades et Cynurii: una, Achaica, quae nunquam illa quidem e Peloponneso excessit, sed pristino loco egressa, alienum incolit; reliquae e septem sunt quatuor adventitiae, Dorienses, Aetoli, Dryopes, Lemni. Ac Doriensium quidem multae sunt et insignes civitates: Aetolorum sola Elis: Dryopum autem Hermione et Asina, quae ad Cardamylam Laconicam sita est: Lemniorum autem, omnes Paroreatae. Cynurii autem, quum sint indigenae, soli putantur Iones esse, sed effecti sunt Dores, sub imperio Argivorum siti, et progressu temporis, quum essent Orneatae, itemque accola. Harum igitur septem gentium ceterae praeter eas quas recensui, e medio cesserunt: et, si ingenue loqui fas est, e medio sedentes cum Medis sentiebant.

74. Apud Isthmum quidem in tali labore isti occupati erant, utpote pro omni iam cursu currentes, et nequaquam opinantes navibus se illustres futuros. Quae audientes illi qui in Salamine erant, formidine afficiebantur, non tam pro seipsis quam pro Peloponneso solliciti; et adhuc quidem in eis vir viro adstans clanculum loquens admirabatur in Eurybiade consilii inopiam: tandem vero erupit in medium, conciliumque contractum est, et multa de hoc ipso dicebantur; ab his quidem, oportere in Peloponnesum navigare, et pro illa adire periculum; non autem manentes, pro captiva regione pugna decernere: ab Atheniensibus vero et Aeginetis et Megarensibus, satius esse illic manentes dimicare.

75. Ibi Themistocles, postquam sententia Peloponnensium evictus fuit, clanculum e concilio egressus, misit ad classem Medorum navigium, cum quodam edocto quae dicere oporteret; cui nomen erat Sicinno, domestico suo, atque eodem paedagogo liberorum suorum: quem post has res gestas ipse Thespiensem fecit, quando Thespienses in civitatem recipiebant, atque locupletem. Is tunc navigo ad duces barbarorum profectus, haec inquit; Dux Atheniensium, quod parti-

bus regis favet, praeoptatque res vestras quam Graecorum esse superiores, misit me clam aliis Graecis indicatum vobis, illos metu perculsos fugam facere velle, et nunc offerri vobis occasionem exequendi rem omnium praeclarissimam, nisi per negligentiam eos dilabi sinatis: nam neque inter se consentiunt, neque vobis amplius obsistent: sed inter se dimicantes cernetis eos, qui vobiscum, et eos, qui contra vos sentiunt. Hac re Sicinnus indicata, ab illis abscessit.

76. Cui fidem habentes barbari, tum in insulam parvam nomine Psyttaleam, quae inter Salaminem et continentem sita est, multos Persarum traiiciunt, tum mediam circa noctem cornu quod ad occasum spectabat producunt Salaminem versus, eam circumituri: producunt autem qui circa Ceon et Cynosyram instructi erant, occupantes navibus omne fretum Munychia tenus. Ideo autem et naves producebant, ne qua Graecis liceret effugere: sed circumventi in Salamine poenam redderent proeliorum ad Artemisium gestorum. Ad insulam autem Psyttaleam traiiciebant Persas ob hanc causam, tanquam commisso navali certamine, illuc praecipue eiiciendis et viris et naufragiis, erat enim insula in traiectu, ubi futura erat pugna, sita, hos quidem ut servarent, alios vero interimerent. Hoc autem ne hostes sentirent, clanculum egere. Atque ita illi nulla noctis parte concessa somno parabantur.

77. In has ego res intuens, non habeo adversari oraculis tanquam non veris, nolens evidenter loquentia conari refellere:

Auricomae densis ubi litora sacra Dianae
Navibus insternent et litoream Cynosuram,
Spe stolida fortes quod Athenas dilacerarunt,
Compescet iuvenem meritissima poena superbum,
Instinctum furiis, sibi cedere cuncta putantem.
Nam miscebitur aes aeri, Mars sanguine pontum
Inficiet: Graiis tunc libera tempora reddet
Saturno genitus, simul et Victoria pollens.

Quum ita evidenter in his a Bacide dicatur, profecto de contradicendo oraculis neque ipse ausim dicere, neque ab aliis dici sustineam.

78. Porro inter duces, qui in Salamine erant, ingens conflata est rixa, nondum scientes a barbarorum navibus se circumveniri; sed sicut per diem viderant eos collocatos, ita existimabant eos illo ordine manere.

79. Quibus consistentibus, applicuit ex Aegina Aristides Lysimachi filius, Atheniensis quidem, sed testa in exilium a populo eiectus, quem ego, ut eius mores accepi, virum optimum fuisse Athenis atque iustissimum censui. Hic vir concilio assistens, Themistoclem evocavit, non amicum sibi, sed in primis inimicum: verum prae magnitudine praesentium malorum oblitus simultatum, evocavit hominem colloquendi gratia: praesenserat enim Peloponnenses maturare ad Isthmum classem reducere. Qui, quum prodiisset Themistocles ad eum inquit, Nos et alio tempore et hoc ipso contendere debemus inter nos hac de re, uter nostrum de patria praeclarius mereatur: te vero certiorem facio, peraeque esse Peloponnensibus multa verba facere ac pauca de abducendis hinc navibus. Ego enim tibi quod ipsemet vidi, refero: nunc, ne si velint quidem, Corinthios atque ipsum Eurybiadem enavigare posse, quoniam circumdati ab hostibns undique sumus: quare ingressus eis haec indicato.

80. Cui respondens Themistocles, Utilia valde, inquit, iubes, ac bene annunciasti. Nam quae ego precabar, ut fierent, ea ipse tu conspicatus fieri, venis: tu enim scias, quae fiunt a Medis, per me fiunt: quoniam opus facto fuit, ut Graeci, qui nolebant sua sponte ad pugnam decendere, descenderent inviti. Tu vero, quandoquidem utilia nunciatum venis, ipse illis nunciato. Quoniam si ego retulero, videbor rem commenticiam dicere, nec persuadebo, tanquam non hoc agentibus barbaris. Itaque tute ingressus, uti res habet, ipse illis referas. Quod ubi feceris, si tibi fidem habebunt, optime habet; sin minus, perinde nobis erit: neque enim si undique circumdati sumus, ut tu ais, amplius isti defugient.

81. Aristides concilium introgressus, eadem retulit, dicens se ex Aegina venisse, et aegre elapsum, latendo stationem hostium. Omnem enim classem Graecorum, a Xerxis classe circumventam; ideoque hortari se, ut ad defensionem sui illi sese praepararent. Haec loquutus Aristides, retro abiit. Rursus autem inter duces altereatio orta, plerisque eorum fidem nuncio non habentibus.

82. Quibus non credentibus advenit triremis transfuga virorum Teniorum, cui praeerat Panaetius Sosimenis filius, quae omnem veritatem attulit. Cuius facti nomine Tenii in tripode, qui Delphis dedicatus est,

inter eos qui barbarum debellarunt, scripti fuere. Ex hac autem navi, quae ad Salaminem, et altera, quae ad Artemisium transfugit, Lemnia, expleta est Graecorum classis trecentarum et octoginta navium: duae namque prius ad explendum numerum defuerant naves.

83. Graeci, ubi eis verba Teniorum fecerunt fidem, sese apparaverunt tanquam dimicaturi. Et sub diluculum, quum propugnatorum coetum fecissent, Themistocles ex omnibus quae expedirent praecipiebat: cuius orationis summa erat, meliorum cum peioribus comparatio, quaecunque in hominis natura atque industria existunt, exhortatus ut meliora eligerent. Ubi peroravit, iussit illos ingredi naves: quibus ingressis, rediit ab Aegina triremis quae profecta ad Aeacidas erat, moxque omnes naves Graeci solverunt.

84. In quos moventes continuo barbari sunt invecti. Ibi ceteri quidem Graeci quum inhiberent remis, cessimque irent, Aminias Pallenensis, vir Atheniensis, evectus navi in hostilem incurrit: cui implicitus quum haereret, nec abstrahi posset, ita ceteri venientes auxilio conserti sunt. Hunc in modum aiunt Athenienses exstitisse initium pugnae: Aeginetae vero, navem quae ad Aeacidas abierat fecisse initium. Quanquam etiam hoc refertur, simulacrum mulieris fuisse eis oblatum: et quum apparuisset, ita illos exhortatum, ut omnis Graecorum exercitus exaudierit: sed prius his verbis convitiatum, 'O imperiti, quousque remis inhibebitis?

85. Ceterum adversus Athenienses instructi erant Phoenices: nam hi cornu tenebant, quod ad Eleusinem occidentemque vergebat. Adversus Lacedaemonios instructi erant Iones: hi autem cornu tenebant, quod ad auroram spectabat et Piraeeum: quorum pauci admonitu Themistoclis de industria ignave agebant, plerique minime. Enimvero complurium trierarchorum nomina commemorare possem, qui Graecas naves expugnavere: sed neminem nominabo praeter Theomestorem Androdamantis filium, et Phylacon Histiaei filium, ambos Samios: quorum duntaxat ideo mentionem facio, quod Theomestor ob hanc navatam operam a Persis tyrannus Sami sit creatus: Phylacus inter bene de rege meritos adscriptus sit, et multo tractu soli donatus. Bene meriti autem de rege, Persica lingua Orosangae vocantur. De his quidem ita res habet.

86. Multitudo autem navium ad Salaminem lacerabatur, partim ab Atheniensibus corrupta, partim ab

Aeginetis, utpote Graecis servato ordine ac loco certantibus, barbaris et incomposite et inconsulte agentibus: ut non eventurum illis esset aliud quam evenit: quanquam eo die fuerunt atque exstiterunt longe se ipsis praestantiores, quam ad Euboeam exstiterant, pro se quisque adnitentes, ac Xerxem reformidantes, et quod ab rege se singuli conspectum iri arbitrabantur.

87. Et de aliis quidem vel barbarorum vel Graecorum singulatim, quomodo dimicaverint, non possum pro comperto referre. Circa Artemisiam vero hoc rei gestum, ex quo impensius illa regi commendata est: Posteaquam regiae res magno tumultu misceri coeperunt, hoc interim tempore Artemisia, quum navem suam navis Attica insequeretur, nullum habens effugium, quia ante ipsam aliae naves amicae, sua vero proxima hostibus erat, hoc sibi putavit faciendum, quod et fecisse profuit: nam ut fugiebat Atticam navem, in navem sociam, quae erat virorum Calyndensium, impegit, quaque rex ipse Calyndensium Damasithymus vehebatur. Cum quo etsi huic iam inde quum essent in Hellesponto, contentio intercesserat, tamen incertum utrum consulto id fecerit, an fortuito navis Calyndensium praeternavigans oblata fuerit. Eam Artemisia ubi incurrit pariter ac demersit, prospero casu usa et duplex hinc sibi bonum est adepta: nam trierarchus Atticae navis, eam conspicatus incurrisse in barbarorum virorum navem, existimans hanc Artemisiae navem aut Graecam esse, aut e barbaris profugere, et a Graecis pugnare, ab hac ad alias se convertit.

88. Ita ex hoc facto contigit Artemisiae tum ut exitium evitaret, nec interiret; tum ut e malo opere praecipue se probatam apud Xerxem redderet; siquidem fertur, quum rex spectans animadvertisset hanc navem alteri incurrisse, quendam eorum qui aderant dixisse, Cernis Artemisiam, domina, ut bene proeliatur, utque navem hostilem depressit? Et regem interrogasse nunquid vere id opus Artemisiae esset: et illos, utpote qui plane nossent insigne navis, ita rem habere adfirmasse, ratos eam navem quae corrupta esset, hostilem fuisse: nam praeter cetera quae mulieri, ut dictum est, prospere cesserunt, hoc quoque accessit, quod e navi Calyndensi nemo servatus est, qui existeret accusator. Unde Xerxem ferunt ad ea quae narrabantur dixisse, Viri quidem exstiterunt mihi feminae, feminae autem, viri. Haec aiunt dixisse Xerxem.

89. In eo proelio cum alii multi et illustres viri tam Persarum Medorumque quam aliorum sociorum occubuere, tum vero dux Ariabignes Darii filius Xerxisque frater: e Graecis pauci: quippe qui gnari natandi, ubi suae naves corruptae erant, nec in pugna peribant, ad Salaminem enatabant: cuius rei quia imperiti erant barbarorum plerique, in mari periere. Posteaquam autem primae naves in fugam versae sunt, tum vero plurimae corrumpebantur: nam qui in posterioribus locati erant, in anteriora progredi navibus conantes, ut et ipsi aliquod opus regi exhiberent, undique in suorum naves fugientes incidebant.

90. Quo in tumultu etiam hoc actum est, ut quidam Phoenices, quorum naves corruptae fuerant, regem adeuntes, insimulaverint Iones tanquam proditores, quod propter eos naves amissae essent: unde id contigit, non ut Ionum duces interficerentur, sed ut ii Phoenices qui illos insimulabant, talem acciperent mercedem. Etenim illis adhuc ea loquentibus, Samothracia navis impacta Atticae, eam demersit: et in hanc Aeginaea impulsa ipsam depressit. Verum Samothraces, ut qui iaculatores essent, propugnatores navis, quae suam depresserat, iaculorum ictibus excusserunt, eorumque conscensa navi potiti sunt: quod factum Iones liberavit. Nam Xerxes ubi egregium facinus Ionum aspexit, conversus ad Phoenices, ut erat supra modum moestus, et omnes arguens, iussit eorum capita praecidi, ne, quum ipsi imbelles essent, meliores criminarentur. Quoties enim suorum quempiam aliquod opus edentem in hoc navali proelio cernebat, de eo homine percontabatur, sedens sub monte qui est e regione Salaminis, nomine Aegaleo, et scribae trierarchum illum ab patre et urbe annotabant. Quinetiam cladi Phoenicum qui aderant, additus est Ariaramnes vir Persa, quanquam amicus regis.

91. Et isti quidem in Phoenices se convertebant: barbaris autem in fugam versis, et ad Phalerum elabentibus, Aeginetae in freto subsistentes, opera memoratu digna ediderunt: nam Athenienses quidem in tumultu naves simul obsistentes fugientesque expugnabant, Aeginetae vero eas, quae elabebantur: et quoties aliqua effugiebat Athenienses, eo ipso cursu in Aeginetas incidebat.

92. Quum interim naves duae sibi obviam venirent, una Themistoclis insequens aliam, altera Polycriti Crio geniti, viri Aeginetae, dum navi Sidoniae

impingit, illi videlicet quae speculatoriam Aginaeam ad Sciathum ceperat, qua vehebatur Pytheas Ischeni filius: quem Persae seminecem plagis, tamen admiratione virtutis servatum in navi habebant. Sidonia quae hunc circumferebat navis, una cum Persis est intercepta, ut Pytheas ita sospes rediret in Aeginam. Polycritus ubi inspexit Atticam navem, agnito signo navis imperatoriae, inclamans Themistoclem, iocatus est, exprobrans Aeginetis quod cum Medis sentirent. Hoc Polycritus in navem incurrens, in Themistoclem iaculatus est.

93. Barbari autem quorum naves superant, fuga se proripuerunt in Phalerum pedestres ad copias. In hac pugna navali e Graecis optime audierunt Aeginetae, secundo loco Athenienses: e viris, Polycritus Aegineta; Atheniensesque, Eumenes Anagyrasius, et Aminias Pellenensis, qui et Artemisiam est insequutus, non prius destiturus quam aut illam cepisset, aut ipse captus esset, si Artemisiam ea navi vehi animadvertisset: quippe trierarchis Atheniensium praeceptum erat, ut eam caperent, propositumque praemium decem millium drachmarum ei, qui vivam cepisset. Indigne enim ferebant mulierem adversus Athenas militare. At illa, ut antea dictum est, aufugit. Fuerunt et alii, quorum naves incolumes in Phalerum evaserunt.

94. Adimantum autem Corinthium ducem Athenienses ferunt statim inter initia concursus navium expavefactum atque perterritum sublatis velis fugae se dedisse: Corinthiosque, inspecta fuga navis imperatoriae, itidem abiisse: et quum fugiendo venissent in ora Salaminia ad templum Minervae Sciradis, occurrisse eis celocem divino missu: quam quisnam misisset non apparuisse, et nihil de copiarum statu scientibus Corinthiis appropinquavisse: eos ob id coniectasse rem divinam esse: ut enim illi qui in celoce erant, propiores fuerunt, ita loquutos fuisse, Adimante, tu quidem conversis in fugam navibus abscedere vis Graecorum proditor: at ille quantum votis conceperunt, victores hostium evadunt. Et quum his verbis fidem non haberet Adimantus, haec iterum dixisse. ipsos posse pro obsidibus ductos mortem obire, nisi comperirentur Graeci victores. Ita conversa navi Adimantum cum ceteris ad classem suorum, re iam ab aliis navata, venisse. Hic de illis apud Athenienses rumor exstitit; quod ipsi Corinthii non fatentur, seque inter primos in pugna exstitisse affirmant, quibus etiam testimonium dicit reliqua Graecia.

95. Aristides autem Lysimachi filius, vir Atheniensis, cuius paulo ante ut viri optimi mentionem feci, per eum tumultum, qui circa Salaminem fiebat, hoc rei gessit: Permultis armatorum, qui per litus Salaminis locati erant, genere Athenienses, sumptis et in Psyttaleam insulam ductis exscendit, qui omnes Persas qui in ea insula erant interemerunt.

96. Defuncti navali pugna Graeci, deductis in Salaminem naufragiis, quae illic etiamnum supererant, parati erant ad aliam navalem dimicationem, quod expectarent, regem iis, quae sibi reliquae erant, navibus adhuc usurum. Porro naufragiorum pleraque ventus zephyrus suscipiens portavit in oram Atticae, nomine Coliadem; ut impletum sit tum aliud omne oraculum de hac pugna navali editum a Bacide et Musaeo, tum vero id quod fuit de naufragiis illuc evectis ante haec multis annis praedictum in oraculo Lysistrato Atheniensi, viro sortilego, quod omnes Graecos latuerat:

Coliades multo trepidabant remige matres.

Hoc autem futurum erat avecto rege.

97. Cognita sua clade Xerxes, veritus nequis Ionum Graecis suggereret, aut sponte ipsi cogitarent navigare in Hellespontum ad solvendos pontes, unde ipse in Europa deprehensus salute periclitaretur, de fugiendo consultabat: nolens tamen neque a Graecis neque a suis detegi, aggerem in Salaminem tentabat educere; navesque Phoenicum onerarias, ut pro ponte ac muro essent, connectebat: et se, tanquam aliam pugnam navalem facturus, ad bellum instruebat. Quae agentem videntes ceteri, pro certo habebant eum manendi animo atque bellandi illa apparare: sed nihil eorum Mardonium latebat, ut maxime gnarum ingenii illius. Xerxes et haec faciebat, et in Persidem misit, qui praesentem cladem nunciaret.

98. His nunciis nihil est in rebus humanis, quod pernicius transcurrit, idque hunc in modum est a Persis excogitatum: Quot dierum est tota via, totidem equos ac viros ferunt distare ad diei uniuscuiusque iter, equi nempe et vir destinatus; quos neque vis nivium, neque imber, neque aestus, neque nox arcet, quin propositum sibi cursum celerrime conficiant. Quorum primus currendo mandata tradit secundo, secundus item tertio: et ita deinceps illa tradita in alium atque alium pertranseunt, quemadmodum apud Graecos lampadis

gestatio, quam Vulcano peragunt. Hanc equorum cursitationem Persae angareion appellant.

99. Primus igitur nuncius Susa perveniens, Xerxem Athenis potitum esse tanta Persas qui relicti erant voluptate affecit, ut omnes vias myrto consternerent, et odores incenderent, et ipsi in sacrificiis ac gaudiis versarentur: secundus autem nuncius illis superveniens ita eos confudit, ut universi vestes dilaniarent, vociferationeque et eiulatu irrequieto uterentur, culpam in Mardonium refundentes. Non tamen adeo de navibus dolentes ista Persae faciebant, quam de ipso Xerxe solliciti; eaque apud Persas duraverunt toto medio tempore, donec Xerxes ipse illos redeundo sedavit.

100. At Mardonius quum videret Xerxem magnam e pugna navali calamitatem sibi illatam ducere, suspicans agitare eum fugam ex Athenis, de se ipso curam agebat, tanquam poenas daturus, qui regi persuasisset inferre Graeciae bellum: putabatque sibi conducibilius esse, iterum praelio periclitari aut subigere Graeciam, aut magna opera aggressum laudabiliter vita defungi; tamen opinio eius de subigenda Gracia praevalebat. Haec quum secum agitasset, regem hac oratione est alloquutus, Domine, noli moerorem capere, aut gravem maculam ex hac re sic gesta tibi illatam crede: non enim certamen, quo omnia nostra constant, in lignis est, sed in viris et equis. Itaque nemo tibi aut horum qui sibi videntur iam omne confecisse, egressus e navibus conabitur obviam se ferre, aut e hac continente, et qui se nobis obvios tulere, poenas dedere. Quod si tibi videtur faciendum, Peloponnesum continuo tentemus: si videtur supersedendum, supersedeamus licet: nec animo consterneris: neque enim ulla possunt ratione subterfugere Graeci, quo minus rationem dent eorum, quae et nunc et antea perpetrarunt, tuique sint servi. Et hoc quidem praecipue tibi agendum puta. Quod si tibi constitutum est, ut ipse cum exercitu revertaris, aliud quoque habeo ex hoc proposito consilium. Ne committas, Rex, ut Persae Graecis ludibrio fiant: non enim ab his Persis aliquid rerum est perditum; neque tu ubinam viri fuerimus ignavi dicere potes: quales si Phoenices et Aegyptii et Cyprii et Cilices fuere, nihil ista ad Persas attinet culpa. Quare, quoniam Persae huius rei insontes sunt, iam mihi credito: si tibi non videbitur permanendum, remea ipse ad solum natale cum pleraque parte copiarum: ego

vero cum delectis de exercitu trecentis millibus militum debeo Graeciam in tuam redigere servitutem.

101. His auditis Xerxes, ut ex malis, gavisus est, voluptatemque cepit: at ad Mardonium inquit, se, ubi consilium cepisset, responsurum, utrum eorum esset facturus. Et quum deliberaret cum advocatis Persarum placuit ei Artemisiam quoque ad consultandum arcessere: quam solam constabat antea, quae facienda essent, intellexisse. Quae ubi advenit, eam Xerxes summotis aliis Persarum consiliariis atque satellitibus, hunc in modum alloquutus est: hortatur me Mardonius hic permanere ad tentandam Peloponnesum, negans ullam culpam huius damni esse penes Persas atque pedestres copias, sed eis volentibus fiat experimentum. Itaque aut hoc me facere hortatur, aut ipse vult, trecenta millia militum deligens, subactam mihi tradere Graeciam; me vero ad patrias sedes monet cum reliquo exercitu discedere. Tu igitur, etenim de pugna navali quae contigit, non committenda probe consuluisti, nunc quoque dicito utrum mihi suadeas horum, quod eligendo bene consuluero.

102. Haec Xerxi consultanti respondens Artemisia, Arduum, inquit, rex, est me quae dixi optima, consulenti adesse: tamen pro statu rerum praesentium censeo te ipsum retro abire, Mardonium vero hic relinquas cum iis quos vult, si modo velit ille, atque recipiat se ista facturum. Nam sive ea quae ait se velle, subegerit, et haec ei quae cogitans dicit succedant, tuum, domine, opus est; quia id tui servi effecerint: sive Mardonio contra opinionem contingat, non magna sane calamitas erit, salvo et te et rerum domesticarum statu. Etenim si incolumis es et domus tua, profecto Graeci saepenumero pro se ipsis multa certamina cursitabunt: at si quid contingat Mardonio cladis, id nullius erit momenti, Graecique vincendo non vicerint, servo tuo interempto. Tu vero Athenis incensis, cuius rei gratia expeditionem sumsisti, reverteris.

103. Delectatus eo consilio Xerxes, quod idem illa suasisset quod ipse haberet in animo; quippe qui, ut ego opinor, non remansisset, si vel cuncti atque cunctae id ei suasissent; adeo perterritus erat. Artemisiam igitur laudatam dimisit, ducentem secum liberos regios Ephesum: nam aliquot eum filii nothi comitabantur.

104. Cum quibus ad eorum custodiam misit Hermotimum, genere quidem Pedasensem, sed apud regem inter eunuchos nulli secundum. Incolunt autem Peda-

senses super Halicarnassum; [apud quos hoc rei fertur contingere, ut quoties accolis omnibus qui circa eam urbem habitant aliquid adversi intra annum est eventurum, tunc Minervae antistiti, quae illic est, grandis barba nascatur: quae res bis apud eos iam accidit.]

105. Ex his Pedasensibus Hermotimus, erat, cui maxima ex omnibus, quos quidem ipsi novimus, ultio contigit acceptae iniuriae. Siquidem eum captum ab hostibus ac venalem mercatus est Panionius, vir Chius, ex hoc impurissimo quaestu vitam sectans: nam quos pueros forma praeditos coëmerat, eos castrabat; ductosque aut Sardes aut Ephesum, magna pecunia venundabat. Apud barbaros enim pretiosiores eunuchi sunt quam qui non sunt castrati, universae fidei gratia. Ceterum ut alios permultos, ita hunc quoque Panionius execuit, ut qui ex hac re vitam toleraret. Sed non omnia infelix Hermotimus, e Sardibus ad regem cum aliis muneribus deductus est, progressuque temporis ex omnibus eunuchis maximo in honore apud Xerxem est habitus.

106. Quum autem rex adversus Athenas moveret e Sardibus per id tempus Hermotimus cuiusdam negotii gratia descendit in agrum Mysium, qui a Chiis incolitur, sed Artarneus vocitatur: ibi inventum Panionium atque agnitum alloquutus est et multis et comibus verbis, primum recensens ei, quot per illum esset assequutus bona, deinde pollicens quam gratiam illius meriti foret relaturus, si homo cum suis domesticis illuc commigrasset. Ea oratione libenter audita Panionius contulit se illuc cum uxore et liberis. Quem posteaquam cum omni familia adeptus est Hermotimus, his verbis affatus est, o omnium post homines natos ex nefandissima negotiatione quaestum faciens; quid aut ipse ego, aut meorum quispiam vel tibi vel tuorum cuipium mali feci, quod me ex viro feceris nihil esse; et putabas fore et quae tunc machinabaris laterent deos? qui iusta lege utentes, te infandorum opificem tradiderunt in manus meas, ut de poena a me tibi irroganda queri non possis. Haec ubi exprobravit homini, filiis in conspectum adductis, coactus fuit Panionius genitalia filiorum suorum qui quatuor erant, abcidere: et coactus illo fecit, et postquam fecisset, filii adacti virilia eius abciderunt. Ita ultio ac Hermotimus persequutus est Panionium.

107. Xerxes autem filiorum Ephesum deducendorum negotio Artemisiae demandato, accitam Mardo-

nium iussit e copiis quos liberet eligere, ut consentanea verbis facta exequi experiretur. Hactenus eo die est actum. Noctu autem regis iussu duces e Phalero naves retro Hellespontum versus abduxerunt, pro se quisque accelerantes, ad custodiendas regi rates, quibus transiret. Ita navigantes barbari quum Zosteri appropinquarent, minuta quaedam continentis illius prominentia promontoria suspicati navigia esse, perdiu illinc aufugerunt: tandem deinde edocti non navigia esse, sed promontoria, in agmen sese receperunt.

108. Ut autem dies illuxit, Graeci cernentes ibidem pedestres copias hostium perstare, rati classem quoque circa Phalerum esse, ac pugnam navalem commissum iri, se ad resistendum apparabant. Sed cognito illam vela fecisse, confestim insequi censebant: itaque eam insequuti Andro tenus, cernere quum nequissent, ad Andrum profecti consultabant. Quibus Themistocles suadebat, ut per insulas navigatione instituta, classem hostium insequentes recta ad Hellespontum navigarent, soluturi pontes. Huic contrariam Eurybiades opponebat sententiam, quod diceret fore ut si dissolverent pontes, maxima ob id calamitate afficerent Graeciam. Persa enim, si deprehensus manere in Europa cogeretur, tentaturus est quietem non agere; quod sibi otium quidem agenti nec ulla res posset procedere, nec ullus retro ostenderetur receptus, et exercitus suus fame conficeretur, aggredienti vero et rebus gerendis operam danti omnia possent per Europam succedere, tum in urbibus, tum in nationibus quae vel caperentur, vel antea sese dederent; quin etiam rem frumentariam habituros ex annuis semper fructibus Graecorum. Nunc autem videri, Persam utpote victum navali proelio, non perstare in Europa: ideoque permitti oportere, ut fugiat, dum in terram suam fugiendo perveniret: de qua terra tunc certamen fieri iubebat. Huic sententiae aliorum Peloponnensium duces assensere.

109. At Themistocles, postquam animadvertit se non posse plerisque persuadere ut ad Hellespontum navigarent, adiit Athenienses, qui praecipue indignabantur hostem effugere, animatique erant ad navigandum in Hellespontum, etiam per se ipsos, si ceteri recusassent: eosque ita est alloquutus. Et ipse multis iam huiusmodi casibus interfui, et de multo pluribus audivi talia contigisse, viros ad necessitatem redactos etsi victos proelium instaurasse, et superiorem inertiam emendasse: itaque nos, quoniam hoc lucro potiti sumus,

ut et nos ipsos et Graeciam tueremur, repulsa tanta hominum nube, non insequamur viros fugientes. Neque enim nos ista effecimus, sed dii pariter et heroës, qui inviderunt unum virum esse et Asiae regem et Europae, qui sit impiissimus atque scelestus: qui sacra eodem loco atque profana habens, utraque incendit, deorumque simulacra subvertit; qui et mare cecidit flagellis, et compedes in illud deiecit. Sed bene nobiscum in praesens tempus agitur: ideoque nunc quidem, ut et nostri ipsorum, et nostrorum domesticorum curam geramus, et ut spatium quis ad reficiendas aedes, faciendamque sementem habeat, in Graecia maneamus, barbaro prorsus eiecto: quum autem ver appetet, tunc in Hellespontum et Ioniam navigemus. Haec dicebat Themistocles, animo sibi apud Persam comparandi receptum, ut siquid apud Athenienses accideret adversi sibi, haberet quo se converteret; prout et contigit.

110. Haec dicenti Themistocli Athenienses, quum tamen ab eo deciperentur, assensi sunt: nam quia et antea sapiens esse visus, vere prudens ac bene consulens compertus fuit, prorsus ei ad assentiendum prompti erant. Ille, ubi Athenienses ipsius sententiam probavere, misit e vestigio viros cum navigio ad exponenda regi mandata, confisus taciturcs, etsi in omne tormentum devenirent; quorum etiam rursus erat Sicinnus domesticus. Hi posteaquam ad Atticam pervenere, ceteris apud navigium remanentibus, Sicinnus ad regem ascendit, atque ita eum alloquutus est, Themistocles Neoclis filius, dux quidem Atheniensium, sed inter omnes socios vir optimus ac sapientissimus, misit me tibi denunciatum, tibi praestandi officii ergo se retinuisse Graecos, classem tuam insequi volentes, pontesque qui sunt in Hellesponto solvere: etiam nunc multa cum tranquillitate te illuc recipias. Hac re nunciata, isti denuo abiere.

111. At Graeci, posteaquam decreverunt neque persequi ulterius barbarorum classem, neque navigare in Hellespontum ad solvendum traiectum, Andrum obsederunt, animo illam delendi: nam primi ex insulanis Andrii pecunias poscenti Themistocli denegaverant, eique alleganti Athenienses illuc ire duobus magnis numinibus fretos, Suadela et Necessitate, et ita sibi dandas utique esse pecunias, responderant ad haec, Athenas merito magnas esse atque felices, et diis bonis bene vigere: quoniam Andrii ad maximam soli tenuitatem redacti essent, et ipsorum insulam totidem damnosa

numina nunquam derelinquere, sed semper incolere, Inopiam et Impossibilitatem; quibus diis potientes Andrios, pecuniam non daturos; nunquam enim sua imbecillitate validiorem fore Atheniensium potentiam. Haec illi quum respondissent, nec pecuniam dedissent, obsidebantur.

112. Themistocles vero, neque enim ab acquirendo cessabat, ad ceteras insulas minacia verba mittens, pecuniam flagitabat, eisdem nunciis eisdemque verbis utens, quibus ad Andrios fuerat usus: nisi pecuniam darent quam poscerentur, exercitum se Graecorum illuc adducturum, et obsidendo deleturum. Haec dicendo, ingentem pecuniae vim coëgit a Carystiis atque a Pariis: qui audito tum Andrum obsideri, quod cum Medis sensisset, tum Themistoclem maximo in honore inter duces esse, hoc metu pecuniam misere. Aliarum autem insularum aliqua pecuniam dederit necne, affirmare nequeo: reor tamen alias quoque quasdam dedisse, non has solas. Quanquam Carystiis ne hac quidem re contigit effugere cladem, ut Pariis, qui Themistocle pecunia delenito, expeditionem devitarunt. Ita Themistocles ex Andro exortus, clam ceteris ducibus, exegit pecunias ab insulanis.

113. At copiae Xerxis illic aliquot post pugnam dies immoratae, moverunt in Boeotos eadem qua venerant via. Quippe Mardonio visum est simul regem prosequi, et simul intempestivum anni tempus esse ad belligerandum; atque etiam in Thessalia satius esse hybernare, et deinde ineunte vere tentare Peloponnesum. Itaque ubi in Thessaliam perventum est, ibi Mardonius ante omnia Persas universos, qui immortales vocantur, elegit, excepto eorum duce Hydarne, qui negavit se rege esse cariturum. Item ex aliis Persis thoracatos, et millenarium equitatum: ad haec Medorum, Sacarum, Bactrianorum, Indorum et peditatum et equitatum reliquum. Has nationes sibi totas desumpsit: ex sociis autem elegit discernens quibus aut species aderant, aut a quibus aliquod egregium facinus peractum cognoverat. Sed plurimos ex una gente Persarum delegit torquatos et armillatos; secundo loco Medos, qui non numero Persis inferiores erant, sed robore: ita ut universi, trecenta millia una cum equitibus essent.

114. Hoc interim tempore quo Mardonius habebat delectum copiarum, et Xerxes circa Thessaliam agebat, oraculum e Delphis ad Lacedaemonios venit, ut Xerxem poenas necis Leonidae poscerent, et quod das

retur ab eo acciperent. Mittunt igitur quam citissime Spartiatae caduceatorem. Is adhuc in Thessalia nactus integrum exercitum, ubi in conspectum Xerxis venit, ita verba fecit; Rex Medorum, Lacedaemonii te et Heraclidae ab Sparta poenas caedis poscunt, quod regem ipsorum interemisti, dum Graeciam protegit. Ad ea Xerxes cachinnos tollit: ac diu responso non reddito, Hic, inquit, monstrato Mardonio, ut ille ei assistebat, poenas tales dabit, quales illos decet. Caduceator hoc responso accepto discessit.

115. Xerxes Mardonio in Thessalia relicto, ipse ad Hellespontum ire maturabat: intraque quinque et quadraginta dies ad traiectus locum pervenit, ut ita dicam, partem copiarum ducens; quocunque autem veniebant, et ad quocunque homines, eorum direptis fructibus vescebantur; ubi autem nihil fructuum reperiebant, ipsa herba, ut e solo germinabat, et arborum delibratis corticibus, et strictis frondibus utebantur, tam agrestium quam mansuetarum, nihil omnino relinquentes: hoc autem prae fame cogebantur. Quos deinde pestilentia excipiens ac dysenteria, vel alvi tormina, inter viam extinguebat. Eorum etiam nonnullos Xerxes aegrotos reliquit, iniungens civitatibus, ut in quamque veniebat, uti illos curarent et pascerent: quosdam etiam in Thessalia, et aliquot in Siri Paeoniae, et in Macedonia: ubi sacrum Iovis currum, quem in Graeciam tendens reliquerat, reversus non offendit. Eum Paeones Thracibus quum dedissent, tamen reposcenti Xerxi dixere, equas pascentes fuisse abactas a Thracibus superioribus, qui Strymonis circa fontes incolerent.

116. Quo in loco rex Bisaltarum ac terrae Crestonicae, Thrax, facinus super naturam fecit: hic et se volentem negavit Xerxi serviturum, eoque in superiora ad montem Rhodopen abiit: et filiis interdixit adversus Graeciam militare. Illi patre contemptui habito, sive alioqui belli libidine inspiciundi, militavere cum Persa: quibus, postquam incolumes reverterunt omnes, erant autem sex, ob eam culpam oculos pater effodit. Et isti quidem hanc mercedem acceperunt.

117. Persae autem, ubi ex Thracia ad traiectum pervenere, urgentes Hellespontum navibus traiecere ad Abydum; non enim intentas adhuc rates invenere, sed tempestate dissolutas. Ibi copiosiorem quam in itinere commeatum adepti, nullo cum modo sese reficientes,

ac mutatis aquis, permulti interibant de exercitu, qui supererat: ceteri cum Xerxe Sardes pervenere.

118. Narratur autem et alia haec res, Xerxem, posteaquam Athenis profectus venit ad Eionem urbem, Strymoni appositam, illinc non amplius per viam iter fecisse: sed exercitu Hydarni permisso, quem ad Hellespontum deduceret, ipsum navem Phoenissam conscendisse, ut in Asiam se reciperet: et dum cursum tenet, a Strymonia ingenti vento et fluctuoso fuisse exceptum; et eo vehementius tempestate vexatum, quod navis referta vectoribus erat, utpote quum super contabulata essent frequentes Persae qui cum Xerxe vehebantur. Ibi metu perculsum regem cum clamore interrogasse gubernatorem, num qua salus eis esset. Et quum ille respondisset, Here, nulla admodum est, nisi horum multorum propugnatorum aliqua fiat abitio: tunc Xerxem eo audita ita loquutum, viri Persae, nunc aliquis vestrum declaret se curam habere regis: in vobis enim videtur sita esse salus mea. Haec ubi dixit Xerxes, illos, eo adorato exsiluisse in mare: atque ita levata navi, Xerxem incolumem in Asiam pervenisse. Et ubi primum in terram egressus est, hoc egisse: gubernatorem, quod regis quidem animam servasset, aurea corona donasse; quod autem multos Persarum perdidisset, decollasse.

119. Hic autem alter modus qui narratur reversionis Xerxis, haudquaquam fidem apud me habet cum propter alia, tum propter istum casum Persarum, nam si ista regi a gubernatore sic dicta sunt, in infinitis sententiis unam non habeo repugnantem, regem non fecisse istud: illos quidem Persas in tabulato iussurum in cavam demitti, utpote qui et Persae et primores Persarum essent, at remigum, qui erant Phoenices, multitudinem Persis numero parem in mare eiecturum. Sed is, ut dictum est superius, itinere pedestri cum reliquo exercitu in Asiam reversus est.

120. Cuius rei id quoque magno est testimonio, quod apparet, Xerxem, quum rursus in Asiam reciperet se, Abdera pervenisse, et hospitii foedus cum illis pactum esse, et acinace aureo eos ac tiara auro intertexta donasse: et ut ipsi oppidani aiunt, quod apud me fide caret, Xerxes, postquam ex Athenis retro fugit, illic primum zonam solvit, utpote iam terrore liber. Sunt autem Abdera propius ad Hellespontum sita quam Strymon, atque Eion, unde navem illum conscendisse ferunt.

121. Ceterum Graeci posteaquam Andrum expugnare nequibant, conversi in Carystum, vastato illorum agro rediere Salaminem. Ibi ante omnia diis primitias exemerunt cum alias, tum Phoenissas triremes tres: quarum una reponeretur apud Isthmum, quae ad meam usque memoriam exstabat; altera apud Sunium, tertia Aiaci illic apud Salaminem. Post hoc praedam dispartivere, et primitias Delphos misere. Ex quibus statua effecta est longitudine cubitorum duodecim, aplustre manu sustinens; eodem in loco stans, ubi Alexander Macedo aureus.

122. Missis Delphos primitiis, Graeci publice deum percontati sunt, nunquid perfectas et gratas primitias accepisset. Quibus ille respondit habere se a Graecis quidem aliis, verum non ab Aeginetis: sed reposcebat eos donum optime navatae ad Salaminem operae in pugna navali. Id quum audissent Aeginetae, aureas stellas tres dedicaverunt, quae super malum navis aereum stand apud angulum, proxime Croesi craterem.

123. Post dispartitam praedam Graeci ad Isthmum navigaverunt, daturi virtutis praemium Graecorum meritissimo in hoc bello. Eo ubi perventum est, duces Graeci in aram Neptuni suam quisque sententiam scriptam detulere, quemnam ex omnibus primum et quem secundum iudicarent. In ea autem suum quisque nomen inscripsit, se illum qui praestantissimus exstitisset existimans; sed in secundis partibus Themistocli adiudicandis plerique congruerunt. Ita quum singuli in primo loco singulos calculos haberent, in secundo Themistocles multo superior exstitit.

124. Et licet hanc rem Graeci livore supersederint iudicare, in suam quisque patriam re non decreta revecti, tamen Themistocles et habitus est et celebratus per universam Graeciam omnium Graecorum longe prudentissimus. Ipse tamen quia victor non fuisset honore affectus ab iis, qui ad Salaminem dimicassent, ut honore afficeretur Lacedaemonem se contulit. Eum Lacedaemonii et splendide exceperunt, et magnifice honoraverunt: et primas quidem partes rei bene gestae Eurybiadae; solertiae vero ac dexteritatis, Themistocli dederunt, utrumque oleagina corona donantes: praeterea hunc vehiculo, quod Spartae erat praestantissimum: laudatumque verbis amplissimis, trecenti ex delectis Spartiatarum, qui equites vocantur, recedentem ad Tegeaticos usque fines comitati sunt. Hunc solum

ex omnibus quos novimus hominibus Spartiatae abeuntem deduxerunt.

125. Eidem, postquam ex Lacedaemone Athenas venit, ibi Timodemus Aphidnaeus unus ex inimicis eius, alioqui non e claris viris, livore insaniens, crimini dabat itionem in Spartam: dicens illum Athenarum respectu, non sui, ab Lacedaemoniis honores assequutum. Et quum non faceret finem talia dicendi, inquit ei Themistocles, O homo, ita res habet, neque ego si Belbinitanus forem, sic a Spartanis honoratus fuissem; neque tu, etsi Atheniensis. Atque haec hactenus.

126. Artabazus autem Pharnacis filius, vir inter Persas cum antea illustris, tum ex rebus Plataeensibus factus illustrior, regem deducebat sexaginta millibus ex exercitu, quem sibi Mardonius delegerat: quem ubi traiectu tenus comitatus est, quum iam ille in Asia esset, regressus circa Pallenen agebat, utpote Mardonio per Thessaliam Macedoniamque hybernante, nec etiamdum urgente venire in alia castra, non existimabat ius esse non diripere rebelles Potidaeatas, in quos casu incidisset. Etenim Potidaeatae, postquam rex praeteriit, et classis Persica a Salamine fugiens abiit, manifeste a barbaris defecerant: mox aliis quoque qui Pallenen incolebant rebellantibus.

127. Tunc vero Artabazus Potidaeam obsedit: sed suspicatus etiam Olynthios ab rege deficere, et ipsam obsedit. Eam autem tenebant Bottiaei, qui e sinu Thermaeo fuerant a Macedonibus eiecti. Hos Artabazus postquam obsidione cepit, in paludem deductos trucidavit, urbemque administrandum Critobulo Toronaeo tradidit, et generi Chalcidico. Ita Chalcidenses Olynthum obtinuere.

128. Expugnata Olyntho Artabazus Potidaeae impensius incumbebat. Hoc faciens, cum Timoxeno Scionaeorum magistratu de facienda proditione transigit, incertum mihi quonam modo ab initio; neque enim traditur: ad extremum ita evenit: Quoties exaraverat libellum aut Timoxenus ad Artabazum mittere volens, aut Artabazus ad Timoxenum, eum sagittae circumvolvebant prope crenas, et aptatum quasi alas, ad locum de quo convenerat sagittam emittebat. Sed Timoxenus qui Potidaeam prodebat, proditionis compertus est: nam Artabazus ad compactum locum sagittam dirigens, frustrante iactu humerum cuiusdam Potidaeatae percussit. Quem saucium turba quum circumcurrisset,

ut adsolet in bello fieri, hi subito sagittam, quum animadverterent libellum, nacti detulerunt ad magistratus; aderat autem et ceterorum Pallenensium commilitium. Perlecto libello magistratus et cognito proditionis autore, non tamen censuerunt Timoxenum esse proditionis supplicio plectendum, Scionaeae civitatis gratia, ne in posterum semper Scionaei pro proditoribus haberentur. Atque hunc quidem in modum Timoxenus proditionis manifestus fuit.

129. Artabazum vero tres iam menses obsidentem ingens recessus maris excepit, et is diutius: unde barbari videntes locum factum lacunosum, in Pallenen concesserunt: cuius itineris quum duas partes permeassent, tres aliae supererant, quas ubi pertransissent, oportebat intrare Pallenen: sed eas ibi tanta maris aestuatio invasit, quanta nunquam exstiterat, ut indigenae aiunt, quum ea frequenter illic acciderit. Eorum qui nandi erant ignari, interiere: qui erant gnari, eos Potidaeatae navigiis adorti trucidavere. Huius autem aestus ac restagnationis et cladis Persarum ferunt Potidaeatae hinc causam exstitisse, quod isti e Persis qui sunt a mari oppressi, in templum Neptuni et eius simulacrum quod situm est in suburbano, impie se gesserant. Hanc fuisse causam illi videntur mihi vere dicere. Eos autem qui superavere, Artabazus in Thessaliam ad Mardonium duxit. Et cum iis qui regem reduxerunt ita est actum.

130. Navalis autem Xerxis exercitus qui superfuerat, ubi a Salamine fugiens attigit Asiam, rege et copiis e Chersoneso Abydum traducto, hyemavit apud Cumam. Idem primo statim vere Samum convenit, ubi nonnullae etiam naves hyemaverant. Eius classis plerique propugnatores erant ex Persis et Medis, ducesque iis accesserant, Mardontes Bagaei, et Artayntes Artachaei filius, cuius patruelis Amitres ab eodem ascitus erat istorum collega. Hi utpote magnopere percussi, non altius processerant occasum versus, neque ullus ad hanc necessitatem eos adegit; sed Samo desidentes Ioniam custodiebant ne deficeret, trecentas naves cum Ioniis habentes. Neque expectabant Graecos in Ioniam ituros, sed illis satis fore, si sua tutarentur; ducta ex hoc coniectura, quod ipsos e Salamine fugientes non fuissent insequuti, sed libenter abscessissent. Ac mari quidem victi erant animo; at longe superiorem terra Mardonium futurum arbitrabantur. Qui dum Sami erant, simul consultabant, si quid mali pos-

sent facere hostibus, simul etiam subauscultabant, quonam res Mardonii caderent.

131. At Graecos excitabat tum veris adventus, tum Mardonius in Thessalia agens, et eorum quidem exercitus pedestris nondum cogebatur: naves autem Aeginam abierant numero centum ac decem, praefecto atque navarcho Leutychide, qui fuit Menaris, qui fuit Agesilai, qui fuit Hippocratidae, qui fuit Leutychidis, qui fuit Anaxilai, qui fuit Archidami, qui fuit Anaxandridae, qui fuit Theopompi, qui fuit Nicandri, qui fuit Charilli, qui fuit Eunomi, qui fuit Polydectis, qui fuit Prytanis, qui fuit Euryphontis, qui fuit Proclis, qui fuit Aristodemi, qui fuit Aristomachi, qui fuit Cleodaei, qui fuit Hylli, qui fuit Herculis filius, ex altera regum familia. Hi omnes praeter duos, qui post Leutychidem primi commemorati sunt, reges Spartae fuerunt: Atheniensium autem, duce Xanthippo Ariphronis filio.

132. Hac omni classe Aeginam profecta, adveniunt in Graecorum castra nuncii Ionum iidem qui paulo ante ierant Spartam ad orandos Lacedaemonios ut Ioniam liberarent, quorum unus fuit Herodotus Basilidae filius. Hi septem omnio erant, qui coniuratione inter se facta de trucidando Stratte Chii tyranno, postea conspiratione patefacta per unum qui particeps erat; e Chio se subduxerunt, Spartamque se contulerunt, et tunc Aeginam, oraturi Graecos ut in Ioniam navigarent; aegreque exoratos Delon usque perduxere. Nam ulteriora omnia Graecis formidolasa erant, cum locorum ignaris, tum plena omnia hostium esse videbantur, et Samum vero sciebant opinione et Herculis columnas tantundem distare. Contigitque huic rei, ut neque barbari occidentem versus supra Samum navigare auderent, metu perterriti; neque Graeci Chiorum rogatu, orientem versus, infra Delon, ita timor medium eorum tuebatur.

133. Dum Graeci navigavere Delon, Mardonius qui in hibernis circa Thessaliam erat, inde movens missit ad oracula quendam genere Europensem, cui nomen Mus, iubens ut ubicunque consulens vaderet ac pertentans oracula, quae liceret. Quid tandem volens ab oraculis scire talia mandaverit, haud compertum habeo: non enim memoratur: opinor autem ob nihil aliud misisse quam de rebus praesentibus.

134. Constat hunc Myn in Lebadiam venisse, et mercede corrupto quodam indigenarum ad Trophonium

descendisse, et in Abas Phocensium, ad oraculum: quinetiam ad Thebas primum quum adisset, ibi tum Apollinem Ismenium consuluisse, quod illic, quemadmodum in Olympia, fas est caesis victimis sciscitari oracula: tum ab quodam peregrino et non Thebano, pecunia corrupto, impetravisse ut in Amphiarai iret dormitum. Ideo autem nemini Thebano licet eo in loco oracula captare, quod quum Amphiaraus optionem eis per oracula dedisset, utrum mallent eligere ex his, vate uti se an auxiliatore, alterutro carentes: Thebani sibi auxiliatorem eum maluerunt, ea propter nefas est ulli Thebano illic obdormiscere.

135. Tunc autem maximum exstitisse miraculum a Thebanis mihi narratur: Myn Europensem, pervestigatis omnibus oraculis, isse, etiam ad fanum Apollinis Ptoi: vocatur autem id fanum ita; sed est Thebanorum situm supra paludem Copaidem, ad montem, proxime urbem Acraephiam. Ad hoc templum postquam pervenisset is, qui Mus appellaretur, sequutos eum tres urbanos viros publici delectos ad describenda ea quae homini responderentur: et statim antistitem barbara lingua usam: et qui eos subsequebantur, stupuisse audientes barbaram linguam pro Graeca. Quumque nescirent quid in praesenti negotio agerent, Myn Europensem pugillares ab eis quos ferebant abstulisse, et in illis eaquae dicerentur a propheta exarasse, eaque, ut dicebant, lingua Carica: et ubi illa scripsisset, digressum in Thessaliam abiisse.

136. Ea Mardonius intelligens quid dicerent, nuntium dehinc Athenas mitit Alexandrum Macedonem Amyntae filium, tum quia ei adfinitate iuncti erant Persae, quippe cuius sororem Gygaenam Amyntae filiam in matrimonio habuerat Bubares vir Perses, ex qua genuerat Amyntam in Asia, avi materni ferentem nomen, cui ab rege data erat colenda urbs Phrygiae magna Alabanda, tum quia audiebat hospitem atque de Atheniensibus bene meritum esse virum, Mardonius mittendum duxit: hac praecipue ratione arbitratus se conciliaturum sibi Athenienses, populum et multum et strenuum esse audiens, et quem cladis Persicae in mari acceptae praecipuum auctorem noverat. Quibus sibi conciliatis, spem concipiebat facile potiundi maris, prout etiam contigisset: nam terrestribus copiis longe superior esse videbatur. Ita colligebat suas res fore superiores rebus Graecorum. Cui fortassis oracula illa reddita suadebant: ut Atheniensem sibi socium asciseeret.

137. His obtemperans, Alexandrum hunc mittebat septimum ab Perdicca, qui Macedonum tyrannidem obtinuit hunc in modum; Tres fratres a Temeno oriundi, Gavanes, Aëropus, Perdiccas, ex Argo in Illyricos profugerunt: et ex Illyriis transgressi superiorem Macedoniam pervenerunt ad urbem Lebaeam: ubi se ad mercenariam operam regi locaverunt, unus quidem equis: alter vero bobus, minimus autem natu, minutis pecoribus pascendis. Erant enim olim quoque imperia hominum debilia in re nummaria, non solum popularis status: ipsa autem regi sua uxor coquebat cibaria. Quum panis pueri mercenarii Perdiccae coqueretur, efficiebatur altero tanto maior quam erat; id ipsum quoniam semper contingebat, indicavit marito. Ille ut audivit, illic eum ingressa est opinio, quasi ostentum foret, ac cederet in aliquid magnum: moxque accitis mercenariis, ut a sua terra discederent, imperavit. Et quum isti dicerent ita demum se abscedere iustum esse, ubi mercedem accepissent: ibi rex de mercede audiens quum forte per fumarium sol penetraret in domum, mente divinitus laesus, Hunc, inquit, solem ostendens, dignam vobis mercedem reddo. Haec audientes majores natu Gavanes et Aëropus, steterunt attoniti: at puer, Sic accipimus rex quae das, praeloquutus, gladio: nam gladium gerebat, circumscripsit in pavimento domus solem: circumscriptumque ter in sinum suum hausisset, abiit cum ceteris.

138. Quale autem esset id quod fecerat puer, et quod cum illorum assensu acceperit minimus natu, renunciat quidam assessorum regi. Hoc audito, rex ira percitus equites ad eos interimendos mittit. Est autem in ea regione amnis cui tanquam Sospitatori immolant ex incolis istis posteri ab Argo orti: hic amnis, posteaquam eum Temenidae transierant, ita auctus ut ab equitibus transiri nequierit. Temenidae in aliam Macedoniae plagam trangressi, habitarunt prope hortos, qui ferebantur esse Midae Gordio geniti, quibus in hortis sua sponte nascuntur rosae sexagenum foliorum singulae, fragrantiori odore quam ceterae; in quibus etiam ut fertur a Macedonibus, Silenus fuit captus. Super eos hortos situs est mons, nomine Bermius, per hyemem inaccessus. Hinc egressi postquam eam plagam obtinuerunt, ceteram Macedoniam subegerunt.

139. Ab hoc autem Perdicca hunc in modum Alexander oriundus est; Amyntae filius fuit Alexander, Amyntas Alectae, pater Alectae fuit Aëropus, Aëropi

Philippus, Philippi Argaeus, huius Perdiccas, qui paravit imperium. Ita Amyntae fuit Alexander filius.

140. Qui ubi Athenas venit a Mardonio missus, ita verba fecit, Viri Athenienses, Mardonius haec inquit, Nuncius mihi ab rege venit in haec verba, Atheniensibus iniurias quas mihi intulerunt omnes remitto: nunc autem, Mardoni, ita facito: partim quidem eis regionem reddito: partim aliam insuper ad istam pro suo arbitratu capiant, suisque legibus potiantur. Quinetiam eorum templa, si mecum foedus inire volent, omnia, quae ego incendi, restituito. Haec quum mihi allata essent, necesse habeo ista exequi, nisi per vos steterit. Ego vero haec vobis duco dicenda, Nunc quid insanitis bellum regi inferentes, cui nec unquam praestare nec semper obstare poteritis? Nostis enim Xerxis et copias bellicas et facta: auditis quoque nunc de exercitu, qui mecum est: quod si etiam nos superaveritis, cuius nulla vobis, si bene sapitis, spes est, alius huic par exercitus est ad futurus. Nolite igitur, aequiparando vos regi privari solo vestro, et pro vobisipsis assidue currere: imo redite in amicitiam, quum honnestissime liceat vobis iram deponere rege huc propenso. Estote liberi, societate belli nobiscum inita citra dolum et fraudem. Haec me iussit, Athenienses, apud vos Mardonius dicere. Ego vero de mea in vos benevolentia nihil commemorabo: neque enim nunc primum eam cognoveritis. Obsecro autem ut Mardonio morem geratis, quos animadverto non semper validos fore ad gerendum cum Xerxe bellum: quales si animadverterem esse, nequaquam huc cum his verbis venissem. Quippe regis postestas supra humanam est et manus praelonga. Quod nisi propere paciscamini, quum magnas proponant conditiones, quibus pacisci volunt, timeo vestram vicem; qui ex omnibus sociis maxime in via habitatis, et soli semper perdimini, et possideatis eximiam quandam terram in acierum intervallo positam. Itaque persuadeant ista vobis, quum sint illa quantivis pretii, si rex iste magnus vobis Graecorum solis iniurias remittens, velit fieri amicus. Haec Alexander.

141. Quem Athenas ire ad inducendos in barbari societatem Athenienses quum audissent Lacedaemonii, id ne fieret vehementer extimuerunt, reminiscentes oraculorum, quibus praedictum erat, fatale esse ut ipsi cum ceteris Doriensibus e Peloponneso eiicerentur a Medis pariter et Atheniensibus; ideoque sine mora mittendos illuc censuere legatos, Et sane contigit, ut con-

oni adessent Lacedaemonii: extraxerant enim Athenienses tempus, probe scientes fore, ut Lacedaemonii audirent venire a barbaro legatum ad societatem contrahendam, et postquam audissent, celeriter missuri essent legatos: quare de industria id fecere declarantes Lacedaemoniis sententiam suam.

142. Ubi dicendi finem fecit Alexander, excipientes nuncii ab Sparta, ita loquuti sunt, Nos vero misere Lacedaemonii oratum vos, ne quid novi circa Graeciam agatis, neque verba a barbaro admittatis. Id enim nullo modo iustum sit neque decorum cum aliis ullis Graecis, tum inter omnes vobis, idque multis de causis Vos enim hoc bellum excitatis etiam nobis invitis, et propter imperium vestrum est decertatum: quod certamen nunc in universam Graeciam emanavit: praesertim vero horum omnium autores fieri servitutis Graecis Athenienses, res nullo pacto toleranda: quos constet semper iam inde a priscis temporibus vindicasse multos homines in libertatem. Et tristem quidem conditionem vestram dolemus, quod iam bis proventu frugum fraudati estis, et iam diu domibus quae dirutae sunt caretis: quo nomine Lacedaemonii vobis ac ceteri socii spondent se uxores vestras et omnia ad bellum inutilia ad domesticos pertinentia, quoad bellum hoc steterit, alituros. Neque vobis Alexander Macedo persuadeat, moliens Mardonii orationem: fecit enim quod sibi faciendum est: quippe qui tyrannus tyranno operam praestat. Sed non sunt haec ab vobis facienda, siquidem recte sapitis, qui scitis nihil barbaris esse neque fidum neque verum.

143. Haec quum nuncii dixissent, Athenienses Alexandro quidem ita responderunt, Et ipsi cognitum habemus hoc, vires Medo etiam atque maiores esse quam nobis ut id nihil oportuerit exprobrare: attamen in tutanda libertate eatenus resistemus, quatenus valebimus: societatem vero cum barbaro contrahere, neque tu persuadere nobis tentes, neque nos tolerabimus. Tu vero renuncia Mardonio Athenienses dicere, quoad sol eodem itinere meabit quo etiam nunc meat, nunquam nos cum Xerxe societatem inituros, sed eum exsequuturos propulsando, fretos ope commilitonum deorum atque heroum, quorum ille, nihil pensi habens, et templa et simulacra incendit. Tu quoque posthac cum oratione istiusmodi ne committe, ut in Atheniensium venias conspectum, neve dum videris commoda subministrare, ad infanda nos facienda adhorteris: nolumus enim te in-

gratum quippiam ob Atheniensibus pati, quibus et hospes et amicus es.

144. Haec Alexandro responderunt: nunciis autem ab Sparta ista, Sane quidem Lacedaemonios vereri, ne foedus ineamus cum barbaro, valde humanum est: sed turpiter videmini, habentes mentem Athenesium exploratam, vereri: quoniam neque tantum auri usquam gentium est, neque regio ulla specie et bonitate valde praestans, quae nos adepti velimus cum Medis sentientes tradere servituti Graeciam. Multa enim et magna sunt, quae deterrent talia facere, vel si velimus: primum atque idem maximum deorum simulacra et aedificia cremata pariter et in tumulos aggerata, quae nos ultum ire vel maxime necesse est potius quam cum eo foederari qui ista fecerit: deinde, Graecanici sanguinis coniunctio et sermonis foedus, et deorum et fana communia et sacrificia, mores consimiles; quorum proditores fieri Athenienses, non bene haberet. Et certe ita scitis, si antea nesciebatis, dum vel unus Atheniensium superfuerit, nunquam nos conventuros esse cum Xerxe. Vestram nihilominus in erga nos providentiam, quod consulatis nobis domi perditis ita ut domesticos nostros alere velitis, gratam habemus. Et vobis quidem beneficium prorsus consummatum est: nos tamen ita illud tolerabimus: prout poterimus, ut nihil vobis molestiae adferamas. Nunc vero quum ita se hae res habeant, copias primo quoque tempore emitti curate: nam ut nos coniectamus, non diu differet barbarus invadere regionem nostram; sed simulatque acceperit nuncium nos nihil eorum esse facturos quae ille oravit, aderit; qui ante quam absit in Attica, tempus est nos in Boeotiam auxilio ire.

HERODOTI
HALICARNASSEI HISTORIARUM
LIBER NONUS,
QUI INSCRIBITUR
CALLIOPE.

Hoc ab Atheniensibus reddito responso Lacedaemonii Spartam reverterunt. Mardonius autem, posteaquam regressus ad eum Alexander Atheniensium responsa indicavit, movens e Thessalia, citato agmine Athenas ire contendit, quacunque iter faciebat, illinc viros ad bellum sumens. At Thessaliae principes adeo non poenitebat eorum quae antehac egerant, ut etiam multo studiosius Persam inducerent. E quibus Thorax Larissaeus et Xerxem effugientem deduxerat, et tunc Mardonium propalam transmittebat in Graeciam.

2. Postquam vero exercitus progrediens in Boeotos venit, Thebani Mardonium exceperunt; suadendoque non sinebant progredi longius, quod negarent ullum locum ponendis castris opportuniorem esse quam illum, ubi subsidens consequeretur, ut omnem Graeciam sine proelio subigeret. Arduum enim esse universis etiam hominibus vi subigere Graecos inter se convenientes: quod et antea cognovissent. Si vero feceris, dicebant quod nos suademus, occupabis nullo negotio validissima quaeque illorum consilia. Mitte pecuniam ad eos qui praepotentes sunt in civitatibus: missa pecunia Graeciam separando conturbabis: hinc eos qui tecum non sentient, cum factiosis facile evertes.

3. Haec Thebani suadebant: quibus ille obtemperandum non putavit, partim acri quadam libidine Athenas iterum occupandi, partim animi fastu; denique quod videbatur incensis per insulas ignibus significaturus regi Sardibus agenti, Athenas ab ipso teneri. Igitur in Atticam contendens, quum illic Athenienses ne tunc quidem invenisset, sed plerosque aut Salamine,

aut in classe esse audiret, urbem cepit desertam, decimo mense quam fuerat ab ipso rege capta.

4. Illic quum esset, Salaminem mittit Murichidem, virum Hellespontium, cum eisdem mandatis, quae Alexander Macedo ad Athenienses pertulerat. Mittebat autem eadem vice altera, gnarus ille quidem non benevolo erga ipsum animo esse Athenienses, sed sperans contumaciam deposituros, tanquam subacta Attica regione, et sub ipsius imperio posita: hac de causa Murichidem misit Salaminem.

5. Is ubi in senatum venit, Mardonii mandata exposuit: et e senatoribus Lycidas sententiam dixit, Satius videri sibi esse, ut ea quae Murichides apud senatum diceret, ipsi admittentes ad populum referrent. Hanc ille sententiam dicebat, sive quod pecuniam a Mardonio accepisset, sive quod ea ipsi probarentur. Quod simulatque audiere Athenienses, tam ii qui ex senatu, quam qui extra eum erant, confestim indigne ferentes, Lycidam circumsteterunt, lapidibusque interemerunt: Hellespontium vero Murichidem dimiserunt illaesum. Excitato circa Lycidam Salamine tumultu cognoscunt quod gestum erat, Atheniensium uxores; et alia aliam exhortantes atque prehendentes, ultro domum Lycidae adiere, hominesque uxorem ac liberos lapidaverunt.

6. Hoc autem modo Athenienses in Salaminem transierunt: Quamdiu ipsi copias e Peloponneso venturas sibi auxilio expectabant, tamdiu in Attica manserunt: at ubi et socii tardius segniusque agunt, et Mardonius adventans iam esse in Boeotia audiebatur, ita exportatis omnibus rebus et ipsi in Salaminem traiecerunt, nunciosque Lacedaemonem miserunt, simul conquestum de Lacedaemoniis, qui neglectui haberent barbarum in Atticam ingressum, neque cum ipsis ei in Boeotiam occurrissent; simul admonituros, quae sibi, si ad eam deficere vellent, Persa spopondisset: tum praedicere, nisi praesidio Atheniensibus essent, se aliquod iremedium inventuros. Agebant per id tempus Lacedaemonii solennia, quae vocantur Hyacinthia: quae festa dei celebrare plurimi faciebant: ad haec murum sibi in Isthmo exstruebant, qui iam pinnas accipiebat.

7. Posteaquam nuncii Atheniensium Lacedaemonem venerunt, ducentes simul Megarensium ac Plataeensium legatos, ad Ephoros admissi, ita loquuti sunt, Athenienses miserunt nos, dicentes regem Medorum cum

nostram nobis regionem reddere, tum societatem nobiscum velle aequis conditionibus inire citra fraudem et dolum, tum velle quoque aliam regionem nostrae addere, quam ipsi nostro arbitrio optaverimus: nos tamen reverentia Iovis Graeci, et pro atroci ducentes prodere Graeciam, non annuimus, sed omnia recusavimus, quamvis iniuria affecti a Graecis ac vehementer proditi. Qui, etsi non ignoremus conducibilius esse nobis societatem inire cum Persa, quam bellum gerere, tamen sponte nostra societatem non inibimus. Et sic quidem quod nostri est officii, purum simplexque administratur erga Graecos. At vos, qui tunc in omnem metum deveneratis, ne pacisceremur cum Persa, posteaquam compertam penitus habuistis sententiam nostram nequaquam prodendi Graeciam, et murum, quem in Isthmo inaedificabatis, absolvistis, et sane nullam habetis Atheniensium rationem; et quum conveneritis nobiscum de occurrendo Persae ad Boeotiam, desertores exstitistis, pro nihilo ducentes barbarum Atticam esse ingressum. Itaque vobis Athenienses in praesens usque succensent, quod non estis officio functi: quod superest, ut primo quoque tempore nobiscum copias mittatis iubent; quo barbarum in Attica excipiamus. Quoniam enim in Boeotia tergiversati sumus, nostra in terra campus Thriasius appositissimus est ad dimicandum.

8. Haec ubi accepere Ephori, responsum in diem posterum distulerunt, postero die in alterum: idque in decem dies fecerunt, diem de die extrahentes. Intra quod tempus universi Peloponnenses magno studio incumbentes, Isthmum muro interclusere, ad finemque perduxere. Neque ausim dicere causam, cur isti magnopere solliciti fuerint, quum Alexander Macedo Athenas venit, ne Athenienses Medum amplecterentur, nunc autem nihil prorsus curaverint, aliam, quam quod ipsis Isthmus inaedificatus erat. Ita putabant non amplius quicquam Atheniensibus indigere. At sub adventum Alexandri in Atticam, murus nondum perfectus erat; sed extruebant, Persarum vehementi metu capti.

9. Tandem et responsum et exitus Spartiatarum fuit huiusmodi: Pridie quam ultima constitutio futura esset, Chileus, vir Tegeata, apud Lacedaemonios maximae inter peregrinos potentiae, acceperat ex Ephoris omnia: quae Athenienses dixissent: et quum audivisset, his verbis eos alloquutus est; Ergo ita se res habet, viri Ephori: si Athenienses non sentiunt nobiscum, sed cum barbaro societatem inierint quamvis valido muro sit

Isthmus inaedificatus, tamen magnae fores patefactae sunt Persis in Pelpponnesum. Quare prius eos audiatis, quam aliquid decernant, quod cladem Graeciae adferat.

10 Hoc Chileus consilium dedit: quod in animum admittentes Ephori confestim nihil colloquuti cum nunciis, qui a civitatibus venerant, quinque millia Spartiatarum quum adhuc nox esset emittunt, septenis helotis circa unumquemque collocatis, Pausani Cleombroti filio iusso eos educere: erat quidem praefectura Plistarchi Leonida geniti: sed adhuc is puer erat, alter eius tutor et patruelis: nam Cleombrotus Anaxandridae filius, pater Pausaniae, iam non supererat, non diu post quam copias, quae murum extruebant in Isthmo, reduxerat, vita functus. Reduxerat autem ab Isthmo copias Cleombrotus ob eam causam, quod sibi inter sacrificandum adversus Persam sol in coelo obscuratus esset. Adscivit autem Pausanias sibi Euryanactem, Dorici filium suum gentilem.

11. His copiis e Sparta cum Pausania profectis, nuncii de illarum profectione ignari, ubi dies illuxit, Ephoros adeunt, habentes scilicet in animo abire in suam quique civitatem. Ubi adierunt, ita verba fecere, Vos quidem, Lacedaemonii, desidentes hic Hyacinthia agitis, ac luditis, sociis foede proditis: Athenienses vero, ut a vobis laesi, et ob penuriam sociorum, ita ut poterunt inimicitias cum Persa dissolvent. Dissoluto autem inimicitia palam prorsus, quum regis fuerimus socii militiae, commilitabimus in quamcunque regionem nos illi educent. Inde vos discetis quidnam vobis ex ea re eveniat. Haec loquutis nunciis, Ephori iureiurando interposito dixere, suas se copias putare in Orestio esse, tendentes adversum peregrinos. Peregrinos enim barbaros appellabant. Hoc illi non intelligentes, quid diceretur, sciscitabantur. Sciscitati, et rem omnem edocti atque stupefacti quam celerrime abiere ad illos insequendos, et cum iis quinque millia finitimorum Lacedaemoniorum delecta.

12, His Isthmum versus ire maturantibus, Argivi ubi primum audiere copias e Sparta cum Pausania profectas, praeconem, quem optimum e diurnis cursoribus invenerunt, in Atticam mittunt ad Mardonium: qui videlicet antea receperant se futuros impedimento, quominus Spartiata egrederetur. Praeco ubi Athenas pervenit, Mardoni, inquit, miserunt me Argivi nunciatum tibi iuventutem e Lacedaemone esse progressam, neque

ne illa progrederetur praestare nequisse. Ad haec tu bonum consilium adhibe. Hoc ille loquutus, retro abscessit.

13. Quo audito Mardonius iam non censebat amplius perstare in Attica; ubi ideo antequam istud intelligeret, immôratus fuerat, quod cuperet scire consilia Atheniensium et quid acturi essent, neque populans neque laedens Atticum agrum, assidue sperans fore, ut secum illi paciscerentur. Quod ubi desperavit, re comperta; priusquam Pausanias cum copiis Isthmum egrederetur, subduxit exercitum, incensis Athenis et siquid aut murorum aut aedium aut templorum rectum exstabat, eo omni diruto atque obruto. Ideo autem excedendum sibi putavit, quod neque equitabilis esset Attica regio, neque, si ipse male pugnasset; evadere poterat nisi per angustias, ubi a paucis hominibus transitu prohiberi posset. Statuit igitur recedere illinc Thebas, ut confligeret prope civitatem amicam, ac regionem equitibus opportunam.

14. Profecto illinc ita Mardonio et iam iter facienti perfertur nuncius properans, alium exercitum mille Lacedaemoniorum Megara iter habere. Eo audito consultabat, siquo pacto hos primum posset excipere. Itaque conversum exercitum ducebat Megara, praemisso equitatu, qui oram Megaridem incursaret. Huc usque Europae ad solem occidentem versus longissime processit haec Persica expeditio.

15. Post haec nuncius ad Mardonium venit, Graecos in Isthmo frequentes coactos esse: atque ita retrocessit per Deceleam. Magistratus enim Boeotorum accolas Asopiorum arcessierant, qui Mardonium in Sphendaleas et illinc in Tanagram duces itineris deduxerunt. In Tanagra noctem moratus Mardonius, postero die ad Scolon conversus in agro Thebano erat. Ibi Thebanorum rura, tametsi Medicas partes foventium, vastavit; non illorum odio, sed ingenti necessitate adactus: quod vellet munimentum castris apponere: et si sibi in acie non cederet ex sententia, effugium comparare. Exporrexit autem castra sua ab Erythris, secundum Hysias, Plataeensi tenus agro, iuxta flumen Asopum: muro communiens, sed non pro magnitudine castrorum, verum per singulas frontes dena stadia habente. Hoc in opere barbaris occupatis Attaginus Phrynonis filius, vir Thebanus, convivio magnifice apparato Mardonium ipsum et Persarum honoratissimos quinquaginta ad hos-

pitales epulos invitavit: invitati illi hominem sunt sequuti: fiebat autem coena Thebis:

16. Cetera quae referam: ex Thersandro accepi, viro quidem Orchomenio, sed Orchomeni inter primos honesto: qui se quoque aiebat ad hanc coenam ab Attagino fuisse invitatum cum quinquaginta Thebanis: nec utrosque seorsum discubuisse, sed in quovis lecto Persam et Thebanum. Post coenam quum potioni daretur opera, Persam, qui eodem toro recumbebat, Graece ipsum interrogasse cuius esset, se vero respondisse Orchomenium esse: tum illum dixisse, Quoniam tu mihi mensae consors et libaminum effectus es volo tibi relinquere sententiae meae monumenta, ut ipse quoque praescius huius rei, queas tibi consulere. Cernis hos Persas inconvivium acceptos, et copias quae ad flumen in castris relictae sunt? horum omnium parvo post tempore pauculos cernes superstites. Et intec dicendum multas lacrymas Persam effudisse. Admiratumque se eam orationem, ad illum dixisse, Nonne haec Mardonio expedit dicere, et iis Persis qui secundum eum in honore sunt? Et illum post haec subiecisse Hospes, quicquid ex deo fieri oportet, id ab homine nulla ratione averti potest: nam ne credibilia quidem dicentibus credere quisquam vult. Atque haec permulti Persarum quum sciamus, tamen sequimur illigati necessitate. Est autem moeror hic in hominibus acerbissimus, eum qui multum sapit nullius rei potentem esse. Haec ego ex Orchomenio Thersandro audiebam, atque ista insuper ipsum haec statim hominibus memorasse, priusquam proelium ad Plataeas factum est.

17. Porro Mardonio in Boeotia staiva habenti, praebuerunt copias allii quidem omnes, et simul invaserunt Athenas, quotquot cum Medis sentiebant: ex Graecis illic habitantibus; soli huius irruptionis non fuere participes Phocenses: nam et isti vehementer Medis studebant; non tamen voluntarii, sed coacti. Sed iidem non multis post diebus quam Thebas itum est, et ipsis advenere, mille armati duce Harmocyde inter populares spectatissimo. Eos Mardonius, ubi Thebas pervenere, missis equitibus iussit seorsum in campo subsidere: quod quum fecissent, protinus adfuit universus equitatus. Unde postea rumor exercitum Graecorum, qui cum Medis erant, pervasit, Phocenses ab equitatu iaculis confossum iri: quinetiam per ipsos Phocenses idem divulgatum est: quos tunc dux suus Harmocydes his verbis adhortabatur, O Phocenses, palam est hos homi-

nes certae nos neci destinasse, accusatos, ut suspicor, a Thessalis. Quare unumquemque vestrum iam oportet egregium virum esse. Praestat enim facientes aliquid et defendentes finire vitam quam dedentes nos foedissima morte trucidari. Sed et discat eorum aliquis illos barbaros Graecis hominibus mortem machinatos fuisse.

18. His suos Harmocydes hortabatur. Quos ubi concludere equites, invehebant tanquam ad eos occidendos; et sane tela intendebant, veluti emmissuri: et forsan aliquis emisit. Phocenses ex adverso stantes et undiquaque se vertentes et quammaxime condensati quum sese oponerent, ibi equites digressi retro abiere. Affirmare autem pro certo nequeo, an ad hos interficiendos rogatu Thessalorum ierint; et posteaquam animadverterunt, eos ad defendendum se convertere, veriti ne sibi quoque vulnera inferrentur, ita retro abscesserint, tanquam a Mardonio iussi: an experiri voluerit num quid isti roboris haberent. Post abscesum autem equitatus, misso ad eos praecone, Mardonius ita inquit, Bono estote Phocenses animo: viros enim strenuos vos esse dedistis specimen, non tales quales ego audieram. Quo magis alacri animo tolerate hoc bellum: non enim aut me beneficiis aut regem vincetis. Hactenus quae circa Phocenses sunt gesta.

19. Lacedaemonii ubi ad Isthmum venere, illic castra communiere: quod quum audirent ceteri Peloponnenses, quibus meliora cordi erant, alii quoque cernerent Spartiatas egressos, indignum putaverunt a Lacedaemoniis se in exeundo superari: itaque quum pulchre litatum esset, cuncti ex Isthmo profecti sunt et Eleusinem perveniunt: ubi quum factis sacris etiam pluchra fuisent exta, ire perrexerunt; cumque illis Athenienses e Salamine transmittentes, et in Eleusine admixti. Isti posteaquam ad Erythras Boeotiae venere, cognito barbaros ad Asopum castra habere, inito de hac re consilio, e regione tetenderunt ad Cithaeronis radices.

20. In quos Mardonius, quod in campum non descenderent, omnem immittit equitatum, cui praeerat Masistius a Graecis Macisius dictus, vir apud Persas inclytus, Nisaeo equo insidens, aureo freno et alliis insignibus eximie ornato. Equites ubi appropinquarunt Graecis, per turmas aggressi, multum detrimenti inferebant, et feminas eos apellabant.

21. Erant forte Megarenses ea parte collocati, qua nulla alia magis ab equitatu adiri poterat: hac, impressione facta equitum, Megareses quia premebantur, mit-

tunt ad duces Graecorum praeconem, qui ita, quum venit, verba fecit, Megarenses aiunt, viri socii, nos excipiendo hostium equitatui soli impares sumus, qui tenemus hanc, in qua collocati sumus principio, stationem: ubi hactenus tametsi pressi, tamen strenue fortiterque resistimus: nunc nisi alios nobis substituatis, qui excipiant pugnam, scitote nos ab acie discessuros. Haec ubi praeco nunciavit, Pausanias experiri fecit Graecos, siqui alii ultro ad locum irent, ut Megarensibus succederent. Recusantibus ceteris, Athenienses suscepere hoc munus, videlicet eorum trecenti delecti, quibus praeerat Olympiodorus Lamponis filius.

22. Hi fuere, qui succederent, et prae aliis Graecis ad Erythras castra habentibus in aciem compositi fuerunt, sagittariis assumptis: qui quum aliquandiu pugnassent, hic fuit pugnae exitus: Impressionem facientis per turmas equitatu, equus Masistii, ut erat prae aliis eminens, sagitta latera ictus est: quo dolore in pedes erectus: Masistium excussat. Collapsum confestim Athenienses urgent: et tum equum prehendunt, tum equum prehendunt, tum hominem sese defensantem interimunt, quum aliquamdiu non potuissent. Ita enim erat armatus: scilicet intus gerebat thoracem aureis squamis consertum, desuper purpuream tunicam. Eius thoracem quum ferirent, non prius aliquid profecerunt, quam quidam re animadversa illum percussit in oculo. Ita Masistius collapsus interiit. Haec autem res latebat alios equites: non enim eum aut ab equo cadentem viderant aut occumbentem: et quum in praelio fieret nunc subvectio, quod actum erat non cognovere; sed postquam constitere, quia nemo ipsis imperabat, statim desideraverunt: cognitoque quod gestum erat, mutuo se adhortati, omnes in hostem equos admisere, ut cadaver eriperent.

23. Eos autem conspicati Athenienses non iam turmatim sed universos pariter irruere, ceterum exercitum inclamaverunt. Sed dum omnis peditatus auxilio veniebat; interea cietur acre proelium de cadavere. Quamdiu igitur soli erant isti trecenti, multo inferiores erant, et cadaver deserebant: at ubi praesidio venere copiae, non amplius perstitere equites, neque illis contigit mortuum eripere, sed alios super illum e suis amisere. Digressi illinc duo circiter stadia, consultantes quid facto opus esset, decrevere sibi carentibus praefecto eundum ad Mardonium.

24. Ubi in castra rediere, maximus luctus cum omnem exercitum, tum vero Mardonium cepit, extincti Masistii: et seipsos et equos et iumenta tondentes eiulatu tristissimo usi sunt, ita ut eius echo omnem Boeotiam pervaserit, utpote amisso viro secundum Mardonium honoratissimo tam apud Persas quam apud regem. Et barbari quidem suo more Masistium defunctum honorabant.

25. Graeci autem, postquam equitatum invadentem excepere, et expetum repulere, tum multo sunt audaciores effecti, tum ante omnia cadaver plaustro impositum per ordines circumtulerunt: erat autem spectaculo digna proceritatis ac formae gratia. Idcirco etiam istud faciebant, relictis ordinibus ad intuendum Masistium pergebant. Dehinc censuerunt ad Plataeas descendendum, quod sibi Plataeensis ager multo videbatur opportunior habendis castris quam Erythraeus, cum propter alia, tum propter aquae ubertatem. Ad eum locum et ad fontem Gargaphien, qui ibidem est, decreverunt abeundum esse, et bene dispositos metari castra; et sumptis armis ierunt per radices Cithaeronis praeter Hysias in agrum Plataeensem. Eo quum pervenere, ordinati sunt per nationes proxime fontem Gargaphien, et fanum Androcratis herois per non editos tumulos et locum planum.

26. Ibi in disponendis nationibus magna sane altercatio exstitit inter Tegeatas et Athenienses, utrosque se dignos qui alterum cornu tenerent arbitrantes, et sua facinora praeclara tum recentia tum prisca referentes. Dicebant quidem his verbis Tegeatae, Hoc nos semper digni loco, ubi staremus, e sociis omnibus habiti sumus; quotiescunque a Peloponnensibus communiter in externas expeditiones itum est, et proxime, et quondam iam inde ex quo Heraclidae post mortem Eurysthei sunt conati in Peloponnesum redire: quo tempore hanc dignitatem assequuti sumus ob hanc rem gestam. Posteaquam cum Achaeis et Ionibus, qui tunc Peloponnesum incolebant, nos auxiliarii in Isthmum profecti consedimus adversus eos, qui redibant; tunc Hyllus orationem habuit, non expedire ut uterque exercitus confligendo periclitaretur; sed ut ex Peloponnensi exercitu, quem suorum iudicarent praestantissimum esse, in secum singulari certamine demicaret conceptis legibus. Placuitque ita fieri Peloponnensibus, et iusiurandum in haec verba dederunt; Si vinceret Hyllus Peloponnensium ducem, ut Heraclidae in paterna reverterentur; sin victus esset, retro Heraclidae cederent

et exercitum abducerent, neve per annos centum de redeundo in Peloponnesum agitarent. Ab omnibus sociis ad eam rem voluntarius electus est dux atque idem rex noster Echemus Aëropi filius, Phegei nepos, qui singulari congressus certamine Hyllum interemit. Ex quo facto nos cum alia decora magna inter eius aetatis Peloponnenses assequuti sumus, quae adhuc obtinemus, tum hoc, ut alteri cornu praeessemus quoties communiter itur in expeditionem. Et vobis quidem Lacedaemonii non adversamur, sed optionem cedentes utri cornu praeesse malitis indulgemus: alteri vero cornu, ut nos praesimus, dicimus convenire, quemadmodum in anteriore tempore. Etiam vero citra hoc factum quod narratum est, Atheniensibus sumus digniores, qui huius ordinis decus obtineamus: quippe qui prospere et multa vobiscum, viri Spartiatae, certamina decertavimus, et multa cum aliis. Quo fit ut aequius sit nos alterum cornu tenere quam Athenienses: a quibus non tales gestae res sunt quales a nobis, neque vetustae. Haec Tegeatae.

27. Ad quae hunc in modum responderunt Athenienses, Scimus quidem has copias pugnandi cum barbaro, non altercandi gratia esse contractas; tamen quoniam Tegeata referre constituit praeclara facinora tum vetusta tum nova, quae per omne tempus ab utrisque edita sunt, necesse habemus et nos exponere apud vos, unde nobis patrium sit, dum publice utiles sumus, semper esse primis potius quam Arcadibus. Heraclidas, quorum ducem isti apud Isthmum se praedicant interfecisse, primo quidem eiectos prius ab omnibus Graecis, quos illi adibant fugientes servitutem Mycenaeorum, nos soli excepimus; et Eurysthei iniuriam una cum eisdem pugnando propulsavimus, victoriaque potiti sumus de iis, qui tum Peloponnesum tenebant: deinde Argivos, qui ad Thebas cum Polynice militaverant, vita defunctos et insepultos, ducta in Cadmeos expeditione dicimus recepisse sua cadavera et in nostra terra apud Eleusinem humavisse. Iam vero nostrum praeclarum facinus exstat etiam in Amazonidas, quae a flumine Thermodonte aliquando in Atticam terram excurrere. Ac quidem in laboribus Troicis nequaquam fuimus segnes. Sed nihil admodum proficit horum fecisse mentionem: etenim qui tunc egregii fuere, iidem nunc queant esse inertiores, et tunc instrenui, nunc sint meliores. Itaque satis sint de rebus priscis ista. Ut nullae autem res aliae nobis gestae sint, quae multae et prae-

clarae sunt, si ullis etiam aliis Graecorum, certe ob rem in Marathone gestam digni sumus, qui hoc decus et alia insuper obtineamus: qui soli Graecorum per nos cum Persa dimicavimus, et rem tantam aggressi, victores evasimus, sex et quadraginta nationibus superatis: quo solo nomine an non meruimus, et hunc loci honorem iuste consequamur? Verum non decet in hac rerum conditione de ordine contendere: ubicunque et iuxta quoscunque vobis, Lacedaemonii, videbitur appositissimum nos stare, illuc euntes obtemperabimus. Ubicunque enim loci nos collocati fuerimus, conabimur strenui existere: itaque ducite nos tanquam vobis parituros.

28. Haec quum pro sua parte dixissent Athenienses, cunctus Lacedaemoniorum exercitus succlamavit digniores, qui cornu tenerent Athenienses quam Arcades. Ita Athenienses Tegeatis superiores habuere cornu. Mox hunc in modum ordinati sunt et qui supervenere Graecorum, et qui a principio venerant: Dextrum cornu tenebant Lacedaemoniorum decem millia: quorum quinque millia erant Spartiatae, quos custodiebant leviter armata triginta quinque hilotarum millia, septenis circa singulos viros collocatis. Applicuerant autem sibi Spartiatae Tegeatas, ut proximi starent, honoris et virtutis ergo, numero mille et quingentos armatu pleno. Secundum hos stabant Corinthiorum quinque millia. Prope ipsos impetraverant ab Pausania stare trecentos Potidaeatas eorum, qui ex Pallene erant. Iuxta hos stabant Arcades Orchomenii sexcenti: iuxta hos Sicyoniorum tria millia. His appositi erant Epidauriorum octingenti: super hos locati erant Troezenii mille: iuxta Troezenios ducenti Lepreatae: post hos Mycenaeorum et Thiryntiorum quadringenti. Secundum hos, mille Phliasii: dehinc Hermionenses trecenti: iuxta Hermionenses, Eretriensium et Styrensium sexcenti: iuxta hos, Chalcidenses quadringenti: post hos, Ampraciatarum quingenti: post eos, Leucadiorum et Anactoriorum octingenti. Hos sequebantur Paleenses ex Cephallenia, ducenti Aeginetarum quingenti: iuxta hos Megarensium tria millia, quibus adstabant Plataeenses sexcenti. Ultimi iidem primi stabant Athenienses, laevum tenentes cornu, octo millia, duce Aristide Lysimachi filio.

29. Hi omnes, praeter eos qui septeni circa singulos ab Spartanis statuti erant, fuerunt numero triginta octo millia et septingenti. Gravis quidem armaturae omnes, adversus barbarum contracti, tot erant:

Leviter vero armati, triginta quinque millia, septeni circa singulos Spartiatas collocati, quorum unusquisque ad pugnandum erat instructus. Certerorum autem Lacedaemoniorum ac Graecorum leviter armati, utpote viro uno circa virum unumquemque stante, triginta quatuor millia quingenti. Summa igitur totius levis armaturae, quae pugnare posset, sexaginta novem milia quingenti.

30. Totus autem Graecus exercitus qui ad Plataeas coiit pugnae aptus, tam levis quam gravis armaturae, fuit centum et decem millium, minus mille et octingentis. Sed numerus centum et decem millium explebatur ab Thespiensibus, qui aderant; quippe etiam Thespienses in exercitu superstites ad mille et octingentos, qui nec ipsi arma habebant. Et hi quidem ad flumen Asopum positi castra metabantur.

31. Barbari vero qui cum Mardonio erant, posteaquam Masistium eluxerunt, cognito Graecos apud Plataeas esse, et ipsi ad Asopum qui illac fluit, ita sunt e regione a Mardonio collocati: Adversus quidem Lacedaemonios Persae: qui quia copia antecedebant, et in ordines plures erant digesti, usque ad Tegeatas opponebantur: ita ut quod robustissimum in exercitu erat: id omne contra Lacedaemonios; quod infirmius, id contra Tegeatas esset. Haec faciebat Mardonius Thebanorum indicio atque admonitu. Iuxta Persas autem collocavit Medos, ut ex adverso essent Corinthiis et Potidaeatis et Orchomeniis et Sicyoniis. Post Medos collocavit Bactrios ex adverso Epidauriorum et Troezeniorum et Lepreatarum ac Tirynthiorum Mycenaeorumque et Phliasiorum Secundum Bactrios collocavit Indos ex adverso Hermionensium et Eretriensium Styrenensiumque et Chalcidensium. Post Indos statuit Sacas oppositos Ampraciatis, et Anactoriis, et Leucadiis, et Palensibus, et Aeginetis. Post Sacas posuit ex adverso Atheniensium Plataeensiumque ac Megarensium, Boeotos et Locros et Melienses et Thessalos, et mille Phocensium. Non enim Phocenses omnes a partibus Medorum stabant, sed eorum nonnulli et Graecis studebant ad Parnassum compulsi: et illinc excurrentes, invadebant et vexabant Mardonii copias pariter et Graecorum, qui cum illo erant. Contra Athenienses item posuit Macedonas, Thessaliaeque accolas.

32. Hae nationum maximae nominatae sunt a Mardonio in aciem instructae, quae et celeberrimae erant et plurimi fiebant. Aderant ceterarum quoque gentium

intermixti viri, tum Phrygum, Thracum, Mysorum, Paeonum, et aliorum. Quinetiam Aethiopum et Aegyptiorum qui Hermotybies et Calasiries nominantur, gladio cincti, qui soli sunt ex Aegyptiis pugnaces: a Mardonio, quum adhuc esset in Phalero, e navibus in quibus propugnatores erant, in terram translati: non enim cum pedestribus copiis, quae cum Xerxe Athenas ierant, Aegyptii censi fuerant. Barbarorum igitur, ut etiam superius ostensum est, trecente millia fuere: Graecorum vero Mardonii auxiliariorum, nemo numerum, neque enim numerati fuerant, novit. Ut autem coniectura colligere licet, ad quinquaginta millia fuisse coniecto. Hi ex adverso instructi fuere pedites: equitatus vero seorsum erat collocatus.

33. Ita dispositi nationatim manipulatimque quum essent omnes, utrique etiam altero die sacrificaverunt. Apud Graecos sacrificus erat Tisamenus Antiochi filius, is enim hunc exercitum vates comitabatur, Eleus quidem et ex genere Iamidarum Clytiades, a Lacedaemoniis populo ipsorum insertus. Nam huic consultanti oraculum apud Delphos de prole respondit Pythia quinque ipsum maxima certamina excepturum. Quo non intellecto Tisamenus gymnasiis operam dabat, tanquam gymnicos agones excepturus, quumque se exerceret in quinquertione, praeter unum ludicrum ei processit vincere Olympia, veniens in contentionem cum Hieronymo Andrio. Lacedaemonii autem interpretantes non ad gymnica certamina spectare Tisameni oraculum, sed ad bellica, conabantur eum mercede conducere, ut una cum Heraclidarum regibus dux bellicorum certaminum foret. Hic videns Spartiatas plurimi facere ipsius amicitiam, id animadvertens, extendebat amicitiae suae decus: quod negaret se alio pretio id facturum, quam si Spartiatam se civem facerent, omnia iura civitatis impertientes. Id Spartiatae quum primo audissent, ferentes indigne, oraculum missum omnino fecerunt: tandem imminente ingenti Persici istius exercitus metu, arcessito annuebant. Eos iste immutatos intelligens, negare iam se eis solis esse contentum: sed oportere fratrem suum Hegiam etiam fieri Spartiatam eadem conditione qua et ipse fieret.

34. Hoc autem dicens imitabatur, ut coniectare licet, Melampodem, regnum pariter et civitatem poscendo. Etenim Melampus quum ab Argivis mercede conduceretur e Pylo ad compescendum morbum furoris mulierum suarum, poscebat pro mercede dimidium regni,

recusantibus id Argivis atque digressis, quum plures e mulieribus insanirent, ita obtemperantes, quod Melampus poposcerat daturi reverterunt. Ibi ille cernens hos esse immutatos, plura optavit, negans se indulturum quae vellent, nisi et fratri suo Bianti tertiam partem regni donassent. Argivi in arctum redacti hoc quoque annuerunt.

35. Ita Spartiatae, quum maiorem in modum Tisameno egerent, prorsus ei assenserunt: et concessu istorum Tisamenus Eleus Spartiata effectus quinque maxima certamina vaticinans cum eis suscepit. Hi ex omnibus hominibus soli sunt a Spartiatis civitate donati. Quinque autem certamina haec fuere: Unum et id primum hoc quod pugnatum est ad Plataeas: alterum, quod in Tegea cum Tegeatis atque Argivis: tertium, quod in Dipaeensibus cum universis Arcadibus praeter Mantineos: quartum, quod cum Messeniis ad Isthmum: ultimum, quod in Tanagra cum Atheniensibus et Argivis. Hoc autem ultimum peractum fuit quinque certaminum.

56. Tisamenus igitur Spartiatarum tunc ductor vaticinatus est Graecis in agro Plataeensi: et apud Graecos quidem pulchre litatum est, si se defenderent: non si Asopum transgressi pugnam capesserent.

37. Mardonio autem capessendae pugnae avido non exstitere pulchra exta, nisi et ipse sese defenderet; nam is quoque Graecis sacrificiis utebatur, haruspicem habens Hegesistratum virum Eleum, et Telliadarum praestantissimum. Hunc ante ea tempora Spartiatae quum cepissent, in vincula coniecerant morte affecturi, ut a quo multa et intoleranda perpessi fuissent. Ille in hac calamitate positus, utpote de vita periclitans, et qui ante mortem multa ac tristia foret passurus, rem perpetravit dictu maiorem: nam ut erat constrictus nervis ferro vinctis, ferro forte illato fuit potitus, et confestim excogitavit opus omnium, quae nos novimus, maxime virile. Coniectans enim qua ratione reliquum pedis educeretur, praecidit sibi plantam pedis, hoc acto, quippe ab excubitoribus custoditus, subfosso muro profugit Tegeam. noctu progrediens, interdiu sylvis se abdens atque immorans ita, ut Lacedaemoniis eum passim perscrutantibus, trinoctio Tegeam pervenerit, utque admirarentur magnopere hominis audaciam, cuius dimidiatum pedem iacentem cernerent, ipsum invenire non possent. Ita Hegesistratus Lacedaemoniis elapsus,

Tegeam, quae per id tempus non erat pacata Lacedaemoniis, transfugit. Sanato vulnere et ligneo pede adscito, ex professo Lacedaemoniis hostis exstitit. Sed non ad postremum ei protractum in Lacedaemonios odium profuit: nam in Zacyutho quum vaticinaretur, ab his captus atque interemptus est.

38. Verum hic Hegesistrati interitus posterior rebus Plataeensibus fuit. Tunc autem is a Mardonio non exigua summa conductus, cupide sacrificabat, cum in Lacedaemonios odio, tum lucri gratia. Quum igitur exta non essent pulchra ad pugnam committendam neque ipsis Persis, neque Graecis, qui cum illis erant, habebant enim et Graeci illi seorsum suum haruspicem quendam Leucadium Hippomachum, quamque adfluerent Graeci, et eorum numerus cresceret, suasit Mardonio Timegenides Herpyis filius vir Thebanus, ut exitus Cithaeronis custodiret, quod diceret assidue indies adfluere Graecos, ac fore, ut multos interciperet.

39. Iam autem dies octo abierant positis e regione castris, quum iste Mardonio hoc consilium dedit. Mardonius, admoneri se probe intelligens, primis tenebris equitatum mittit ad egressus Cithaeronis, qui Plateas ferunt: quae Boeoti Tria capita, Athenienses capita quercus appellant. Equites missi non frustra pervenere: nacti enim ingredientia campum quingenta iumenta, quae commeatum e Peloponneso ad exercitum subvehebant, cum hominibus, qui sequebantur vehicula, capiunt. Persae hanc praedam nacti, immisericorditer trucidant, neque iumento ulli neque homini parcentes. In quibus occidendis posteaquam satis sunt grassati, cum ceteris quae corripuerant, ad Mardonium sunt et ad exercitum reversi.

40. Post hanc rem gestam biduum absumptum est, neutris pugnam lacessere volentibus; nam etsi Asopo tenus barbari processerant irritandi Graecos gratia, neutri tamen sibi transeundum statuebant; equitatus modo Mardonii progrediebatur, et Graecos infestabat: quia Thebani, utpote in amorem Medorum vehementer propensi, ferebant alacriter bellum, et assidue provehebantur usque ad proelium: deinde excipientes Persae ac Medi, praecipue praeclara facinora edebant.

41. His amplius ad decem usque dies nihil est actum, at ubi undecimus dies exstitit considentibus ex adverso copiis ad Plataeas, et Graecis longe plures accesserant, quum etiam Mardonius stativa illa gravaretur, ibi venere in colloquium Mardonius Gobryae et Artaba-

aus Pharnacis filius, vir apud Xerxem inter paucos Persarum probatus, quorum consultantium hae fuere sententiae: Artabazi quidem, expedire motis quamprimum castris ire ad moenia Thebana, quae multum rei frumentariae ipsis multumque pabuli iumentis comparavissent; atque ibi considentes tranquille rem coficerent ita agendo. Quippe quum multum auri tum signati haberert multum etiam argenti ac poculorum, ne parcerent illis, sed ea ad Graecos mitterent, eos praecipue, qui civitatibus praesiderent, fore enim, ut illi suam celeriter traderent libertatem: neque rursus pugnandi adire discrimen. Eadem autem Thebanorum quae istius sententia erat, tanquam aliquid plus isto prospiciente. Mardonii autem sententia ferocior pertinaciorque, et nullo modo cedens: quippe opinantis multo meliorem suum esse quem Graecorum exercitum, et primo quoque tempore confligere, quam committere ut plures quam coacti erant cogerentur: Hegesistrati vero auspicia valere sinere, nec eis vim afferre: quinimo Persarum more servato confligere.

42. Mardonio ita opus facto esse censenti nemo contradicebat: qui; ubi sententia sua vicit, sicut penes eum erat summa imperii, non penes Artabazum, accitis cohortium praefectis et qui secum erant ducibus Graecorum, eos percontabatur, num aliquod oraculum scirent de Persis tanquam perituris in Graecia. Silentibus illis, quos advocaverat, partim quod ignorarent oracula, partim quod haud tutum putarent proferre, quod scirent, inquit ipse Mardonius, Quoniam vos aut nihil nostis, aut promere non audetis, ego rem proferam, utpote bene cognitam habens. Est oraculum, Persis fatale esse, ut in Graeciam prefecti diripiant templum quod Delphis est, utque direpto templo omnes intereant. Quocirca, quum hoc sciamus, neque adibimus templum istud; neque diripere conabimur, ob hanc causam interitum devitaturi, quo nomine quicunque vestrum bene Persis volunt, voluptatem capiant: tanquam nobis Graecos superaturis. Haec loquutus, secundo loco signum dedit, ut omnia appararent, veluti sub lucis exortu preelio futuro.

43. Oraculum autem, quod ad Persas aiebat spectare Mardonius, id ego scio non Persis redditum esse, sed Illyriis et Encheleum copiis, Ab Bacide autem de hoc proelio ista edita sunt,

Gramineis ripis Asopi ac Thermodontis
Barbaricae Graiis acies clamore coibunt.

Hic multi occumbent defuncti munere vitae,
Quando sagittiferis aderit lux ultima Medis.

Haec ego atque alia e Musaeo novi ad Persas spectavisse. Fluvius autem Thermodon Tanagram ac Glisantem interfluit.

44. Postquam Mardonius de oraculis interrogavit, exhortatusque suos est, veniente nocte excubiae dispositae fuere. Eius noctis, quum multum processisset, conticiniumque in exercitu esset et tempus maxime concubium, tunc Alexander Amyntae filius, dux et idem rex Macedonum, ad excubias Atheniensium adequitavit, efflagitavitque, ut cum ducibus colloqueretur. Id audientes excubitores, plerique quidem remanserunt, nonnulli ad duces concurrerunt, quibus aditis inquiunt, quendam equo advehere e castris Medorum: qui nihil aliud proloqueretur, nisi nominatim appellans duces, velle se in colloquium illorum venire.

45. Duces, hoc audito, confestim ad locum excubiarum sequuti sunt: quos Alexander ubi venere, his verbis alloquutus est, Viri Athenienses: haec ego vobis verba pro deposito trado arcana, ne cui efferatis nisi Pausaniae: ne ob id me perditum eatis. Quae haudquaquam dicerem: nisi de universa Graecia sollicitus essem: quippe qui vetusta origine Graecus sum, nec vellem videre Graeciam pro libera servam. Itaque vos certiores facio, Mardonium atque exercitum litare non posse; alioqui olim iam confligeretis. Is nunc sacrificia valere sinere constituit, et ubi primum illuxerit, vobiscum confligere: extimescens admodum, quantum ego coniicio, ne plures ad copias vestras accedant. Ad haec vos parati estote. Quod si differet Mardonius, nec committet certamen, vos perseverate hic manere: ad paucos enim dies eis suppeditat commeatus. Quod si hoc bellum vobis ex sententia finietur, decebit etiam aliquem recordari meae liberationis, qui Graecorum causa rem adeo periculosam, libenter tamen feci, ut ad vos consilium Mardonii deferrem; ne barbari ex improviso vos non exspectantes adorientur. Ego autem sum Alexander Macedo. Haec loquutus Alexander, ad exercitum se recepit, ad suamque stationem.

46. Duces Atheniensium ad cornu dextrum profecti, quae ab Alexandro audierant, Pausaniae retulere. Hoc sermone Pausanias in metum Persarum adductus, Quoniam igitur, inquit, sub auroram proelium fiet, necesse est vos Athenienses stare in acie adversus Per-

sas, nos autem contra Boeotos et vobis oppositos Graecos, ideo quod Medos cognoscitis et pugnam eorum, ut qui in Marathone pugnaveritis: nos vero eorum sumus inexperti atque ignari; nemo enim Spartiata fecit periculum Medorum, sed Boeotos et Thessalos sumus experti. Itaque opus est sumtis armis vos in hoc, nos in sinistrum cornu transire. Ad haec ita responderunt Athenienses, Nobis quoque olim iam inde ab initio, posteaquam aspeximus Persas adversus vos esse collocatos, fuit in animo istud dicere quod vos dicere occupastis: sed verebamur, ne non grata esset vobis oratio, nunc quandoquidem ipsi fecistis huius rei mentionem, et nobis iucunda oratio est, etiam parati sumus istud exequi.

47. Ubi hoc utrisque placitum est, simul aurora illuxit, simul loca permutaverunt, rem vero advertentes Boeoti, ad Mardonium detulerunt. Ea audita Mardonius extemplo et ipse conatus est Persas contra Lacedaemonios ob ducere. Pausanias autem hoc fieri intelligens, nec latere factum suum, rursus in dextrum cornu Spartiatas reducit; similiter etiam Mardonius suos in sinistrum.

48. Postquam acies pristino in loco stetere, idem misso caduceatore ad Spartiatas ita inquit, Lacedaemonii, vos vero ab his gentibus mire celebramini esse praestantissimi, qui neque e bello fugiatis, neque ordines deseratis, sed perstantes aut interficiatis hostes, aut ipsi occumbatis. Horum nihil admodum veri est, quippe antequam congressi essemus et manus consereremus, vos cernimus fugientes, locumque deserentes, et delegato Atheniensibus experiendi principio, consistentes ex adverso nostorum servorum: quod neutiquam est factum praestantium virorum. Ex quo plurimum de vobis nos fefellit opinio, quos expectabamus pro gloria missuros caduceatorem ad nos, quo provocaretis, quod cum solis Persis pugnare velletis, nos id facere parati nihil tale invenimus vos dicere, sed potius esse perterritos. Nunc igitur quoniam vos non incepistis hoc dicere, sed nos incipimus, quidni vos pro Graecis quia praestantissimi esse existimamini, et nos pro barbaris dimicemus totidem utrique numero? et, si videatur ut ceteri quoque itidem, et illi postmodum pugnent sin hoc non videatur, sed satis esse nos solos, nos sane decernamus, et utri e nobis vicerint, ii totum exercitum vicisse censeantur.

49. Haec fatus caduceator, quum aliquamdiu ex-

pectasset, nemine quippiam respondente, retro abiit, et rem Mardonio retulit: Ille maiorem in modum laetatus, et frigida victoria elatus, equitatum in Graecos immisit. Equites illuc invecti, omnem Graecum exercitum pevexabant, iaculis sagittisque incessentes; quippe equites sagittarii, et accessu ad cominus pugnandum difficiles. Itaque fontem Garaphien, unde cunctus Graecorum aquabatur exercitus, conturbarunt obstruxeruntque. Eum iuxta fontem soli Lacedaemonii ordinati erant; ceteri Graeci, utquique locum nacti erant, procul aberant, Asopus autem in propinquo: sed aquari ex eo ab equitibus missilibusque prohibiti, ita ad fontem pergebant.

50. Haec quum talia forent, duces Graecorum, quippe aqua exercitu carente, et perturbato ab equitatu, tum his, tum alliis de causis frequentes ad Pausaniam in dextrum cornu veniunt. Qui, etsi talis esset rerum status, tamen magis angebatur, quod iam re frumentaria deficiebantur, et illorum servi in Peloponnesum missi frumentatum, intercluderentur ab equitatu, quominus ad castra reverterentur.

51. De hoc autem deliberantibus ducibus visum est, si Persae eo die supersederent committere proelium, esse eundum in insulam, quae ab Asopo et a fonte Gargaphie, ubi tunc castra habebant, decem stadiis aberat, ante oppidum Plataeense, ita ut insula sit in continente, hunc in modum: fluvius superne e Cithaerone delabens in campum, divortia facit: intercapedine trium ferme stadiorum sua fluenta separans, et post commiscet in unum. Nomen est Oëroë; quam Asopi filiam esse indigenae aiunt. In hunc locum Graeci transire decreverunt, ut et affatim aquae ad usum haberent, neque ab equitatu, sicuti quum ex adverso erant, infestarentur. Et decreverant transire secunda noctis vigilia, ne ipsos proficiscentes conspicati Persae, insequente equitatu in tumultum venirent: quinetiam quum ad eum locum ventum esset, ubi Asopi filia Oëroë divortio aquarum e Cithaerone cingitur, mitterent sub noctem istam dimidium copiarum in Cithaeronem ad recipienda servitia quae frumentatum concesserant, erant enim illa in Cithaerone interclusa.

52. Haec ubi statuerunt, totum illum diem incessente equitatu immensum laborem pertulerunt. Sub abitum diei digressis equitibus ea noctis hora, qua de abeundo convenerat, plerique sublatis utensilibus abscesserunt, non habentes in animo locum qui convenerat

petere, immo illi, ut moveri coeptum est, cupide equitatum effugerunt ad urbem Plataeensem, in templumque Iunonis fugiendo perveniunt, quod situm est ante urbem, a fonte Garaphie viginti stadiis distans.

53. Quo ubi pervenere, positis pro templo armis, circa templum ipsum castra posuere. Hos Pausanias cernens ab exercitu digressos, praecepit et ipse Lacedaemoniis; ut sumptis armis irent qua ceteri praecederent, ratus illos tendere ad locum constitutum. Ibi ad obtemperandum Pausaniae ceteri praefecti parati quum essent, Amompharetus Poliadae filius tribunus cohortis Pitanatarum, negare se fugiturum peregrinos, neque ultro dedecoraturum esse Spartam: quinetiam mirari id, quod fieri cerneret, quippe qui colloquio superiori non interfuisset. Pausanias autem et Euryanax cum indigne ferentes non parere sibi illum, tum indignius cohortem Pitanensem ita eo animato: relictum iri: quod erat futurum, si ipsi eos missos facerent, gratia exequendi ea, quae cum aliis Graecis constituissent, ut periret desertus Amompharetus et qui cum eo erant; hoc reputantes substiterunt cum Laconicis copiis, conabanturque persuadere homini non id facto opus esse, et hi quidem hortabantur Amompharetum, solum ex Lacedaemoniis ac Tegeatis relictum.

54. Athenienses autem hoc sibi faciendum putarunt, ut ubi collocati erant, ibi tranquille sisterent, intelligentes Lacedaemoniorum ingenia aliud sentientium, aliud dicentium. Itaque ubi exercitus movere coepit, equitem e suis miserunt speculatum nunquid Spartiatae tentarent abire, an vero abire prorsus in animo non haberent; sciscitatumque a Pausania, quidnam facere oporteret.

55. Nuncius ubi pervenit ad Lacedaemonios, cernit in loco instructos, eorumque primores devenisse ad rixas. Hortantibus enim Amompharetum Euryanacte et Pausania, ne Lacedaemonii soli remanentes periclitarentur, necdum persuadentibus, donec ventum est ad iurgia, intervenit nuncius Atheniensis, Amomphareto inter altercandum sumente ambabus manibus saxum, et illud ante pedes Pausaniae ponente, ac dicente, se illo calculo sententiae suae calculum dare, non fugere peregrinos; peregrinos appellans barbaros. Eum Pausanias insanum nec potentem mentis vocans, ad nuncium Atheniensium, quae iussus erat percontantem, respondit, ut illis referret praesentem rerum suarum statum, obsecrans eos

ut ad sese venirent, et de discessu eadem quae ipsi agerent.

56. Nuncio ad Athenienses reverso, hos inter se altercantes aurora deprehendit. Ad id tempus moratus Pausanias, ratus Amompharetum non deserturum alios Lacedaemonios discedentes, prout et contigit, dato signo ceteros omnes per edita abduxit, Tegeatis sequentibus; Athenienses vero servatis ordinibus in contrarium iverunt Lacedaemoniis: nam hi tenebant praerupta et Cithaeronis radicem metu equitatus: Athenienses vero deorsum ad campum deflexere.

57. Amompharetus autem prorsus non credens ausurum ipsos relinquere Pausaniam, contendere, ut illic manentes non desererent ordinem. At ubi ii cum Pausania procedebant, tunc ratus ex bellicae artis iure illum deserere, sumptis armis cohortem lento gradu duxit ad reliquum agmen, quod decem circiter stadia digressum ad amnem Moloëntem, in loco qui dicitur Argiopius, ubi situm est templum Graecis Eleusiniae, substiterat, operiens Amomphareti cohortem, consilio ut si Amompharetus cum sua cohorte non discederet loco, in quo instructa erat, sed in eo persisteret, retro ad hominem suppetias iret. Itaque et Amompharetus cum suis ad ceteros pervenit. et omnis barbarorum equitatus ingruebat, agens pro sua consuetudine: nam quum inspexisset locum, ubi superioribus diebus habuerant Graeci castra, vacuum, admissis equis assidue ulteriora petens, illos adeptus urgebat.

58. Mardonius quoque cognito Graecorum nocturno abitu, inspectoque loco deserto, accitis Thorace Larissaeo et fratribus eius Eurypylo et Thrasydeio, inquit, Filii Aleuae, quidnam dicetis adhuc, quum haec deserta cernatis a Lacedaemoniis, quos negabatis vos finitimi ex acie fugere sed viros summos esse in re bellica? quos et prius vidistis locum in acie immutare, et nunc proxima nocte se fuga proripuisse videmus omnes: ostenderuntque quia illos oportebat cum iis proelio decernere, qui non falso sunt hominum praestantissimi, nullius sese pretii, inter Graecos, et ipsos nullius pretii viros, demonstrari. Ceterum vobis Persarum inexpertis sanequam facile ignoscebam, quum laudaretis istos, in quibus aliquid etiam notum simul erat: Artabazum autem vehementius admirabar formidare Lacedaemonios, et prae formidine sententiam dicere ignavissimam, expedire ex his castris nos in urbem Thebanorum concedere obsidendos, quam sententiam ipse rex ex me au-

diet. Sed de hoc alias dicetur. Nunc autem istis ita facientibus non est concedendum, sed instandum, donec intercepti nobis dent poenas eorum omnium, quae in Persas perpetrarunt.

59. Haec loquutus, Persas Asopo transmisso cursim ducit per vestigia Graecorum, tanquam fugam capessentium; et in Lacedaemonios ac Tegatas solos ingruebat, uam Athenienses in planum digressos propter praerupta non cernebat. Ceteri autem barbarorum agminum praefecti Persas moventes ad Graecos insequendos conspicati, sublatis confestim et ipsi signis cuncti insequuntur, pro se quisque accelerantes, nulla disciplina nulloque compositi ordine. Et isti quidem cum vociferatione ac turba instabant Graecis, tanquam rapturi.

60. Pausanias autem, ubi equitatu premi coepit, equite ad Athenienses, misso, haec dicit, Viri Athenienses, proposita dimicatione maxima, ut aut libera Graecia sit aut servituti obnoxia, prodimur a sociis nocte praeterita elapsis et nos Lacedaemonii et vos Athenienses. Inde igitur ita nobis visum est esse faciendum, ut quam strenuissime possumus defensantes: mutuo simus auxilio. Ac si quidem in vos primo impetum dedisset equitatus, oporteret sane nos et qui post nos stant, Tegeatas Graeciam non prodentes, subsidio vobis venire: nunc, quoniam totus in nos contendit, iustum est, vos ad partem maxime laborantem suppetias ferre. Quod si vobis ipsis aliquo discrimine occupatis fas non est subsidio venire, saltem hoc gratificamini nobis, ut sagittarios mittatis: quos agnoscimus longe omnium, qui in hoc bello sunt promtissimos esse ut etiam haec exaudiant.

61. Haec ubi audiere Athenienses, moverunt ad ferendam opem, et strenuissime propugnandum. At hos iam incedentes ea pars Graecorum, qui partes regias sequebantur ex adverso instructi invadit, ut amplius auxilium ferre non possent; nam quod obiiciebatur negotium, eos dolore afficiebat. Ita destituti Lacedaemonii, numero cum levi armatura quinquaginta millia, et Tegeatae numero tria millia, hi enim nusquam ab Lacedaemoniis dirimebantur, sacrificaverunt tanquam conflicturi cum Mardonio praesentibusque copiis: et quum litare non possent, multi eorum interea cadebant, multo plures vulnerabantur. Confertis enim gerris Persae ingentem vim sagittarum emittebant, adeo instanter, ut laborantibus Spartiatis, et quia litare non pote-

rant, respiciens ad templum Iunonis Plataeensium Pausanias, imploraverit deam, obsecraveritque ne spes sua ipsos frustraretur.

62. Adhuc eo deam his verbis invocante, Tegeatae prius exsurgentes in barbaros tendunt: statimque post Pausaniae preces sacrificantibus Lacedaemoniis exta pulchra exstitere: qui aliquanto post et ipsi in Persas eunt. Persae omissis arcubus ex adverso stetere. Ad quorum gerra primum pugna commissa est; quae quum cecidissent, iam atrox pugna constitit iuxta ipsum Cereris templum, eaque pertinax, donec ad propulsionem ventum est. Siquidem barbari prehensantes lanceas confringebant, nec audacia nec robore inferiores: sed inermes erant et praeterea imperiti, nec hostibus prudentia pares, etsi enim singuli, deni, pluresve aut pauciores irruebant conglobati tamen quia incidebant in Spartiatas, conficiebantur.

63. Mardonius, qua parte ipse ex equo albo ciens pugnam, mille delectis Persarum praestantissimis stipatus erat, ea maxime parte hostem urgebat, qui quamdiu superfuit, Persae resistentes seseque defensantes, stravere multos Lacedaemoniorum. Postea vero quam Mardonius mortuus fuit, et agmen quod circa illum robustissimum erat occubuit, tum demum alii quoque terga vertentes cessere Lacedaemoniis; quippe eis plurimum officiebat vestis armis vacans: inermes enim cum armatis praelium faciebant.

64. Ibi et ultio necis Leonidae de Mardonio peracta est, secundum oraculum Spartiatis redditum: et victoria omnium, quas unquam novimus, speciosissima potitus est Pausanias Cleombroti filius, Anaxandridae nepos. Huius autem superiorum maiorum nomina in Leonida recensui, illius enim iidem qui et Pausaniae maiores fuere. Oppetiit autem Mardonius ab Aeimnesto, viro inter Spartiatas eximio: qui aliquamdiu post bellum Medicum trecentos viros secum habens, apud Stenyclerum belli tempore cum omnibus Messeniis conflixit, ubi ipse et trecenti illi occubuere.

65. Ad Plataeas autem Persae, postquam a Lacedaemoniis in fugam versi sunt, nullo ordine ad castra sua contendunt, et ad murum ligneum, quem fecerant in parte agri Thebani. Tenet autem me admiratio, quum iuxta lucum Cereris dimicaretur, ne unum quidem Persarum visum esse intrasse fanum; neque circa templum occubuisse, sed plerosque in profano: sed

opinor, siquid de rebus divinis opinari oportet, deam ipsam eos non recepisse, qui sacrum quod est in Eleusine Anactorum concremaverant. Hactenus pugna haec gesta est.

66. Artabazus autem Pharnacis filius, cui iam inde ab initio displicuerat Mardonium relinqui ab rege, quique multis verbis pugnam dissuadens nec sinens praeliari nihil profecerat, hoc sibi agendum putavit. Is, quod sibi non placerent, quae a Mardonio fiebant, eos quibus praeerat, praeerat autem non parvis copiis, sed ad quadraginta usque millibus hominum, illos, inquam, dum proelium fiebat, quid futurum e proelio esset probe intelligens, quum parasset, ibat, tessera data, ut omne irent quacunque ipse duceret, et qua viderent ipsum festinantem. Sic iussas tanquam ad pugnam copias scilicet ducens, sed paullum progressus vernit Persas fugientes, ita non servato amplius eodem ducendi ordine, sed repente effuso cursu fugae se dedit, non ligneum murum versus, aut Thebana moenia, sed ad Phocenses, animo celerrime perveniendi ad Hellespontum, et hi quidem istuc iter intenderunt.

67. Ceteris autem Graecis qui stabant a regis partibus, ignaviter de industria agentibus, Boeoti tamen perdiu cum Atheniensibus decertaverunt. Nam ex Thebanis ii qui cum Medis sentiebant, non parva strenuitate utebantur, pugnantesque et non ignaviter agentes, ita ut trecenti primores eorum ac fortissimi illic ab Atheniensibus occisi fuerint. Ubi autem et isti terga dederunt, fugerunt non quo Persae et aliorum sociorum universa multitudo, quae et cum nemine pugnaverat, et nihil forte demonstraverat, sed Thebas versus fugerunt.

68. Omnem autem barbarorum rem pependisse a Persis, inde mihi fides fit, quod tunc et ipsi, antequam etiam cum hoste congrederentur, fugae se mandaverunt, quod Persas quoque cernebant fugientes, atque ita cuncti fugam capesserunt, praeter equitatum, tum alium, tum Boeotium: qui hactenus profuit fugientibus, ut assidue hostibus proximus iret arcens amicos fugientes ab Graecis, qui quidem sane victores sequebantur urgendo Xerxianos atque interficiendo.

69. Inter hunc caedis tumultum nunciatur reliquis Graecis qui circa templum Iunonis constituti erant, et a proelio abfuerant, peractum esse proelium et Pausaniam cum suis vincere. Ea re audita, Corinthii nullo ordine eunt per radicem montis et per colles viam in

alia ferentem recta, qua itur ad Cereris templum: Megarenses et Phliasii per campum, quae planissima viarum erat. Quos utrosque iam hosti propinquos nullo ordine irruere conspicati Thebanorum equites, quorum praefectus erat Asopodorus Timandri filius, equos in illos incitaverunt, et invecti sexcentos istorum straverunt; ceteros ad Cithaeronem impulerunt persequendo. Et hi quidem nulla cum laude perierunt.

70. At Persae ceteraque multitudo postquam ad ligneum murum fugerunt, turres, antequam Lacedaemonii advenirent, ascendere occupant. Illis conscensis quam optime possunt murum praestruunt, ex quo subeuntibus mox Lacedaemoniis, acrior exstitit muri oppugnatio. Nam quoad Athenienses abfuere, non modo sese defensabant, sed etiam Lacedaemoniis multo antecellebant, utpote ignaris murorum oppugnandorum: ut vero Athenienses supervenere, tum atrox circa murum pugna exstitit, eaque magno temporis spatio: sed tandem virtute et pertinacia Athenienses murum transcenderunt, subrueruntque, atque ea parte Graeci infundebantur, quorum Tegeatae introiere principes; iidemque sunt, qui tentorium Mardonii diripuerunt, et ex eo cum alia, tum vero equorum praesepe ex aere totum, spectatu dignum: quod praesepe Mardonii Tegeatae in templo Aleae Minervae reposuerunt, nam cetera quae cepere, in unum cum ceterorum Graecorum praeda contulerunt. Proruto muro barbari non amplius catervam cogere, nemo strenuitatis memor esse; et erant stupefacti, quippe intra exiguum locum exterriti et multae myriades hominum interceptae. Quos tam licite Graeci trucidabant, ut ex trecentis millibus militum, exceptis quadraginta cum quibus Artabazus aufugit, reliquorum ne tria quidem millia caedi superfuerint. E Lacedaemoniis autem, qui Spartani essent, unus et nonaginta sunt omnino desiderati: Tegeatarum, sedecim: Atheniensium, duo et quinquaginta.

71. Porro inter barbaros strenuissimi exstiterunt, e peditibus quidem Persae, ex equitibus autem Sacae, e viris vero, Mardonius: inter Graecos autem cum Tegeatae Athenienses que multum eminuerunt, tum virtute superaverunt Lacedaemonii. Quod nulla alia re possum ostendere, nisi quod omnes hi eos qui sibi oblati sunt vicerunt: Lacedaemonii vero quod robustissimum fuit hostilis exercitus superaverunt. Quorum longe praestantissimus exstitit mea sententia Aristodemus, is qui solus trecentorum, quod ex Thermopylis evasisset,

dedecus ignominiamque acceperat. Secundum hunc navavere operam Posidonius et Philocyon et Amopharetus Spartiata. Quamquam quum sermo haberetur quisnam eorum praestantissimus exstitisset, ii Spartiatae qui adfuere, censuerunt, Aristodemum, quum vellet mori propalam ex inflicta ipsi criminatione, furibundum et deserendo ordinem praeclara facinora edidisse: Posidonium vero, qui perire noluisset, ob id exstitisse tanto praestabiliorem virum, verum id quidem etiam livore dixerint. Quos hac in pugna mortem oppetisse edidi, omnes honore affecti sunt, praeter Aristodemum: qui ideo caruit honore, quod ob causam praedictam sibi occumbendum putavit.

72. Hi sunt qui ad Plataeas nobilissimi exstitere: nam Callicrates extra proelium occubuit: quo nemo tunc in castra Graecorum praestantior venerat, non modo ipsorum Lacedaemoniorum, sed etiam aliorum Graecorum. Hic, quum Pausanias sacrificaret, sedens in ordine, sagitta latera ictus est: et aliis pugnantibus ipse exportatus, sese morientem miserabatur, ad Arimnestum virum Plataeentem inquiens, non se curare, quod pro Graecia periret, sed quod nihil manu usus esset, nullamque operam navasset dignam se et sua cupiditate navandi.

73. Ex Atheniensibus eminuisse fertur Sophanes Eutychidis filius, e populo Decelensi: Decelenses autem rem aliquando gesserunt, ut ipsi Athenienses aiunt, in omne aevum fructuosam, siquidem quum olim ad reportandam Helenam Tyndaridae cum magnis copiis oram Atticam invasissent, et populos e sedibus suis eiicerent, ignari quonam loci subducta Helena esset, tunc Decelenses feruntur, et, ut quidam volunt, ipse Decelus, tum dolore contumeliae quam Theseus intulisset, tum metu totius Atheniensium soli, ne vastaretur, exposuisse illis omnem rem gestam, eosque deduxisse ad Aphidnas, quas Titacus indigena Tyndaridis proderet. Quo ex facto Decelensibus permansit ad hanc usque memoriam in Sparta immunitas vectigalium, et dignitas praesidendi: adeo quidem ut bello quod multis postea annis inter Athenienses atque Peloponnenses gestum est, Lacedaemonii quum ceteram Atticam popularentur, a Decelea temperaverint.

74. Ex hoc populo ortus Sophanes, et praeclarissime tunc inter Athenienses navata opera, ancipiti sermone celebratur: uno, fertur gestasse ferream ancoram e balteo thoracis catena alligatam, quam, quoties

adventantibus hostibus propinquus erat, abiiciebat humi, ne illi irruentes, ipsum ex ordine summovere possent: rursus eisdem in fugam se vertentibus, resumpta ancora ita fugientes insequebatur. Altero sermone a superiori differente fertur gestasse ancoram non ferream ex thorace alligatam, sed insignitam in scuto, quod nunquam quiescens, assidue rotabatur.

75. Extat et alterum Sophanis praeclarum facinus, quod obsidnntibus Aeginam Atheniensibus, Eurybatem virum Argivum quinquertionem ex provocatione interemit. Sed aliquanto post haec gesta virum egregium exhibens, dum Atheniensium una cum Leagro Glauconis filio dux esset, ac de metallis aureis decertaret, contigit ut ab Edonis apud Daton occumberet.

76. Postquam barbari ab Graecis ad Plataeas strati sunt: accessit illuc ad hos mullier quaedam transfugiens, quae quum accepisset Persas periisse et Graecos victores, pallaca Pharandatis filii Teapis, viri Persae, multo auro ornata, tum ipsa, tum ancillae, et cum veste speciosissima de omnibus quae aderant; descendens ex carpento pergit ad Lacedaemonios adhuc in caede occupatos: et intuita Pausaniam illa omnia administrantem, cuius et nomen iam pridem et patriam noscebat, ut quod utrumque sane audierat, cognovit Pausaniam: Eius genua amplectans, Spartae rex, inquit, libera me supplicem captivitatatis servitute; quam etiam hoc facto demeritus es quod istos extinxisti neque daemonum neque deorum respectum habentes. Equidem genere sum Coa, Hegetoridae filia, Autagorae neptis, quam ut raptam ex Co Persa habuit. Huic respondens Pausanias, Bono, inquit, O mulier, animo esto, tum quia supplex, tum si insuper loqueris illa vera, et filia es Hegetoridae Coi, mihi inter omnes qui illa circa loca incolunt hospitis praecipui. Haec loquutus, eam impraesentiarum Ephoris qui aderant commendavit: postmodum in Aeginam, quo illa voluit, dimisit.

77. Post huius mulieris digressum continuo Mantineenses supervenerunt rebus confectis: qui se animadvertentes venisse sero ad pugnam, magnae iacturae loco id sibi esse putaverunt, sed idoneos se esse ad sumendas de se poenas dixere. Itaque cognito, Medos qui cum Artabzo erant, fugae se mandasse, eos in Thessaliam usque persequuti sunt, etsi vetantibus Lacedaemoniis insequi fugientes. Iidem postea domum reversi: duces suos exilio mulctaverunt. Post Mantineenses ve-

nere Elei, qui itidem ut Mantineenses magno id sibi detrimento existimantes, discesserunt, suosque et ipsi duces exilio mulctaverunt. Hactenus de Mantineensibus et Eleis.

78. Erat autem apud Plataeas in exercitu Lampon Pythei filius Aeginetarum e primoribus, qui Pausaniam adiens, infandissima usus est oratione, inquiens. Fili Cleombroti, rem tu mirificam et magnitudine et fulgore gessisti, cui deus tribuit ut liberata Graecia, omnes quos novimus Graecos gloria supergrederis, quod superest in hac re, agas ita, ut et tu maiore fama celebreris, et aliquis barbarorum posthac caveat nefanda facinora inchoare in Graecos. Etenim Leonidae apud Thermopylas interempti reciso capite Mardonius ac Xerxes truncum in crucem sustulerunt: cui si vicem, reddes: laudem nancisceris, primum ab omnibus Spartiatis, secundo loco ab universis Graecis, siquidem suffixo Mardonio, Leonidam patruum tuum fueris ultus. Haec Lampon gratiam se initurum ratus apud Pausaniam dicebat.

79. Cui respondens Pausanias, Tuam, inquit, hospes Aegineta, benevotentiam atque providentiam amplector: tamen ab aequitate iudicandi deerras, nam qui et me et patriam in altum extulistiet haec gesta, ad nihilum redigis, quum suades mihi saevire in mortuum, aisque me auditurum melius, si istud fecero, quo barbaros decet potius facere quam Graecos; quodque illis exprobramus, quare ego neque Aeginetis, neque iis quibus ista probantur assentibr; contentusque sum Spartiatis placere, ut in negotiis dictisque fas tuear. Leonidae autem cui me iubes parentare, affirmo magnifice esse parentatum; nam funeribus horum inumerabilibus vindicatus est et ipse et ceteri, qui apud Thermopylas occubuerunt. Tu vero posthac haerens in hac eadem cogitatione ne me adieris; quod tibi impune esse, loco beneficii ponas. Hoc quum ille audisset, abiit.

80. Pausanias autem quum praeconio edixisset, nequis de praeda quid tangeret, iussit helotas omnem comportare pecuniam Illi per castra dispersi inveniunt tentoria auro et argento ornata, lectosque ex auro et argento, crateras etiam aureos, phialasque, et alia vasa potoria: nec non saccos super plaustra, interlucentibus intus inclusis ex auro et argento lebetibus. Quinetiam caesorum cadavera spoliabant armillis et torquibus, sed et acinaces aureos tollebant. Nam diversicolora vestimenta nullius momenti habebantur. Ibi tum

multa furto subtrahentes helotae Aeginetis venundabant; multa, quae occultare non poterant, monstrabant: prorsus ut inde primitus exstiterint ingentes divitiae Aeginetis, utpote aurum ab helotis pro aere mercantibus.

81. Collata autem pecunia decimam selegerunt deo, qui Delphis est, ex qua tum tripos aureus ibi repositus est, insistens super tricipiti ex aere colubro, proxime aram: tum deo qui est in Olympia, aereus decem cubitorum Iupiter: tum deo qui est in Isthmo, aereus septem cubitorum Neptunus. Hac parte selecta, ceteras inter se distribuerunt, pro suo quisque merito accipientes: itemque pallacas Persarum; et aurum et argentum et reliquas opes cum iumentis. Quae autem eximia data sint iis, qui optimam operam navaverant ad Plataeas refertur a nemine, data tamen illis fuisse arbitror: certe Pasaniae sunt ex omnibus dena, et ea delecta, dono data, ex mulieribus, equis, talentis, camelis, et item ex ceteris rebus.

82. Feruntur autem haec quoque acta esse: Xerem dum e Graecia fugit, omnem apparatum suum Mardonio reliquisse: et Pausaniam dum eum apparatum videt, ex auro argentoque et velariis diversicoloribus confectum: iussisse pistores et coquos coenam sibi, uti Mardonio instruere, quod quum illi ex iussu fecissent, tum Pausaniam lectos intuentem aureos argenteosque probe stratos, mensas etiam aureas ac argenteas, magnificumque coenae apparatum, propositis bonis stupefactum, imperasse ad risum suis ministris ut Laconicam instruerent coenam. Ea quum esset parata et pateret magnum intervallum, ibi eundem cachinnantem arcessivisse Graecorum duces, eisque ubi convenerant, inter ostendendum utrumque coenae apparatum, dixisse, Viri Graeci, hac ego vos de causa convocavi, quod volebam vobis amentiam huius Medorum ducis ostendere, qui quum talem vitam duceret, ad nos spoliandos venit; qui tam misere victitamus. Haec Pausanias apud Graecorum duces dixisse fertur.

83. Interdicto deinde tempore complures Plataeensium repererunt loculos auri argentique et aliarum pecuniarum. Hoc rei apparuit postmodum in his cadaveribus carne nudatis, ut quum eorum ossa comportarent unum in locum Plataeenses, inventum sit caput nullam suturam habens, sed ex uno osse solidum; item maxilla, cum eo quod super maxillam est, habens dentes, etsi distinctos tamen ex uno osse universos tam

molares quam ceteros, quinetiam ossa viri quinque cubitorum.

84. Postquam vero cadaver Mardonii altero die subductum fuit, a quo hominum certum non habeo dicere, audivi tamen iam multos, immo omnigenas sepelisse Mardonium; et ob id multos scio ingentia dona ab Artonta Mardonii filio accepisse. Sed quis illorum curam susceperit cadaveris Mardonii subtrahendi, et humandi, pro comperto non possum sciscitari, habet tamen nonnihil famae Dionysophanes vir Ephesius sepelisse Mardonium. At hic quidem hoc modo tumulatus est.

85. Graeci vero, posteaquam praedam Plataeensem dispertierunt, caesos separatim quisque suos tumularunt. Lacedaemonii, tribus sepulcris effectis, in eorum uno Irenes, e quibus fuere Posidonius et Amompharetus et Philocyon et Callicrates. In uno igitur sepulchrorum fuerunt Irenes: In altero reliqui Spartiatae, in tertio helotae. Sic quidem illi humaverunt: Tegeatae vero seorsum omnes confertos, et Athenienses suos simul, nec non Megarenses atque Phliasii suos ab equitatu interemptos. Horum igitur quidem omnium sepulcra fuerunt repleta. At aliorum sepulcra quotquot ad Plataeas ostenduntur, illi sunt, quantum ego accipio, tumuli ab iis singulis excitati inanes, qui erubescebant se a pugna abfuisse, respectu posterorum hominum. Quippe tumulus illic est etiam qui dicitur Aeginetarum: quem ego audio vel decem post hanc pugnam annis rogatu Aeginetarum a Cleade Autodici filio, viro Plataeensi, illorum hospite aggeratum fuisse.

86. Graecis statim a caesorum humatione in agro Plataeensi, initio consilio visum est bellum Thebis inferendum, exposcendumque eos qui cum Medis sensissent: et in primis Timegenidem et Attaginum, qui principes factionis inter primos exstitissent; et, ni eos dedidissent, non prius ab urbe discedendum quam eam evertissent. Hoc ubi decrevere, undecimo a pugna die moventes obsedere Thebanos, iubentes dedere quos diximus viros. Abnuentibus dedere Thebanis, agrum eorum populabantur, murumque adoriebantur.

87. Quorum ager quum continenter vastaretur, vicesimo die Timigenides ad populares ita inquit: Viri Thebani, quandoquidem Graecis ita constitutum est, non prius abscedere ab oppugnatione Thebarum, quam aut eas expugnaverint, aut nos illis dedideritis, absit ut nostra causa Boeotius ager amplius vexetur: sed, sive per causam deposcendi nos, pecunias cupiunt, pecunias

eis e publico demus: nam et publice cum Medis sensimus, non autem nos soli, sive revera deposcentes nos urbem obsident nos ipsi nosin disceptationem exhibemus. Eum Thebani sane probe et opportune loquutum arbitrantes, e vestigio caduceatorem ad Pausaniam misere, velle se viros dedere.

88. Ea re inter eos conventa, Attaginus ex urbe profugit: cuius liberos ad se Pausanias adductos culpa absolvit, negans pueros factionis Medicae esse participes. Ceteri quos Thebani dedidere, ipsi quidem putabant se adepturos disceptationem: atque etiam sibi persuaserant pecunia disiectum iri. Pausanias autem hoc ipsum suspicans fore, ubi accepit, dimissis omnibus sociorum copiis, etiam illos Corinthum deductos supplicio affecit. Haec hactenus quae ad Plataeas et ad Thebas gesta sunt.

89. Artabazum autem Pharnacis filium, ut e Plataeis fugiens porro se proripuerat, Thessali, quum ad ipsos venit, hospitio invitatum interrogabant de reliquo exercitu, ignari prorsus rei ad Plataeas gestae. Iste intelligens, si omnem veritatem pugnarum illis referret, aditurum se vitae discrimen cum suo exercitu; fore enim, ut unus quisque cognita re ipsum adoriretur: haec considerans, nec apud Phocenses retulerat quippiam, et tunc ad Thessalos ita loquutus est: Equidem, viri Thessali, maturo, ut cernitis, quam cellerime pervenire in Thraciam, idque operam do missus ex castris cum hac excitus parte ad quoddam negotium. Mardonius autem ipse cum suo exercitu, meis vestigiis insistens, exspectandus est, cui et hospitium et officium praestate, non enim vos in tempus haec praestitisse poenitebit. Haec fatus, copias festinabuntus per Thessaliam Macedoniamque agebat, recta Thraciam versus, tanquam vere properans: ac regionem mediterraneam viae praecidens pervenit Byzantium, permultis sui exercitus in itinere relictis, qui vel a Thracibus obtruncati fuerunt, vel fame atque labore enecti. Ex Bysantio navigiis transmisit. Hunc in modum iste quidem rediit in Asiam.

90. Quo autem die ad Plataeas vulnus illatum est, ea die contigit et apud Mycalen Ioniae inferri: quum apud Delon Graeci considerent, ii, qui una cum Leutychide Lacedaemonio navibus venerant, eo appulsi sunt e Samo legati, Lampon Thrasyclis et Athenagoras Archestratidae Aristagorae filii, missi a Samiis clam Persis ac tyranno Theomestore Androdamantis filio, quem Perse tyrannum Sami constituerant. Hi quum

adierunt duces, verba fecit Hegesistratus multa et varia: Fore enim ut si tantummodo viderent hos Iones, a Persis deficerent, nec barbari emanerent: etiam, ut manerent, tamen ut fore non aliam praedam talem isti reperirent. Praeterea deos communes invocans obsecrabat, ut Graecos Graeci liberarent ex servitute, ulciscerenturque barbarum, quae facilia eis dicebat factu esse, quia naves illorum segnes essent ad cursum, nec pares Graecis ad proelium. Siquid vero apud hos suspicionis subesset, ne dolo ipsos deducerent, dicere paratos esse se, ut in horum navibus pro obsidibus veherentur.

91. In his obsecrandis quum multus esset hospes Samius, sciscitabatur Leutychides, sive ominis gratia volens audire, sive casu, deo agente, Samie hospes, quod est tibi nomen? Ille respondet, Hegesistrato. Leutychides interpellata reliqua oratione, si quam instituerat, Accipio, inquit, omen Hegesistrati, hospes Samie; effice tu, ut et ipse fide data abnaviges, et isti qui tecum sunt certe Samios promptos fore nobis socios.

92. Haec loquutus, et rem pariter exsequi aggressus est, nam quum Samii extemplo fidem interposito etiam iureiurando dedissent de societate cum Graecis, Leutychides dimissis domum ceteris legatis, iussit eum, cuius nomen pro augurio acceperat, secum navigare. Graeci eum illic diem commorati, postridie pulche litavere, haruspice Deiphono Euenii filio Apolloniata, ex Apollonia quae est in sinu Ionio.

93. Huius patri Euenio res huiusmodi contigit. Sunt in hac Apollonia sacra solis pecora, quae interdiu secundum flumen pascuntur, quod e monte Lacmone per Apolloniatem agrum fluit in mare iuxta Oricum portum. Noctu autem delecti viri, divitiis et genere inter populares suos splendidissimi, illi custodiunt singulis annis singuli; nam ex oraculo quodam Apolloniatae ea pecora permagni faciunt. Stabulantur autem in antro procul ab urbe. Ibi Euenius hic, quum aliquando delectus ad custodienda pecora non excubaret vigilans, sed obdormisset, ingressi antrum lupi pecora circiter sexaginta trucidarunt. Id ubi iste animadvertit, rem suppressit, neminique aperuit, habens in animo totidem mercari, quae substitueret: at Apolloniatae ubi acceperunt, neque enim eos quod gestum erat latuit, adductum in iudicium Euenium condemnaverunt, ut, quia vigiliam edormisset, visu privaretur. Quem postquam excoecaverunt, mox eis neque pecora foetifi-

cabant, neque humus pro consuetudine fructum ferebat. Erant autem illis praedicta et in Dodona et in Delphis. Interrogati mox prophetae de causa mali praesentis, responderunt illis causam esse, quia custodem sacrorum pecorum Euenium inique luminibus orbassent; se enim immisisse lupos: nec prius ab illius ultione cessaturos quam ei satisfecissent de iis, quae in eum perpetrassent, prout ipse sibi suo arbitrio satisfactum putaret. His perfectis, daturos se Euenio tale donum, quod habentem plerique hominum putarent beatum.

94. Haec Apolloniatis sunt reddita oracula. Quae Apolloniatae silentio supprimentes, quibusdam e civibus exequenda delegaverunt. Isti hunc in modum putarunt exequenda: Euenium in sella sedentem adeunt, eique assidentes aliis de rebus verba faciunt, donec deveniunt ad miserandam hominis calamitatem. Ita introducta eius rei mentione, percontantur, quam mulctam eius iniuriae optaret, si eam promitterent pendere Apolloniatae. Hic, qui oraculum non audisset, se optare dixit duo praedia civium, quos nominabat, quorum patrimonia omnium Apolloniatarum putabat esse pulcherrima, et praeterea domicilium quod in urbe sciebat esse optimum. Horum si compos effectus esset, non infensum se posthac fore dicebat, sed hac satisfactione contentum. Hoc quum respondisset Euenius, tum ii qui ei assidebant, excipientes, Eueni, inquiunt, hanc tibi satisfactionem Apolloniatae pro ereptis oculis rependunt, ex oraculis redditis. Euenius, ubi omnem rem audivit, indigno animo tulit sese fuisse deceptum. At cives ea praedia a dominis mercati, huic illa quae optarat dedere: qui mox deinde insitam divinationem obtinuit, unde celebratus fuit.

95. Huius Euenii filius fuit Deiphonus, qui ductus a Corinthiis exercitui vaticinabatur. Iam vero illud quoque audivi, Deiphono negotium in Graecia fuisse exhibitum, quod se filium Euenii, cuius non esset, nuncuparet.

96. Ceterum postquam litavere Graeci, classem e Delo Samum versus solverunt: et quum Samum venissent ad Calamisa, illi quidem istic applicantes circa templum Iunonis sese ad proelium navale parabant. Eos adnavigare quum Persae audivissent, et ipsi ceteras naves ad continentem reducunt, nisi quod Phoenicum naves abire permiserunt: deliberantes enim censebant pugnam navalem sibi non esse capessendam, quum pares hosti non esse sibi viderentur. In continentem igi-

tur navigabant, ut essent sub suo pedestri exercitu qui in Mycale tendebat, ex mandato Xerxis ab aliis copiis relictus ad Ioniam tutandam, numero sexaginta millium, duce Tigrane, Persarum et specie et statura eminentissimo. Ad hunc exercitum constituerunt refugere duces classis, subductisque navibus, munimenta circumdare, in illarum praesidium suumque refugium

97. Hoc inito consilio, profecti sunt, et evecti prope Venerandarum templum Mycales ad Gaesonem et Scolopoëntem, ubi Cereris Eleusiniae cernitur templum, quod Philistus Pasiclis filius condidit, sequutus Neleum Codri filium ad Militum condendam; ibi subductas naves munimento circumdederunt e saxis stipitibusque mitium arborum, quas exciderunt, et circum munitionem depactis sudibus. Ita se instruxerunt, tanquam et obsidendi et victoria potituri: in utrumque enim casum ratione inita sese parabant.

98. Barbaros abiisse in continentem postquam accepere Graeci, tanquam qui effugissent, aegre ferebant, incerti quid agerent, retrone se reciperent, an procederent in Hellespontum. Tandem neutrum horum visum est faciendum esse, sed navigandum versus continentem. Praeparatis igitur ad pugnam navalem et descensuum tabulis, aliisque quibuscunque opus erat, ad Mycalen navigant: et quum prope castra hostium fuere, neminem ex adverso obviam navigare vident, sed naves intra murum subductas, et magnam vim peditatus pro litore dispositam. Ibi primum Leutychides in nave praetervehens, litori appropinquans quam maxime, Ionibus per praeconem imperabat, inquiens, Viri Iones, quicunque e vobis me exauditis, intelligite, quae dico, nihil enim horum quae vobis mando intelligent Persae. Ubi pugnam conseruerimus, primo quidem debetis reminisci libertatis omnium; deinde tesserae Hebes. Atque hoc qui e vobis non audiit, ab eo qui audiit discat. Facti autem eadem ista mens fuit, quae Themistoclis ad Artemisium: quod videlicet haec verba, si laterent barbaros, persuasura Ionibus essent; sin mox delata ad barbaros, redditura malefidos Graecis.

99. His per Leutychidem admonitis, secundum opus Graecorum fuit, ut naves litori admoventes in litus egrederentur. Et hi sese ad pugnandum instruebant. Quod facientes Graecos quum cernerent Persae, et scirent Ionas fuisse adhortatos, arma Samiis adimunt, suspicati illos sentire cum Graecis. Quippe Samii deve-

ctos illuc classe barbarorum Athenienses captivos, quos exceperat circa Atticam relictos miles Xerxis, redemerant eos omnes, Athenasque cum viatico remiserant. Quo nomine non minimum suspicionis attraxerant, qui quingenta capita hostium Xerxis liberaverant. Praeterea Milesiis, tanquam maxime loci istius gnaris, Persae imperant, ut tramites qui ad cacumina Mycales ferunt custodiant; eo consilio id facientes, ut Milesii extra exercitum essent. Hunc in modum ab iis Ionibus, qui aliquid rerum novarum moliturí videbantur, si facultatem nacti essent, Persae sibi praecaverunt. Iidem facto ex scutis vimineis sepimento sese constipaverant.

100. Graeci, ubi instructi fuere, ire in barbaros tendunt: quibus euntibus advolavit in universum exercitum rumor, caduceumque supra fluctus positum apparuit. Rumor autem huiusmodi ad eos ferebatur, Graecos acie in Boeotia superasse Mardonii copias. Multis nempe signis res quae divinitus fiunt, declarantur: si etiam tunc eodem die procedente utriusque cladis, et eius quae ad Plataeas, et eius quae ad Mycalen futura erat, fama huc ad Graecos venit, ita ut reddiderit eos multo ferociores, et ad subeundum ultro periculum alacriores.

101. Alterum etiam quiddam concurrere contigit, ut prope ad utramque pugnam fuerit Cereris Eleusiniae templa; nam et apud ipsum Cereris fanum, ut a me superius demonstratum est, in agro Plataeensi pugna facta est, et similiter in Mycale futura pugna erat, ut non ab re venerit ad istos fama victoriae ab Graecis, qui cum Pausania erant, partae, nam pugna ad Plataeas diluculo diei gesta est, apud Mycalen vesperi, quarum utramque eodem eiusdem mensis die gestam esse, non diu post ab his rem cognoscentibus declaratum est. Ante rumoris autem adventum subibat istos timor non tam de seipsis quam de Graecis, ne in Mardonio offenderet Graecia: at ubi fama haec ad eos advolavit, impensius atque properantius ad congrediendum processerunt. Attamen Graeci ac barbari in pugnam festinarunt, tanquam et insulae eis et Hellespontus proposita praemia essent.

102. Athenienses porro, et qui iuxta erant instructi, paene dimidium copiarum, iter tenebant per litus atque planitiem; Lacedaemonii autem, et deinceps collocati, per confragosa et montes. Quae dum Lacedaemonii circuibant, interim Athenienses in altero cornu iam praeliabantur. Persae, quoad ipsis sepimenta man-

sere recta, sese defensavere, et nihilo inferiores in pugna erant: postea vero quam Atheniensium et eorum qui cum Atheniensibus erant copiae adnixae sunt vehementius, se mutuo adhortantes, ut laus operis ipsorum esset, non Lacedaemoniorum, tum commutari iam res, et deiectis sepimentis Graeci confertim impressionem facere in Persas. Illi excepto impetu perdiu restitere, ad postremum in murum refugere: cum quibus pariter irruperunt Athenienses et Corinthii et Sicyonii et Troezenii: ita enim erant ii iunctim in acie collocati. Ubi vero et murus captus est, ibi barbari non roboris memores esse, sed fugae, praeterquam Persae: hi autem ad paucos redacti pugnabant, Graecis assidue in murum irruentibus. Et Persici duo classiarii duces, Artayntes et Ithamitres, effugerunt: totidem pugnantes occubuerunt, Mardontes, et pedestrium copiarum dux Tigranes.

103. Adhuc autem dimicantibus Persis supervenere Lacedaemonii ac socii; qui eos, qui supererant trucidaverunt. Ipsorum quoque Graecorum complures illic cecidere, et cum alii ex Sicyoniis, tum eorum dux Perilaus. Quinetiam Samii, qui in exercitu Medorum militabant, quibus ademta arma fuerant, ubi viderunt statim ab initio pugnam pertinaciorem, quoad poterant Graecis suppetias iere. Quos inchoasse cernentes alii Iones, ita et ipsi a Persis deficientes adorti sunt barbaros.

104. Milesiis autem praeceptum erat, ut exitus viarum custodirent, Persarum salutis gratia: ut siquis casus, qualis accidit, eos deprehendisset, Milesiis ducibus salutem sibi ad Mycales cacumina compararent, huius quidem rei causa Milesii illic collocati fuerant, neve si exercitui adessent, aliquid innovarent. At illi e contrario prorsus quam iussi fuerant fecere: qui et per alias, quae ad hostem ferebant, vias illos in fugam versos deduxere, et ad extremum in eis mactandis omnium extitere maxime hostiles. Hunc in modum Ionia iterum defecit a Persis.

105. In hoc praelio praeclarissimam inter Graecos operam navaverunt Athenienses, et ex Atheniensibus Hermolycus Euthyni filius, vir in pancratio celeber: cui postea contigit, ut bello inter Athenienses et Carystios, in pugna apud Cyrnum agri Carystii occisus in Geraesto sepeliretur. Secundum autem Athenienses egregii extitere Corinthii Troezeniique ac Sicyonii.

106. Graeci vero plerisque barbarorum aliis in pugna, aliis in fuga interfectis, eorum naves incenderunt, totumque munimentum, ante egesta illinc in litus prae-

da, et quosdam pecuniarum thesauros repererunt. Ubi arcem atque naves cremavere, vela fecerunt, et quum Samum appulsi sunt, consultabant de gente Ionica transferenda, et ubinam in Graecia illam locari oporteret, cuius ipsi imperium obtinerent: Ioniam autem barbaris relinquerent. Neque enim videbatur eis fieri posse, ut per omne tempus Ionibus tutandis praeessent; sin autem non tutarentur, sperare non poterant, ut Iones a Persis defecisse gauderent. Ad haec magistratus Peloponnensium censebant emporia nationumt Graecarum, quae cum Medis sensissent, eiectis incolis danda cum agro Ionibus habitanda. Athenienses nullo pacto sedibus summovendos esse Iones censebant, nec Peloponnensibus de ipsorum coloniis consultandum; et quum in hoc contenderent Athenienses, libenter eis cessere Peloponnenses: atque ita Samios et Chios et Lesbios ac ceteros insulanos, qui secum militabant, ad societatis foedus adsciverunt, data acceptaque fide cum iureiurando se permansuros in societate, nec ab ea defecturos. Hoc iureiurando perfecto, ad pontes solvendos navigaverunt, rati adhuc illos intentos se esse inventuros. Et quidem in Hellespontum navigabant.

107. Ii vero barbari qui effugerant, quum ad cacumina Mycales venissent, non ita multi se Sardes recipiebant. Qui dum iter faciunt, Masistes Darii filius, qui pugnae male gestae adverterat, conviciari praefecto Artayntae cum aliis multis probris, tum vero dicere, illum muliere esse ignaviorem, qui ita ducis munere fuisset functus, dignumque omni malo esse, qui de regia domo male meritus esset. Apud Persas autem summo opprobrio datur, audire se muliere esse ignaviorem. Artayntes igitur, ubi multa audiit, indigne ferens, acinacem in Masistem stringit, interficiendi avidus: quem irruentem advertens Xenagoras Praxilai filius, vir Halicarnassensis, ut stabat a tergo Artayntae, hominem medium rapit, sublatumque humi allidit, intereaque satellites Masistis adfuere. Eo facto Xenagoras et ipsius Masistis gratiam meruit, et Xerxis, cuius fratrem servasset, ita ut ab eo ob hanc rem totius Ciliciae praefectura donatus sit. Nihil hoc amplius inter viam illi egerunt, Sardesque pervenerunt, ubi rex erat ex eo tempore, quo Athenis proelio navali male gesto, illuc profugerat.

108. Sardibus autem tunc agens, adamabat uxorem Masistis, quae et ipsa illic erat: ea quum potiri non posset, neque donis missitandis, neque vim afferre vel-

let, fratris Masistis respectu: quae res et mulierem retinebat, probe gnaram non se coactum iri vi. ibi Xerxes ceteris prohibitus, huc evasit, ut filio suo Dario in matrimonium daret filiam huius mulieris ac Masistis; existimans. si hoc fecisset, commodius se illa potiturum. Contracto matrimonio, aliisque ex consuetudine celebratis, Susa profectus est, eo postquam pervenit, et uxorem Dario domum suam duxit, ita demum ab uxoris Masistis amore cessavit; sed mutato amore ambiit et potitus fuit Darii quidem sui uxore, sed Masistis filia, cui nomen erat Artayntae.

109. Qua quum potiretur, processu temporis res patefacta est, hunc in modum: Amestris uxor Xerxis, amiculum quod ipsa texuerat, grande atque variegatum, et spectatu dignum, viro donavit. Qua ille delectatus atque amictus, ad Artayntam se confert: atque ubi et se oblectavit cum ea, iussit a se petere mulierem quae optaret sibi fieri pro praebito obsequio, omnia enim quae peteret, impetraturam. Ad hoc illa respondens, debebatur enim toti familiae infortunium, Dabisne, inquit, mihi quicquid a te petiero? Xerxes, omnia alia potius eam petituram ratus, cum iureiurando promisit. Qui postquam iuravit, mulier intrepide amiculum poposcit. Xerxes enimvero recusare, non ob aliud quam qoud vereretur Amestrin, ne sic illa rem quae agebatur, iampridem suspicata, deprehenderet: sed offerre ei et urbes, et immensam vim auri, et copias militum, quibus nemo praeter illam esset imperaturus. Eximium autem donum est apud Persas, exercitu donari. Verum quum non posset persuadere mulieri, amiculum dedit. Quo dono illa supra modum laeta, eo gestando gestiebat.

110. Amestris ubi mulierem habere amiculum scivit, et rem gestam, non in puellam concepit odium, sed in illius matrem, Masistis uxorem, penes quam culpam et quam huius rei autorem esse credebat, exitium machinatur. Observato itaque tempore quo vir suus Xerxes regalem instrueret coenam, quae coena semel quotannis eo die quo rex creatus est, instruebatur: coenae nomen Persice Tycta, Graece τέλειον id est, perfecta: in qua rex solum caput ornatur, Persasque strenis donat: hoc die observato Amestris a Xerxe petiit, ut se Masistae uxore donaret. Xerxes id indignum factu nefariumque arbitari, uxorem germani dono dari, eamque insontem negotii illius, cuius causa uxor sua eam flagitaret.

111. Tandem huius precibus evictus, et instituto,

quo nefas est regia coena proposita orantem non exorare, invitus admodum annuit: tradensque uxori, ac iubens facere quod liberet, germano ad se arcessito, ita inquit, Masista, tu Darii filius es, idemque mihi frater, praeterea vir eximius: tamen istam mulierem, cum qua nunc domum communicas, noli habere: in cuius locum do tibi filiam meam, cum qua domum communices. Istam autem quam in matrimonio habes, non enim mihi videtur habenda, missam facias. His verbis stupefactus Masistes, Domine, inquit, quam tu mecum orationem habes importunam: qui uxorem, ex qua liberi mihi sunt adolescentes tres, et filiae, quarum unam tu filio tuo duxisti uxorem, iubes me relinquere, quae mihi est ex animi mei sententia, ut filiam tuam in matrimonio ducam? Equidem, rex, etsi magni facio me dignari coniugio filiae tuae, tamen neutrum istorum faciam: ut vero, qui nequaquam necesse habes, noli ad hoc rei me cogere; alius non inferior me existet maritus filiae tuae: sine me meae uxoris consuetudine frui. Haec ille quum respondisset, percitus ira Xerxes, Atqui, inquit, ita tecum, Masista, agetur, ut neque iam tibi filiam meam nuptum dem, neque tu consuetudine tuae diutius fruaris ut discas accipere oblata. Masistes, his auditis, exiit, hactenus loquutus, Domine, nondum me interemisti.

112. Hoc interim tempore dum Xerxes cum fratre colloquitur, Amestris accitis satellitibus Xerxis, uxorem Masistae excarnificat, mammas praecidit, easque canibus obiicit: praecidit nares, aures, labra, linguam: atque ita excarnificatam remittit domum.

113. Harum rerum quum nihil audisset Masistes, metuens tamen aliquid sibi esse mali, cursu se domum proripiebat: ubi vero mutilatam uxorem vidit, confestim inito cum liberis consilio, abiit Bactra cum illis et aliis quibusdam, tanquam praefecturam Bactriam ad defectionem inducturus, et plurimum mali regi facturus. Quod et contigisset, ut mihi videtur, si occupasset ad Bactrios et ad Sacas ascendere: etenim praeses erat Bactriorum, a provincialibusquediligebatur. Sed enim haec eum perpetraturm Xerxes audiens, missis adversus hominem copiis, et ipsum et liberos et copias in itinere trucidavit. De amore Xerxis et nece Masistae haec hactenus.

114. Graeci a Maycale profecti Hellespontum versus, primum circa Lecton stationem habuerunt, a ventis intercepti. Inde Abydum tenuerunt: et quum pontes, quorum praecipue causa illuc ierant, credentes se

adhuc eos intentos esse inventuros, reperissent solutos, deliberabant. Leutychidi et, qui cum eo erant, Lacedaemoniis, videbatur in Graeciam redeundum: Atheniensibus autem et eorum duci Xanthippo, illic manendum, ut Chersonesum tentarent. Itaque illi quidem abiere: Athenienses autem Abydo in Chersonesum traiicientes, Testum obsidebant.

115. Huc, postquam auditum est Graecos in Hellesponto adesse, tanquam ad omnium eius tractus munimentum validissimum, convenere cum alii ex aliis circa locis, quae incolebantur, tum ex Cardia urbe, Oeobazus, vir Persa, qui armamenta e pontibus illuc comportaverat. Tenebant autem id oppidum indigenae Aeolenses, iunctis Persis pariter et magna sociorum frequentia.

116. Tyrannidem illius praefecturae obtinebat Xerxis praetor Artayctes, vir ille quidem Persa, sed dirus tamen et facinorosus, qui et Xerxem Athenas tendentem circumvenit, subreptis Protesilai Iphiclo geniti ex Elaeunte pecuniis. Etenim est in Elaeunte Chersonesi sepulcrum Protesilai, et ei fanum circumiectum, ubi inerat ingens vis pecuniae, nec non phialae aureae argenteaeque, et aes, et vestis, aliaque donaria, quae Artayctes rege donante compilavit, his verbis eum circumveniens; Here, est hoc in loco domus viri Graeci, qui cum militum copiis terram tuam adortus, meritas morte poenas dedit: eius mihi domum dato, ut discant alii non militare adversus regionem tuam. Haec dicendo facile erat persuasurus Xerxi, ut largiretur sibi domum eius viri de quo nihil suspicabatur eorum quae iste statueret. Enimvero dicebat Artayctes Protesilaum in terram regis militasse: quod videlicet Persae omnem Asiam suam esse arbitrabautur, et eius semper qui potitur regno Hic, postquam pecuniis ab rege donatus est, eas ab Elaeunte Seston exportavit, fanumque sevit et coluit: et quoties Elaeuntem pergebat, in penetrali cum mulieribus concumbebat. Tunc autem ab Atheniensibus obsidebatur, neque paratus ad obsidionem, neque expectans Graecos qui ex improviso illum invaserunt.

117. Illi, posteaquam obsidione advenerat autumnus, tum et gravari peregrinam a patria expeditionem, et quoniam castellum expugnare non poterant, orare duces suos, ut se illinc reducerent. Duces negare se prius id facturos quam aut castellum expugnassent, aut

ipsos respublica Atheniensium arcessivisset: ita illi praesentem rerum statum boni consulebant.

118. At ii qui intra muros erant, in omnem adducti calamitatem, adeo ut funibus lectorum elixis vescerentur: ubi iam ne hos quidem habebant, ita sub noctem capesserunt fugam cum alii Persae, tum Atayctes et Oeobazus, delapsi ab tergo castelli, quod praecipue destitutum ab hostibus erat. Postquam illuxit, Chersonesitae turribus rem indicavere Atheniensibus, portasque paaefecere, quorum plerisque fugientes Persas persequentibus, alii urbem tenuere.

119. Oeobazum in Thraciam fuga elapsum, Thraces Apsinthii exceptum, Pleistoro indigene deo, ritu suo immolaverunt; ceterum eius comites aliter interfecerunt. Artayctes autem cum suis inita posterius fuga, quum deprehenderentur paullo supra Caprae fluenta, quum perdiu sese defensassent, partim occubuerunt, partim vivi sunt capti. Quos Graeci alligatos Sestum duxerunt, interque eos Artayctem cum filio suo aeque ligatum.

120. Tunc uni eorum, qui istos servabant fertur ab Chersonesitis, dum salsamenta torret, tale ostentum exitisse: salsamenta igni imposita resiluerunt palpitaveruntque quemadmodum pisces recens capti. Qua de re quum circumfusi admirarentur, Artayctes ostentum ut vidit, accito viro, qui salsamenta parabat, Hospes, inquit, Atheniensis, non est quod istud metuas ostentum; quod non tua causa effulsit, sed mihi Protesilaus, qui est Elaeunte, signum dat, quantopere mortuus ac sale conditus: habeat a diis potestatem, eum, a quo iniuriam accepit, puniendi. Nunc igitur ei praemia redemptionis ista tribuere in animo habeo: pro pecuniis quidem, quas e templo sutsuli, huic deo centum talenta Atheniensibus. Haec pollicens Xanthippum Atheniensium ducem non mitigavit, tum sua sponte animatum, tum ab Elaeusiis exoratum, Protesilaum, ulciscerentur, ut hominem interimeret. Itaque adductum hunc in litus, in quo Xerxes traiectum iunxerat, ut alli aiunt, in tumulum urbi Madyto imminentem, depacto humi assere suffixerunt, filio ante patris oculos lapidibus obruto.

121. His actis Athenienses in Graeciam remeaverunt, portantes tum alias pecunias, tum vero armamenta pontium, tanquam apud templa reposituri. Nec aliud praeterea quippiam gestum est per eum annum.

122. Huius autem Artayctae, qui suspensus est, avus paternus fuit Artembares, qui orationem quandam habuit apud Persas, quam excipientes Persae, ad Cyrum detulerunt in haec verba, Quandoquidem Persis Iupiter principatum dedit, et ex viris tibi, Cyre, Astyage deiecto, agedum demigrantes ex hac regione, quam exiguam habemus et asperam, obtineamus meliorem aliam. Multae sunt nobis confines, multae longinquae: quarum unam incolentes, efficiemur pluribus admirabiliores. Decet autem hoc eos viros facere qui imperant. nam quando facultas nobis praestabitur melior, quam dum multorum hominum imperium habemus, et universae Asiae? Hac oratione audita, Cyrus haudquaquam admiratus, iussit eos illud facere: sed ita ut iubendo admoneret, se posthac praepararent non ad imperandum aliis amplius, sed aliis parendum. natura enim comparatum esse, ut e mollibus regionibus molles viri existant, neve ex eadem terra admirandae fruges et egregii bello viri gignantur. Hac Cyri sententia Persae superati, discesserunt suam damnantes: praeoptaruntque exile solum incolentes, imperare aliis, quam campestre colentes, aliis servire.

EDITIONIS WESSELINGIANAE

CUM

EDITIONIBUS REIZIANA ET SCHAEFERIANA

COLLATIO.

LIB. I.

cap. lin.

1 15 Ἰοῦν τὴν Ἰνάχου
2 2 ἐκ ὡς Ἕλληνες·
4 7 ὥρην sed lib. IX 8, 9. ὥρην
4 8 9 μὴ αὖται
5 14 προβήσομαι ἐς
5 15 μικρὰ καὶ
7 9 ἀπό τευ
7 10 Μήων
9 15 διὰ θυρέων
11 17 διακρῖναι
14 5 πάρεξ δὲ τοῦ ἀργύρου
17 8 χώρην ἑςάναι
17 10 διαφθείρειεν
27 15 εἰκότα ἐλπ.
34 11 κατοῤῥωδήσας
34 15 χρέονται
39 7 φοβέαι
75 1 ὤν Ἀςυάγεα
77 2 3 γάρ οἱ συμβαλὼν
79 6 Λυδῶν δύναμιν
84 18 Ὑροιάδης αὐτὸς ὁ
86 28 εἴπας, ὥςι αὐτῷ
94 10 σιτοδείην
94 14 δὴ ὦν τό τε καὶ
98 21 τὸν Ἀθηναίων κύκλον
108 20 ἄλλοτί κω
109 16 δεῖ μὲν τῶν τινα
111 10 ὅτι μιν
116 4 ἐλευθερωτέρη
118 4 ἐπαλλιλόγητο
131 1 νόμοισι τοιοῖσι
132 5 τῶνδι ὡς
132 6 7 τὸν τιάραν
132 13 πάντα κρέα
134 12 13 τῷ λιγομένῳ
138 9 τουτέων, πολλοὶ ἐξελαύνουσι ἐκ τῆς χώρης καὶ τὰς λευκὰς

cap. lin.

142 2 ὀρέων
143 14 ἐπί τε σφέων
146 5 κάλλιόν τε γιγόνασι
146 8 Μινύαι δὲ Ὀρχομενίοισι
146 21 καὶ ἐπεί τε ταῦτα
150 2 3 ςάσει
157 12 ῥῦσαι τὸν ἐν
167 3 αὐτῶν, πολλῷ
180 13 ἐπήεσαν
181 4 5 ἐν τῷ ἦεν τὰ
181 5 περιβόλῳ τε
182 1 φασὶ δὲ οἱ αὐτοὶ, ἐμοὶ
186 11 ὠρώρυκτο
186 13 ἀπεξηρασμένου
188 3 Λαβυνήτου
191 20 ἐδ᾽ ἂν
193 16 17 ἐπειδὰν ἄριςα
193 28 29 τοῦτον τὸν καρπὸν
193 29 30 ἵνα πεπαίνῃ σφι
196 16 γὰρ δή οἱ ἐξέλθοι
199 11 ὁδὸν
202 24 τὴν Κασπίων
210 2 τάδε
210 11 αὐτῷ τούτῳ
212 7 σῶμα, ἐπαναπλέειν

LIB. II.

8 13 τεταμμένον αὐτὸν voluit Reizius τεταμένον τὸν αὐτὸν vid. praef. p. VII
11 18 χωσθῆναι ἄν κού γε δὴ
13 14 ἐπίλοιπον Αἰγυπτίοις

cap. lin.

13 19 σφίσι ὕειν
15 21 γίνεσθαι, πολλοὺς
18 3 4 τῇσι ἑμεωυτοῦ γνώμῃσι
19 2 ὅτι κατέρχεται
22 8 εἰκὸς ἀπὸ
22 18 ἐχιόνιζε εἰ καὶ
28 4 πόλει
30 24, 25 διδοῦσί σφεας ἑωυτοὺς
32 17, 18 ἡ τελευτᾷ τῆς Λιβάης
32 23 πάντων. ἐπεὶ ὦν
32 37 τῇ ἅπαντας
33 8 Νεῖλος καὶ μέσην
33 15 16 θάλασσαν ῥέων τὴν τοῦ Εὐξείνου πόντου διὰ πάσης Εὐρώπης, τῇ Ἰςριηνοὶ Μιλησίων
52 7 ἐπεί τε δὲ χρόνου
65 22 ἴρηκα
67 6 ἴρηκας
79 3—8 ἄεισμα ἔνεςί Λῖνος, ὅ. ἔ. τ. φ. ἀοίδιμός ἐ. κ. ἐ. Κ. κ. ἄ. κ. μ. ἔ. ὅ. ἔ. σ. ὁ. ὡυτὸς εἶναι τὸν οἱ Ἕ. Λ. ὀ. ἀ. ὥ. π. μ. κ. ἔ. ἀπ. μ. τ. π. Αἴ. ἐ. ἐ. ὅ. δ. κ. τ. Λ. ὀκ. ἔλ. τοὔνομα.
81 6, 7 καλεομένοισι καὶ Πυθαγορείοισι. ὁδὲ
91 18 et 19 ὅτι

cap. lin.
93 28 ἰχθύες ἐντεκόντες
116 6 δὲ, κατὰ γὰρ ἐποιήσε
117 2 μάλιστα δηλοῖ
119 13 ἐπὶ Λιβύης
124 19 ταύτῃ δὲ δὴ
124 21 πυραμίδες, τῶν ὑπὸ γῆν
127 12 13 πόδας ὑποβὰς, τῆς ἐ. τ. μ. ἐ. τῆς μεγάλης οἰκοδομῆς.
134 7 ὁ γάρ οἱ
135 8 εἶναι Ῥοδῶπιν
136 13 μηδὲ αὐτῷ
140 8 πλέω ἢ ἑπτακόσια
145 14 ἑξακόσια ἔτεα
147 1 οἱ ἄλλοι
148 18 ὠρέομεν
148 25 ὠρέομεν
149 5 ἴσοι καὶ
151 7 Ψαμμίτιχος et deinceps
162 24 λόγον αὐτῷ
172 4 κατώνοντο
174 6 7 μὲν δὴ κατηλίσκετο
175 21 τῶν δ'

LIB. III.

5 2 πόλιος, ἥ ἐστι
14 10 παρῆσαν
19 4 μετῆσαν
20 8 9 αὐτοὺς καὶ κεχωρισμένοισι
23 6 μετῆσαν
31 13 τοῖσι δίκας
37 12 ὅμοια τοῦ Ἡφαίστου·
42 3 Πολυκράτει
42 15 κεχαρηότες
43 7 τοῦδε εἵνεκα
47 11 12 τῶνδε εἵνεκα
50 15 ὅτε προσδιελέγετο
51 14 ἀπελαυνόμενος ὢν ἤιε ἐπ'
58 6 μιλτηλεφέες
60 5 ἐξελθόντες
66 12 ἀνεστεῶτα
66 13 ἢν μή μιν
68 3 ὁμοίως
68 17 Εἰ μὴ αὐτὴ
68 23 ὤνθρωπος
72 23 ὅτω ἂν ταῦτα

cap. lin.
78 21 εἴρετο ὅτι
79 9 μαθόντες τότε
82 20 συγκρύψαντες ποιεῦσι·
82 22 ἐκ δὲ αὐτῶν θωϋμάζεται
82 23 24 λαχόντων
83 6 ἂν ὧς
83 14 καθῆσο
92 7 καὶ Παυσίκαι
93 9 δὲ καὶ Κάσπιοι
94 6 Μοσυνοίκοισι, καὶ Μάρδοισι
97 22 23 μὲν ὅτοι δῶρα — ἐκόμιζον
107 5 εὐπετέως κτέωνται
108 7 σχέτλια καὶ ἀνιηρὰ
112 4 τῶν τράγων
115 6 ἀπό τευ
116 7 καὶ δὲ
116 9 ἔχειν αὐτὰ
117 4 ἐν ὄρεσι ἐόντων
140 16 ἠράτευν.
142 19 ἱερωσύνην

LIB. IV.

5 12 καὶ τὸν ἰδόντα
6 4 τοὺς βασιλῆας
10 3 προσδείξαντα
10 17 μηχανήσθαι
15 12 καὶ τὸν μὲν
18 2 ταύτης, ἄνθρωποι οἰκέουσι
20 4 κατοικοῦσι δὲ
28 19 δὲ οὐδὲ ὄνοι ἀνέχονται
33 27 Θρήσσας
33 28 29 καλάμης ἐχούσας τὰ ἱρὰ
36 3 ὁδὸν περιέφερε
36 4 σιτεόμενος·
38 2 ἀπ' αὐτῆς
40 2 Σαπείρων
43 9 παρῃτήσατο
43 21 ἀνθρώπους μικροὺς
45 16 ἀπό τευ
48 7 πέντε μὲν οἱ ῥέοντες·.
53 16 ἐς τὸν τεσσεράκοντα
53 26 ἱρὸν Μητρὸς
53 27 τοῦ ἱροῦ ὑπὸ
61 5 ἔχοντες λέβητας

cap. lin.
66 4 δὲ ἔξωθεν
68 16 τοῦδε ἰδίως
69 2 ἅμαξαν καμάρης φρυγάνων
70 4 ὑπέατι ἢ
72 3 οἵδε εἰσὶ
76 2 μήτοι γε
76 3 Ἀνάχαρσίς τε
76 4 Σκύλης·
77 9 δὲ ὧν
78 4 ἐξ Ἰστρινῆς
81 5 ὡς ἐστι
81 17 τοῦτον εἰδέναι
99 6 μέτρησιν. Ἀπὸ Ἴστρου αὕτη
106 5 et seq. γλῶσσαν δὲ ἰδίην. Μελάγχλαινοι δὲ εἵματα μὲν μέλανα φορέουσι πάντες, ἐπ' ὧν καὶ τὰς ἐπωνυμίας ἔχουσι· ἀνδροφάγοι δὲ μοῦνοι τούτων· νόμαισι δὲ Σκυθικοῖσι χρέωνται.
109 1 Βουδῖνοι δὲ ὁ τῇ αὐτῇ γλώσσῃ χρέωνται καὶ Γελωνοί· οὐδὲ δίαιτα ἡ αὐτή· οἱ μὲν γὰρ
135 9 δηλαδή· αὐτὸς
137 8 οἷός τε ἔσαι ἄρχειν
146 9 θυγατέρες, ἐς ὃ ἐλθεῖν
148 12 ἰωῦτὸς ἐς
150 8 Εὐθυμίδης
152 12 13 ἀτρεκίην ἴσμεν
158 5 χώρων· ἵνα
160 11 ἐς ὃ ἐν
166 7 ἐς ὃ ἔλαβε
168 12 Πλεῦνός ἐστι
172 7 ἔψεται γάλα
181 18 ἐς ὃ δύεται
184 3 ἐστι Ἄτλαντες
184 5 Ἄτλαντες οὔνομα
192 10 ὄφιες μικροὶ

LIB. V.

1 10 προαστείῳ
1 11 προκλήσιος ἐγένετο·

cap.	lin.	
1	15	παρὰ σφίσι αὐτοῖσι
4	3	Θρηξὶ
8	7	Θρηκῶν
9	3	ἀλλὰ πέρην
9	11	εἶναι ὠκυτάτους
10	1 2	κατέχουσι τὰ πέρην τοῦ Ἴσρου· καὶ
10	4	οὐκ εἰκότα·
11	6	προσέχρησε·
11	7	τὴν Ἠδωνῶν,
12	8	προάστειον
16	5	ἑσήκεε
16	11	ἕκαστος πολλὰς γυναῖκας·
18	15	προσχρήζετε
18	17	μετεπέμπετο
19	14	χρήζω
20	1	χρήσας
21	7	ἐγένετο
21	11	τῶν ςρατηγῶν·
22	2	εἶναι τοὺς ἀπὸ
23	2	ἐνθεῦτεν διαπεραιωθεὶς
23	10	ἐγκτίσασθαι
23	14	ἢν ἐκεῖνος
23	15	σὺ τοίνυν τοῦτον
24	22	σὺ δέ μοι
27	8	ςρατὸν, τὸν ἀπὸ
28	7	τὰ μάλιςα
29	2	ἄνδρες ἄριςοι
29	5 6	ἴδοιεν ἀνεςηκυίῃ
29	7	τοὔνομα
29	13 14	τούτοις ἔταξαν
30	20 21	ὁ δὲ Ἀρταφέρνης, Ὑςάσπεος
30	25	χρήζωμεν
31	9	γὰρ δίκαιον
31	9	παρέχειν ἐςί·
32	9	Κλεομβρότου
34	10	κατεδεδαπάνητό σφι
35	5 6	ἀρρωδέων τε
35	8	Ἀριςαγόρην ἀπὸ
36	15 16	ἐπικρατήσειν
37	4	Ἐρξάνδρου
39	11	τίκτει ἐκ σέο, ἄλλην
40	3	τοίνυν τοι περιεχ.
40	11	ποιέων οὐδαμῶς
42	11	κτίσων γῆ
42	11 12	οἷα βαρέως
42	14	οἴκησε χῶρον
44	14	δὲ οὐκ οὗτοι
45	2	2 ξηρὸν Κράσιν
45	4	Κρᾶσιν· τοῦτο
45	7	ἐπ' ᾧ δὲ
46	10	τυραννίδι ἐπεχείρησε
47	5	τριήρεϊ
47	9	ἡρῷον
47	9	ἱλάσκονται
49	39	Χοάσπην
51	4	ἐπροσετήκεε γὰρ δή
51	12	ἐς ὃ
52	22	Τίγρης·
52	28 29	ἐσβάλλοντος ἐς
53	5	Μεμνόνεια
54	8	Μεμνόνειον
57	2	φονέες Ἱππάρχου,
58	5, 6	πρῶτα μὲν, τοῖσι καὶ ἅπαντες χρέωνται Φοίνικες·
58	9	πολλὰ τῶν χώρων
58	14	τὰς βίβλους
58	15	βίβλων
62	9	προεχώρεε κάτοδος,
62	11	ὑπὲρ Παιονίης τειχ.
64	7	ἄνδρες· Schäf. ἄνδρας·
65	20	ἀπηλλάχθησαν·
65	23	χρῆσαι
67	6	πολλὰ πάντων
67	6	ἡρῷον
67	8	Ταλαοῦ
67	13	ἐβουλεύετο μηχανὴν
67	32	ἐπεποίητο
68	5	ὕος τε καὶ ὄνου τὰς ἐπωνυμίας
68	7	δὲ τοὔνομα
69	7 8	ἀπωσμένον, τότε πάντα πρὸς τὴν
72	3	ἧσσον
72	16	ἡ δὲ ἱρείη
72	19	θεμιτὸν Δωριεῦσι
73	9	καὶ ποῖ γῆς
73	14	αὐτέων βαλλόμενοι
77	15	ἐς πέδας δήσαντες·
77	22	πρῶτον ἐσιόντι
78	7	ἑωυτῷ προεθυμέετο
79	4	ἀπελθόντων ὧν
81	3	αὖθις
82	4	οὐδένα ἀπεδίδου·
83	1	χρόνον, καὶ τὸν πρὸ τούτου,
83	6	ἅτε δὴ
83	6 7	ἐδηλέοντο
83	9	ἐκομίσαντο καὶ ἱδρ.
84	2 3	ἐπετέλεον
86	5	νηυσὶ
86	6	ὁ ναυμαχῆσαι
86	13	περιβαλλομένους
86	13	ἐς ὃ
86	21	καὶ ἥκειν βοηθέοντάς σφι
87	8	κομισθεὶς ἄρα ἐς
87	13	ὅκου εἴη ὁ
87	16	ἄλλῳ μὲν
87	16	ζημιώσωσι
89	5	Αἰγινῆται δὴ
89	6 7	ἐπ' Αἰγινήτας
89	10	σφι χωρήσειν
91	5	ἑωυτῶν γίνοιτο
91	5	ὑπὸ τυραννίδος,
91	15 16	ἐξηλάσαμεν
92	11	δοκέει
92	31	δὲ ὀλοίτροχον·
92	42	τότε δὲ τῷ Ἠετίωνι
92	97	ἀσφαλέςερον
92	117	σφεα ἀπετέλεσε·
92	124	ἱματίων
93	9	εἴπαντος ἐλευθερῶσαι, πᾶς
93	12	τοῦτο ἐπαύσθη.
96	2 3	διαβάλλων τούς τε Ἀθηναίους
97	5	ἐδυνάςευε μέγιςον·
98	4	ἐποίεε, ἀλλ'
98	9	ἐπειδὴ ἀπίκετο
99	8	σφι ἀπικοίατο,
102	1	Αἱ δὲ Σάρδις ἐνεπρήσθησαν,
102	11	ὀνομαςὰς·
102	12 13	ἀναρραιρηκότα,
103	6	ἧσσον,
106	8	ἀπεςέρησε·
106	27	με ἄφες
107	1	μὲν λέγων
109	11	τουτέων ἕλεσθε,
109	13	φυλάσσοντας τὴν
111	2	ὁπλίτην ἀντιτάσσεσθαι ὀρθὸν·
111	4	πολέμια
111	14	προσφερέςατον
111	20	προσφέρεσθαι· καὶ πρὸς ἵππον, τοῦ σὺ
112	5	ὡς συνῆλθε
112	11	ἐνθαῦτα ὁ Κὰρ δρεπάνῳ
113	6	Κουριεῦσι ἐποίεε·
114	5	μιν ἐνέπλησε·
114	8	Ὀνησίλεῳ δὲ
115	7	ἐπιπλεῖςον
118	6	ἐγένοντο βουλαὶ
118	16	ἐκ ἀπονοςήσωσι

cap. lin.

119 10 11 κατειληθέντες ὤν

119 12 ἑωϋτὸς Πέρσῃσι,

LIB. VI.

4 4 βιβλία

4 6 βιβλία

5 2 Χῖοι κατῆγον

6 6 τἄλλα πολίσματα

7 10 μικρῇ ἐπὶ

12 14 ἡμέας ἑωϋτὸς

12 21 πειθώμεθα αὐτῷ.

13 7 ἀδύνατον τὰ

13 10 τὸν Δαρεῖον

16 3 αὐτοὶ δὲ ὡς

18 5 ἄκρης, ἕκτῳ

19 9 δῶρα γενήσῃ·

19 15 καὶ ὁ νηός τε καὶ

22 2 ἠρήμωτο·

22 11 Καλὴ αὕτη ἀκτὴ

23 4 περιεκαθέατο

23 6 Ἀναξίλεως, τότε ἐὼν

24 2 τῆς Ἴνυκος

24 7 ἐς ὃ γήρα

28 7 λιμανόσης

32 6 ἀντὶ εἶναι

33 11 οἴκησαν·

35 2 ἐδυνάστευέ τε καὶ

41 1 Τότε δὴ

42 5 ἐγένετο· τότε τῷ ἔτεος Ἀρτ.

42 15 κατὰ ταυτὰ τὰ

44 13 γὰρ τριηκοσίας

46 10 ἐν Σκαπτῃ ὕλῃ

47 5 τὔνομα

47 5 Φοινικὰ ταῦτα

49 7 σφίσι ἐπέχοντας

50 6 Κριὸς et infra Κριὸν et Κριῷ

52 23 ἤσσον ὅκως

52 31 οὐδὲν εἶδε· ἐπ'

53 11 ὀρθῶς εἴρηται

58 15 τῶν εἱλωτέων, καὶ αὐτέων Σπαρτιητέων ἐπεὰν

58 17 κοπτονταί τε τὰ μέτωπα προθύμως,

60 3 πατρῴας

61 25 οἱ δεῖξαι·

61 27 ἐπιδεῖξαι·

61 29 δεῖξαι τὸ

62 12 τἄλλα ἔφη

65 12 κατόμνυται

65 17 ἀπώμοσε,

cap. lin.

65 17 ἑωϋτῷ εἶναι·

65 21 τότε ἐτύγχανον

68 10 ἐγὼ δέ σε ὤν

69 14 τῷ ἥρῳ

69 29 ὡς ἀνοίη

72 6 χειρὶ διπλῇ ἀργυρίῳ

77 3 κέεται ἡ Σίπεια

77 13 καὶ ἐπ' ἐσσομένων

85 16 ἐπισπώμενον

86 53 λῃΐσασθαι

86 57 ἐλέσῃ

86 61 62 ἴσον δύναται

86 64 ὁ λόγος, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅδε

90 3 Αἰγινητέων εἴποντο

95 13 ἐμοὶ δόκεει

97 5 ἐν τῇ Ῥηναίῃ·

97 8 ἔτι τοσαῦτα φρονέω

101 3 κατὰ τέμενος, καὶ

102 7 ὁ Πεισιστράτου

105 9 10 εὔνου ἤδη Ἀ. κ. πολλάχοῦ γενομένου σφίσι χρησίμου,

109 12 μνημόσυνον

109 13 οἷον οὐδὲ

109 32 συμβολὴν ὕλῃ,

110 4 γνώμη ἐφέρετο

110 4 ἑκάστου αὐτῶν

111 4 νόμος εἶχε

111 9 ἀναγόντων ἐς πανηγύριας

113 2 χρόνος ἐγένετο

113 11 ἐς ὃ ἐς τὴν

114 4 Κυναίγειρος

121 11 καὶ τἄλλα τὰ

123 2 ἤσσον

125 17 πρῶτον μὲν

125 23 ἐξώγκωτο

127 4 Σιρίτης Δάμας ὁ Σαμύριος τοῦ

127 21 ἐκ δὲ Ἀθηναίων

128 8 τῇ συνεστίῃ διεπειρᾶτο·

128 11 ἀπ' Ἀθηναίων

129 10 ὠρχήσατο

129 10 ὠρχέετο

129 14 ὠρχήσατο

129 18 γαμβρὸν ἄν οἱ

129 22 ἀπωρχήσαό γε

131 1 Ἀμφὶ μὲν κρίσει

133 3 τριήρεσι

133 10 οὐκ ἀπονοστήσειν

cap. lin.

133 12 τι δώσουσι

133 13 ὅκως διαφυλάξωσι

134 6 ταύτην ἐλθοῦσαν

134 10 ἰόντα, ἕρκος

135 4 δηώσας

136 4 θανάτου ἀγαγὼν

136 6 εἵνεκα.

136 15 πεντήκοντα ταλάντοισι

137 6 σφίσι αὐτοῖσι ὑπὸ

137 16 θυγατέρας τε καὶ παῖδας ἐπ' ὕδωρ

138 5 κτησάμενοι, ἐλόχησαν

138 15 καὶ πολλῷ ἐπεκράτεον·

138 17 εἰ δὲ δὴ

140 2 μὲν τοσαῦτα·

140 3 ἡ ἐπ' Ἑλλησπόντῳ

LIB. VII.

1 12 στρατευομένων

2 10 ὁ μὲν γὰρ Ἀρτ.

3 7 συνεβούλευε

3 18 δοκέει δέ μοι

4 2 ὥρμητο

5 10 δοῦναι δίκην

6 27 28 Πεισιστρατιδέων γνώμας

8 20 ἡμῖν τε προσγινόμενον,

8 35 δὲ, ὑμέας οἷα

8 42 γῆν τε τὴν

9 19 οὐδεὶς ἠντιώθη

9 35 πόλεμον προφέρων

9 40 τὰ πολέμια·

10 17 πολλὸν ἀμείνονας

10 21 καὶ δὲ καὶ

10 35 ἐπετέτραπτο

10 41 μὴ βουλεύσο ἐς

10 43 τὸν σύλλογον τόνδε

10 43 αὖτίς τε ὅταν

10 47 et 49 ἤσσον

12 10 Πέρσας στρατὸν

13 2 3 συναλίσας τὸν καὶ πρότερον

13 11 μεταδεδογμένον

14 7 ἐξ αὐτέων ἀνασχήσει.

15 14 ὁμοίως ὡς καὶ

16 38 ἐπιφοιτήσει· τοῦτο μαθητέον

16 41 42 ἤδη ἴημι ἐν κοίτῃ

cap.	lin.	
17	4	ἐζόμενος ἐς
17	7	εἶπε, Ἆρα σὺ δὴ κεῖνος ἦς ὁ
18	1	τὸν ὄνειρον
18	7	ἡσσόνων
18	19	ἐκ σέο
18	21	ἐνδεήσῃ
18	21	τετέων λεχθέντων
23	3	ἐγίνετο
25	2	παρεσκευάζετο
26	8	ὐδὲ ἀρχὴν
28	12	δέ μοι ἀπὸ
29	7	ἐξείνισας
32	6	τῶνδε δὲ εἵνεκα
32	7	ἔπεμψαν Δαρείῳ πέμψαντι
33	10	προσδιεπάτεσάλευσαν·
33	11	ἀθέμιςα
35	11	ἐόντι καὶ δολερῷ
36	10	εἵνεκα τῶν
36	19	μὲν ἦν αὐτὴ,
37	5	ἀγγέλλετο,
37	12	οἱ δὲ ἔφασαν
38	6 7	χρήσειν
38	13	ςρατιῆς τὸ
39	13	ἐτράπετο
39	20	ἐπὶ τὰ δεξιὰ τῆς ὁδȣ̃, τὸ δ', ἐπ'
40	19	παρεβεβήκεε
41	10	συνέκληον
41	15	διέλειπε καὶ
44	7	γενομένην
46	4	ἔτος ὡ'νὴρ
47	4	κακῶν μεμνώμεθα.
49	17	προβαίνοις
50	9	ἀποδέξῃς
50	27	φορβὴν φερόμεθα πορευόμενοι·
51	6	πλὴν Ἀθηναίων
52	12	ȣ̓́τω δὲ μηδὲ
53	4	χρῄζων
53	9	τῶνδε δὲ εἵνεκα
54	1	παρεσκευάζοντο
54	11	ξίφος, τὸ ἀκινάκην
57	4	τῇδε ἐγένετο
57	9	περὶ ἑωϋτȣ̃
59	7	καὶ ἐξαριθμῆσαι
59	13	τὸ παλαιὸν
62	7	αὐτοὶ περὶ
64	5	ὀξὺ ἀπιγμένας
64	6	ἐνδεδύκεσαν·
64	7	καὶ ἀξίνας σαγάρεις
69	5	οἰςὲς·
69	12	Ἀρσάνης ὁ Δαρείȣ
69	15	ἦρχε Ἀρσάνης.
71	1	σκυτίνην ἔσαν
72	10	Βρύης ὁ Δαρείȣ
74	2	Μηόνες
76	2	δύο λυκεργέας
77	1	Μηόνες
79	5	ὠμοβοΐνας μιβρὰς
79	8	ὡπλισμένοι
85	4	τῆς Περσικῆς τε καὶ
86	7 8	αὔτως Κάσπιοι
86	9	αὐτὴν, ἣν καὶ
87	2	ἱππεύει·
87	4	ἱππέες ἐπετετάχατο
87	5	ἔσχατοι ἐτετάχατο·
88	3	κατελέλειπτο
88	4	περιέπεσε ἀνεθέλητον
89	9	οἰκέȣσι τὸ παρὰ
89	15	καὶ τύχȣς
91	4	ὠμολοΐης
91	4	εἰρινέȣς
95	10	λοιποὶ ἐκ τȣ̃
98	2	ἔσαν ὀνομ.
99	7	ἐȣ́σης ἀναγκαίης.
99	12	νέας ἐνροξοτάτας
100	1	ἠρίθμησί τε
100	10	ὁμοίως ὡς καὶ
101	4	ἡδύ τι ἐςὶ
101	7	λέγȣσἀπικνεομένων,
101	10	ὡς δοβέω ἐγὼ,
101	17	τρῆσθαι ἐκέλευε
102	2	διαχρήσασθαι
102	7	διαχρεωμένη
102	8	πάντας Ἕλληνας
103	4	μοι, σὺ φῂς
103	5	ὧν ἐθελήσαις
103	19	περὶ ἕνα
103	25	ἐγευθέριον,
104	7	πατρῷα
104	12	ἑκών γε εἶναι
104	19	δεσπότης, νόμος,
112	3	τῶν καὶ ἐνὶ
113	8	ἐκδιδόντα ἐς
113	10	ἐκαλλιερέοντο
114	9 10	ἑπτὰ ἐόντων ἐπιφανέων Περσέων παῖδας ὑπὲρ ἑωϋτῆς
122	4	Ἄσσά τε
123	2	Κανασραῖον ἄκρην
123	16	ςρατȣ̃ πλῆθος,
123	21	Ἰχναῖ τε
128	3	μεγάθεΐ τε ὑπερμήκεα
128	10	ἐσβὰς ἐς
128	11	ὄκως τοι
129	2	συγκεκλῃμένην πάντοθεν
129	5	ἀποκλῄει
129	22	ἧσσον ἢ
129	27	κἂν ἐκεῖνο
129	28	ποιῆσαι. ἔργον γάρ ἐςι σεισμȣ̃, ὡς ἐμοὶ φαίνεται, ἡ διάςασις
130	13	ἔξω τῶν ὀρέων
131	4	Περραιβός.
132	2	Περραιβοὶ,
133	1 2	ἀπέπεμψε Πέρσης
133	4	οἱ δ' ἐς φρέαρ
133	10	ἐδηώθη
134	3 4	καὶ ἀπόγονοι, Ταλθυβιάδαι
134	5	δίδονται.
134	14	ποινὴν τίσαι
134	14	Ξέρξῃ τῷ Δαρείȣ
135	6	εἰςία. ξεινίζων
135	7	εἴρετο τάδε·
136	7	ἀπεμαχέσαντο τȣ́τῳ
137	3	τȣ̃ παραντίκα
137	10	τινὸς βασιλῆα
139	3	τῇ γέ μοι
139	13	ςρατȣ̃ τȣ̃ βαρβάρȣ
139	23	τἀληθέε
141	5	ἱκετηρίην
141	11	ταῦτα λέγȣσι
141	20	Μὴ δὲ σύ γ'
142	2	ἀπαλλάσσαντο
142	8	τῶν Ἀθηναίων
143	5	εἰρημένον ἐὸν κως, ὀκ
143	1 2	τοῦτο τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα Ἑλλήνων τῶν τὰ ἀμείνω
145	14	γένοιτο
145	16	πᾶσι τοῖσι Ἕλλησι.
146	7	κατεκέκριτο
146	14	ἐπὴν δὲ ταῦτα
149	6	ἀνδρωθέεσι
149	6	μηδὲ
151	4	Μεμνονείοισι
153	4	οἰκήτωρ ὁ ἐν Γέλῃ.

cap.	lin.	
154	7	Παταϊκȣ̃, ὃς ἦν δορυφόρος
156	1	μὲν ἐπικρατέων
156	4	ἔσαν ἅπαντα
156	5	καὶ ἔβλαστον
157	5	βάρβαρον. τὸν γὰρ ἐπιόντα ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα πάντως κȣ πυνθάνεαι,
158	9	ἐπαυρήσιες
159	3 4	ἀπαραιρέεσθαι
160	15	ἐςι ἀρέσκεσθαι; ἢ
161	5	πέμψῃς
161	18	συγχωρήσωμεν
162	3	ἐπιέντες ἔχειν
164	15	Σικελίην, ἀπὸ πάντα τὰ
165	8	Σαρδόνων;
167	6	ἐκαλλιερέετο
167	11	ἑτέρῳ, ὡς Καρχηδόνιοι, τȣ̃το
168	5	ὑπέχοντο
168	17	ἐποιέευν
168	17	Πέρσην τοιάδε·
168	22	τοι ἐναντιȣ̃σθαι
170	2	Μίνεω
170	4	θεȣ̃ σφι
170	16	οἰκῆσαι
170	24	κατενέλειπτο ἔτος. ὥσπερ
171	5	μετὰ Μίνεω
171	7	Μενέλεω.
172	17	ἐδαμᾶ
173	8	Οὐλύμπȣ τȣ̃ ὄρεος
173	18	ςρατȣ̃ ἐπιόντος·
173	23	καὶ ἄλλην ἔσσαν
174	2	ςρατιὴ
174	5	ἐδέ τι
176	5	Ἀρτεμίσιον δίκαται
178	11	ἐν Θυίης
178	14	μὲν δὴ κατὰ
180	2	Πρηξῖνος
180	4	τῆς πρώρης
180	6	τȣ̃νομα
181	9	σμύρνῃσί τε
184	3	τηνικαῦτα, ὡς ἐγὼ
184	3 4	συμβαλλεόμενος εὑρίσκω, τῶν μὲν ἐκ
184	11	ὅμιλος γίνεται
184	14	ὅτι πλέον
184	16	μοὶ ἐρρήθη,

cap.	lin.	
184	27	ἤδη ὦν ἄνδρες ἂν εἶεν ἐν
184	29	μὲν τὸ ἐξ
185	8 9	Ἐορδοὶ, Βοττιαῖοι
187	8	ποταμῶν ἐνίων, ἀλλὰ
187	15	τοσαυτέων
188	13	μὲν ὦν αὐξόμενον
188	20	ἦν τε τȣ̃
189	9	ἰθέοντȣ̃ τε
192	3	ὁ χειμὼν. ὁ πρῶτος
194	8	δικαςέων· ὁ Σανδώκης
195	5 6	περιγινομένη
196	1	ναυτικὸς ὁ τῶν
197	11	ὥςε τι πρὸς
197	14	ἁλίσκωνται, ἐξέλλοντο ἐς τὸ
198	6	χῶρον ὄρεα
198	7	περικλήει
198	9 10	ἦν Σπερχειὸς ποταμὸς
199	5 6	περικλήει
203	5	πᾶσαν εἰσὶ
206	6	τάχος βοηθέειν
207	6 7	περισπερχεόντων τῇ γνώμῃ
209	2	παρασκευάζοιντο
209	19	βασιληίην τε καὶ καλλίςην πόλιν τῶν ἐν
209	21 22	λεγόμενα, καὶ δεύτερα
209	22 23	ἰόντες, τῇ ἑωῦτ. ςρατ. μαχέσονται.
212	8	ἐν μέρει
213	1	ὅ, τι χρήσαιτο
213	14	ἐδὲν ἧσσον.
214	13	ὄρος· καὶ κατὰ
219	3 4	θάνατον· ἐπεὶ δὲ καὶ αὐτόμολοι ἦσαν
220	10	ἐκέχρηςο
220	14	ἐξαμ. ἔχοντα χρῶ,
220	17	ἄςυ ἐρικυδὲς
223	1	ἡλίȣ ἀνατείλαντος
223	9	εὐρύτατον
223	20	ἀπεδείκνυντο
224	2	τοῖσι πλέοσι
224	4	Πέρσας. Λεωνίδης

cap.	lin.	
224	6	ὀνομαςοὶ, πολλοὶ δὲ καὶ ἐκ ὀνομαςοὶ Σπαρτιητέων,
224	15	ὡς μένης
225	2	μαχεόμενοι· ὑπὲρ
225	4 5	Ἕλληνες ὑπερεξέρυσαν,
226	6	ἀποκρύπτȣσι·
228	2	ἢ ὑπὸ
233	13	ηὐτύχησαν·
234	11	μάλιςα· καὶ ἔτοι
238	8	παρηνόμησε·

LIB. VIII.

2	2	καὶ ὡς τὸ πλῆθος
4	1	οἱ καὶ ἐπ'
5	5	Κορίνθιος ςρατηγὸς
6	9	εὐφρόνη καταλαμβάνῃ
7	3	μὴ ὀφθείησαν
7	4	καὶ περὶ Γεραιςὸν
7	13	τὸν ἀνθμόν.
10	15	λάμψηται.
11	2	γινόμενοι.
12	10	ναυμαχίη καρτερή·
12	12	τοιαύτη νὺξ
18	7	δὴ ἐβούλευον ἔσω
20	7	βαρβαρόφωνον
22	17	ἔγραφε,
23	1	μὲν ταῦτα
23	7	ἅμ' ἡλίῳ
23	8	ςρατιὴ ἐπέπλεε
23	11	τῶν Ἱςιαίων,
23	11	Ἐλλοπίης
26	11	δειλίην ὦφλεε
26	14	μαχησομένους
30	4	ἔχθος τῶν Θεσσαλῶν·
32	2	ἐδήουν
33	3	Χαράδραν,
33	8	δέ τι καὶ τότε
35	9	ὁ ἐπιςέατο
36	4	εἴ τέ σφεα
38	7	φύσιν ἔχοντας,
40	3	τῶνδε δὲ εἵνεκα
40	11	τειχέοντας ἐς τὴν Πελοπόννησον,
40	12 13	φυλακῇ, τἄλλα δὲ ἀπιέναι,
41	7	τοῦδε εἵνεκα
41	9	ἐνδιαιτᾶσθαι
41	9 10	ταῦτα, καὶ δὴ ὡς

cap.	lin.	
42	9	γένεος τοῦ
44	4	τοιόνδε πρῆγμα.
44	11	ἐκλήθησαν
44	11	ἐνδεξαμένου Ἐρεχθῆος
45	2	παρείχοντο τὸ καὶ
46	12	ὦλλοι
50	8	ἰδίου
51	4 5	μηνὶ ἐγένοντο
52	7	φρήγματος
52	11	ὁλοιτρόχους
56	1	ἐξηγγέλθη
56	3	ὡς ἔνιοι
68	6	παρεζόμενός οἱ
60	3	μὲν ἔτι οὐδὲν
60	36	μὴ οἰκότα δὲ
65	16	ἀπ' Ἐλευσῖνος
65	22	καὶ τῇ κόρῃ
65	29	ἀνθρώπων οὐδείς.
66	12	Μηλιέας, καὶ Δωριέας,
66	16	τῶν ἐπεμνήσθημεν
66	16	δὴ προσέβαινε
67	8	πόλεμον τῇ ἀποβήσεται·
67	11	ὦλλοι.
68	3	δὴ ὦλλοι. κατὰ
68	8	τὴν δὲ ἔασαν
68	11	ποιέεο.
68	12	τοσοῦτόν εἰσι
68	17	ὡς ἐκείνοις ἔπρεπε.
68	28	ἀτρεμέειν
73	2	Ἵδρυνται· νῦν τε καὶ
74	3	ἤδη δρόμου
75	27	ὁμοφρονέουσι, οὔτε ἀντιστήσονται
76	4	ἀπεβιβάσαντο·
76	9 et 13	εἵνεκα
76	15	πόρῳ ναυμαχίης
83	6	τοῖσι ἥσσοσι
84	3	ὤκελον
85	9 10	τοῦδε εἵνεκα
87	21	τὴν νῆα τῆς Ἀρτ.
92	5	Ἰχέες·
95	2	ἐμνήσθην ὡς
96	14	ἐρετμοῖσι φρίξουσι.
97	5	κινδυνεύσῃ,
97	11	ἠπιστέατο
98	4	ἂν ἡμερέων
98	6	ἑκάστην, ἵπποι τε καὶ ἀνὴρ
98	7	νὺξ ἔργει
98	11	κατ' ἄλλα

cap.	lin.	
99	8	ἐν αἰτίῃ
100	21	ταῦτα ποίεε.
100	22	ἀπάγειν τὴν
100	25	ἐν Πέρσῃσι τοῖσι
101	15 16	αὐτὸν δέ με
103	2	αὐτὸς ἐπενόεε.
104	3	τοῖσι Πηδασέοισι τούτοισι
106	1	ὥρμα ὁ βασιλεὺς
106	9	ἀγαθὰ ποιήσειεν,
106	20	ὠνείδιζε,
107	2 3	ἐκέλευέ μιν
107	5	ἐς τοσοῦτον
107	9	βασιλεῖ.
107	11	ἠπείρου ταύτης, ἔδοξάν τε
108	14	σφεῖς κακῶν
108	16	ἐς ὃ ἔλθοι
109	20	καταμείναντας,
110	1	Θεμιστοκλέης ταῦτα μὲν
110	7	ἐπίστευσε
111	3	μήτε πλώειν
111	4	περιεκατέατο,
111	12	ἐς τὰ μέγιστα
112	6 7	λέγων ταῦτα,
112	13	Καρυστίοισι οὐδὲν,
112	15	ἔφυγον τὸ
112	17	λάθρῃ
113	13	καὶ τὴν ἄλλην ἵππον.
113	13 14	ἐκ δὲ τῶν συμμάχων
115	12	ὁδὸν ἔφθειρε.
117	6	σιτία πλέω
118	5	Ὑδάρνει
118	18	ἐκπηδᾶν ἐς
119	6	μὲν ἐπὶ τοῦ
121	11	ἐστήκεε δὲ
123	4	διένεμον τὰς
125	6	ἔχοι τὰ
125	11	ἐς τοσοῦτον
128	6	ὅκως βιβλίον
128	9 10	τὸ βιβλίον
128	16 et 18	τὸ βιβλίον
129	4	παρίεσαν
129	5	διωδοιπορήκεσαν,
130	11 12	ἐπηνάγκαζε ὁ δεὶς·
130	19	ἐδόκεον πολλῷ
130	20	εἴ τε δυναίατο
132	16	ἠπιστέατο
132	17	δὲ τοιούτῳ,
133	5	χρησάμενον
135	8	ἕπεσθαί δέ οἱ
135	10	τε τὴν πρόμαντιν

cap.	lin.	
130	14	ἠπίστατο.
137	6	ἐνθαῦτα καὶ ἐθύτευον
137	9	ἔσαν γὰρ τοπάλαι
137	25	τάδε, "Ὧδε δεκόμεθα
140	3	ἀγγελίῃ ἥκε
140	11	ὑμέτερον αἴτιον
140	27	προχρήζω
142	11	τουτέων ἁπάντων αἰτίης
143	4	δέῃ τοῦτό γε
143	4 5	ἐλευθερίην σκεπτόμενοι, ἀμυνεύμεθα
144	32	ἡμέας καιρός ἐστι

LIB. IX.

cap.	lin.	
2	9	Εἰ δὲ ποιήσειας
2	10	κείνων ἰσχυρὰ βουλεύματα.
3	2	δεινὸς ἐνέστακτο
4	7	ἴσης τῆς
4	8	ἴσης ὑπ'
5	3	ὡς ἐδόκεε
5	14	ᾔεσαν
6	8	τε ἔπεμπον
7	1	ὥρταζόν τε
7	4	καὶ ἤδη ἐπάλξεις
7	10	ἀκίβδηλον νέμεται
7	26	ἡμῖν τὸν Πέρσην
8	3	τοῦτο καὶ ἐπὶ
9	5	μέγιστον ξείνων,
9	6	ἔλεγε, "Ἄρα σφι τάδε ἔχει
10	6	μὲν ἡ ἡγεμονίη
13	11	ἐξέλαυνε τῶνδε
14	4	ἐβουλεύετο, θέλων, εἴκως
16	1	Τάδε δὲ ἤδη
16	17	ταῦτα ἅμα τε τὸν
17	5	γὰρ δὲ σφέας καὶ
18	2	ἐπεί σφεας
18	18	ἐς τοσοῦτον
19	13	φρασθέντες δὲ τοῦτο,
21	11	πέμψητε
22	5	ἐγένετο ἐπὶ τῆς
22	7	ἵσταται ὀρθὸς,
22	13	ἐνεδεδύκεε.
22	19	τὸ γινόμενον·
22	22	τὸν νεκρὸν
23	3	ἐπεβοήθησε,
23	9	προσαπώλεσαν
25	3	ἐθάμβησάν τε πολλῷ

cap.	lin.	
25	6	τῶνδε εἵνεκα κ. τ.
26	15	συμβαλόντω·
26	19	ὅρκιον ἐπὶ
26	24	πατρῷα·
27	7	πατρῷόν ἐστι
27	7	εἶναι μᾶλλον ἢ
27	9	Ἰσθμῷ, τοῦτο μὲν, τούτους
28	23 24	τουτέων δὲ Χαλκιδέες
32	15	ἐπεικάσαι ἐστὶ, ἐς
33	17	τῶν πολεμίων·
33	20	ποιήσει ταῦτα,
34	3	αἰτεόμενος.
37	12	αὐτίκα δὲ
37	15	ὡς αἰυλασσόμενος
38	1	Ὁ μέντοι θάνατος
41	18	μὲν ἡ αὐτὴ
42	10	ἐσήμαινε
44	11	ἧκοι ἐπ᾿ ἵππου
45	21	οὕτω ἕδρον παράβολον
45	25	ὑμῖν ἐξαίφνης οἱ
46	18	ἀλλὰ ἀρρωδέομεν
48	22	οἷά ὦν
48	23	εἰ δὲ καὶ μὴ δόκεοι,
49	2	ὑπεκρίνατο,·
49	7	καὶ τοξεύοντες,
50	7	ὀπέωνες,
51	2	συμβολὴν ποιεύμενοι,
51	4	Γαργαφίης, ἐς τὴν ἐστρατοπ.
51	21	τοὺς ὀπέωνας
53	6	ταξιηρχέων
55	5	Λακεδαιμονίους,
55	15	ἔχρηζέ τε
58	16	καὶ συνηδέαται·
61	11	ἔπιπτον δὲ
61	17	χρήζοντα
62	7	κοτὲ ἐγίνετο,
62	8	ἐγίνετο ἡ μάχη
62	13	τοῖσι ἐναντίοισι
63	5	οἷδε ἀ. κ. ἀ. κατέβαλον
64	3	ἐπετελέετο,
65	11	ἐπὶ τοσοῦτον·
66	2	λιπομένου
68	2	ἤρτητο ἐκ
68	4	ἱρῶν. οὕτω
68	9	διώκοντες καὶ φον.
70	8	οἷα ἠμύνοντο,
70	12	καὶ ἤρειπον,
71	7	προσηνείχθησαν,
71	15	ἐκλείποντα
73	2	ἐκ δήμου
73	8	λέγουσι καὶ τοὺς
73	17 18	Δεκελέης ἀπέχεσθαι.
74	11	ἐφόρεε ἄγκυραν,
76	6	καὶ ἀμφίπολοι,
76	13	Σπάρτης, λῦσαί με
76	19	καὶ εἰ θυγάτηρ
79	22	ταῦτα δὲ εἴπας,
79	10	ἀποχρᾷ δέ μοι,
76	12	ψυχῇσί τε τῶνδε
80	3	ἐκέλευε τοὺς
80	12	ἐγίνετο οὐδείς.
82	5	κατεσκευασμένην,
82	7	ταυτὰ καθὼς Μαρδ.
82	19	ὑμῖν τοῦδε τοῦ Μήδων ἡγεμόνος, τὴν ἀφρ.
82	20	οἰζυρὴν
84	1	Ἐπεί τε δὲ Μαρ.
84	2	ὑπό τευ
85	3 4	τὰς ἱρέας ἔθαψαν,
85	6	ἦσαν οἱ ἱρέες,
85	15	εἵνεκα ἀνθρώπων,
87	6	χρήζοντες,
87	9	ὁ δῆμος νέει
89	2	ἐγίνετο.
89	6	εἰ ἐθέλοι
89	15	ἔτος κατὰ
89	25	αὐτὸς μὲν οὕτω
90	3	Δήλῳ ἐκατέατο
91	5	ὥρμητο
91	9	ἡ μὲν Σαμίους
93	1	Τότε τὸν πατέρα
93	11	κατακοιμήσαντος
93	16	ἀλλ᾿ ὡς
93	18	κατακοιμήσαντα,
96	3	πρὸς Καλαμίσοισι,
97	3	Ἐλευσινίης ἱρὸν,
98	3	ἐκπεφευγότων. ἀπορίη
98	7	καὶ ἄλλα
98	14	Ἴωνες, οἳ ὑμέων
98	19	μὴ ἀκούσας
98	20	τοῦ ἀκούσαντος
98	23	ἢ ἔπειτα ἀνενειχθέντα
99	13	τὰς ἐς κορυφὰς
102	10	γένοιτο τὸ ἔργον,
102	19	ὅτε τε πρὸς
103	5	στρατηγὸς Περίλεως.
104	6	τούτου γε εἵνεκα,
104	6	παρεόντας τῷ στρατοπέδῳ
104	7	πᾶν τοὐναντίον
107	2	ἄχρι τῆς Μυκάλης
108	1	ἤρα, ἤρα τῆς
108	4	προσεφέρετο, προμηθεόμενος
108	6	εὖ τε γὰρ
109	12	ἐγένετο, ὁ
110	7	ἐνιαυτοῦ, ἡμέρῃ
110	10	μοῦνον ὁ βασιλεὺς,
110	12	χρήζει τοῦ
111	2	χρήζοντα,
111	16	αὕτη τέ μοι
111	22	ἥσσων,
111	28	δή κου με
112	4	τούς τε μαζοὺς
114	2	Λεκτὸν ὥρμεον,
114	5	ἕνεκα ἐς
114	10	Ἀβύδου διαβάντες ἐς
116	5	Ἐλαιοῦντος ὑφελόμενος. ἐν γὰρ
116	24 25	Ἕλληνες ἀφύκτως δέ κως
117	2	καὶ ἤχαλον οἱ
119	1	ἐκφεύγοντα
119	8	ἦγον ἐς Σηστὸν·
120	3	καὶ ἔσπαιρον,
120	10	ἀδικέοντα τίνεσθαι,
120	15	ταῦτα ὑποσχόμενος, τὸν
122	14	αὐτοῖσι παρῄνεε

ΛΕΞΙΚΟΝ ΤΩΝ ἩΡΟΔΟΤΕΙΩΝ ΛΕΞΕΩΝ.

Ex ms. codice Melchioris Haiminsfeldii Goldasti.

Ἀνελη· χρήση.
Ἀναξυρίδας· τὰ βαθέα καὶ βασιλικὰ τοῦ ὑπό δημάτων.
Αὐλός· εἶδος ἀκολάστου ὀρχήματος.
Ἀνακῶς· ἐπιμελῶς, φυλακτικῶς.
Ἀβρὸν· καλὸν, αὔθαδες, τρυφερόν.
Ἀναισιμοῦν· δαπανᾷν, ἀναλίσκειν.
Ἀνέγνωσεν· ἀνέπεισεν, ἐδίδαξεν.
Ἀντίξον· τὸ ἐναντιούτενον.
Ἀλεξομένους· ἀμυνουμένους.
Ἄρδις· φαρέτρα· καὶ τὸ βέλος.
Ἀπίσας· ἱκανώσας.
1) Ἀφιδέας· ἀλύσεις· οἱ δὲ, ψέλλια.
2) Ἀποφρήν· τὴν τελουμένην τιμὴν ὑπὸ τῶν δούλων τοῖς δεσπόταις.
Ἀποτιμοτέρους· ἀτίμους.
Ἀπεματάϊσεν· ἐμώρανεν.
Ἀπηλικέστερον· πρεσβύτερον.
Ἀμύσσειν· 3) ταράσσειν, ἑλκοῦν, ξέειν.
Ἀνδρόσφιγγα· σύνθετον ἄνθρωπος καὶ σφίγξ δημιούργημα.
Ἀτιμωρητί· ἥγουν καταφρονήσας.
Ἀνδρόγυνος· ἑρμαφρόδιτος.
Ἀμβολάδην· καθ' ὑπερβολήν.
Αἰγίς· ἣν Λίβυες φοροῦσι δοράν.
Ἀνθέρικας· τοὺς καυλοὺς τῶν ἀσφοδέλων.
Ἀγηλατέειν· διώκειν, φυγαδεύειν, ἐπιτάττειν, ὑβρίζειν.
4) Ἀχαιρεσίη· τὸ πρὸς χάριν τοῖς πολλοῖς ζῆν, καὶ τὸ ἐπιδόσεις χρημάτων ποιεῖσθαι.
Ἄφλαστον· τὸ ἄκρον πρύμνης.
Ἀρθμία· φιλία.
Αἰωρηθέντες· μετεωρισθέντες.
Ἀναιρεόμενον· τὸ ἐν γαστρὶ συλλαμβανόμενον.

Ἀκανθοπλήξ· ὁ πληισσόμενος.
Ἄβιος· ὁ πολύβιος· ὡς ἄξυλος, ὁ πολύξυλος.

Βυσσός· βυθός.
Βάρις· ναῦς.
Βουπόρους· ὀβελοὺς μεγάλους.
Βαλανάγρα· κλείς.

Γαυλός· πλοῖον φοινίκιον· καὶ φρέατος ἀντλητήριον, καὶ γαλακτοδόχον ἀγγεῖον.
Γεωπεῖναι· οἱ γῆς πεινῶντες καὶ ἄποροι.
Γνωσιμαχεῖν· τὸ γνῶναι τὴν αὐτοῦ ἀσθένειαν καὶ τῶν ἐναντίων τὴν ἰσχύν.
Γοργύρη· δεσμωτήριον ὑπόγειον.
Γυμνοπαιδία· ἑορτὴ ἐν Σπάρτῃ, ἐν ᾗ γυμνοὶ χορούς ἱστᾶσι.

Δημιόεργοι· εἰς τὸ δημόσιον κάμνοντες.
Διθύραμβος· ὕμνος εἰς Διόνυσον.
Διασφᾶγες· αἱ διεστῶσαι πέτραι.
Διφροφορευμένος· φορείοις φορουμένους.

Ἐγχρίψαι· ἐμπεσεῖν, προσπελάσαι.
Ἐσηθίσαντες· ὑλίσαντες.
Ἐνηβητήρια· ἐνευωχητήρια.
Ἐλόχισεν· εἰς λόχους κατέταξεν.
Εὐλέων· σκωλήκων.
Ἐπιφορήματα. τραγήματα.
Ἐπίλαμπτος· καταφανής.
Ἐπάϊστος· φανερός.
Ἔπιπλα· ἡ μὴ βεβαία κτῆσις, ἀλλ' ἐπιπόλαιος· ἔπιπλα καὶ τὰ ἐπάνω τῶν στρωμάτων.
Εὔτυκτα· ῥᾳδίως εἰργασμένα.

1) scr. ἀμφιδ ii. 69. 2) scr. ἀποφορὴν, ii. 109. 3) f. σπαράσσειν, iii. 108. 4) scr. ἀρχαιρεσίη, vi. 58.

Ἐννώσας· ἐννοήσας.
Εὐμάρεια· ἡσυχία, εὐκολία.
Ἔμβολος· χάλκωμα περιτιθέμενον περὶ τὴν πρῶραν ταῖς ναυσίν.
Ἐνάρεες· οἱ ὁπλῖται.
Ἔφεδρον· ἐπίκληρον.
Ἐπίστιον· ἔποικον, κατάλυμα.
Ἔκνιζεν· ἔδακεν, ἀπὸ τῆς πόας.
Ἐναγίζειν· χοὰς ἐπιφέρειν τοῖς παροιχομένοις.
5) Ἐδώλοισι· ὑποστρώμασι νηός.
Ἐκύρησεν· ἔτυχεν.
Ἐπικάρσιον· πλάγιον.
Ἐπιστρεφέως· ἐπιμελῶς.
Ἐλῶν· ἐλάσας.
Ἐπαμησάμενος· ἀνακινήσας.
Ἐνωμοτία· τάξις παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς.
Ἑρμίς· ὁ κλινόπους.
Ἔλυτρον· σκέπη, δέρμα.
Εἰρήν· παρὰ Λακεδαιμονίοις ἐν τῷ πρώτῳ ἐνιαυτῷ ὁ παῖς ῥωβίδας καλεῖται, τῷ δευτέρῳ προκομιζόμενος, τῷ τρίτῳ μικιζόμενος, τῷ τετάρτῳ πρόπαις. τῷ πέμπτῳ παῖς, τῷ ἕκτῳ μελείρην. Ἐφηβεύει δὲ παρ' αὐτοῖς ὁ παῖς ἀπὸ ἐτῶν ιδʹ μέχρι καὶ κʹ. Βαρυτόνως δὲ τὸ μελείρην, ὥσπερ πυθμὴν ἀπύθμην, αὐχὴν ὑψαύχην.
Ἐπίδοξα· ἀντὶ τοῦ προσδόκιμα.
Εὐεστή· ἡ εὐημερία, εὐετηρία· ἡ καλλίστη τῶν ἐτῶν διαγωγή. Διογενιανὸς ἄνευ τοῦ σ γράφει.
6) Εἰρά· μίτρα, ζώνη.

Ζύγαις· καθέδραις.
Ζῶνε· πορφυροῦν ἔνδυμα.
Ζάκορος· νεωκόρος, ἱερεύς.

Ἡμεκτέων· δυσφορῶν.
Ἡβηδόν· μετ' ἰσχύος, μετ' ἀκολασίας, ὀρχηδόν.
Ἤλυσιν· ἔφοδον, πορείαν.

Ἴλη· τάξις ἱππική, συστροφή.
Ἰθαγενεῖς· οἱ γνήσιοι παῖδες.
Ἰτία· δεῖπνα.
Ἰακχάζουσι. λέγουσι, φλυαροῦσι.

Κνάφος· ἄκανθα ἕλκουσα ἱμάτια.
Κατατέλεα· τὰ ἀναλώματα, καὶ συνέδρια.
Κνυζημάτων· γοερῶν ἀποφθεγμάτων.
Κορύνη· ξύλον ἐπικαμπές.
Κρέξ· ὄρνεον δυσοιώνιστον τοῖς γαμοῦσι.
Κάπτοντες· ἀποδεχόμενοι.
Καινοῦν· τὸ χνήσασθαι λόγῳ καινῷ.
Κομιστή· ἀνάσωσις, ἐπιμέλεια.
Κέρκουρος· νεὼς εἶδος.
Κληρούχους· γεωργούς.
Κρησφύγετον· καταφυγή, ὀχύρωμα.
Καταγινέων· καταλύων.
Καλλιερεῖσθαι· θύειν.
Κωματώγη· ὑπαγωγή, αἰγιαλός.
Κυρβασίας· τιάρας.

Λεύκη· πάθος περὶ ὅλον τὸ σῶμα.
Λαῦραι· ῥῦμαι, ἀμφόδια.
Λίνον· λύρας χορδή, ἢ ᾠδῆς ὄνομα.
Λάξιν· λῆξιν, μερισμόν, κλῆρον.
Λάσθη· αἰσχύνη.

Μετεξέτεροι· τινές.
Μύδρον· σίδηρον ἀργόν.
Μεληδωνοί· φροντισταί.
Μυχοί· καταδύσεις.

Νεοχμῶσαι· νεωστὶ κινῆσαι.
Ναυλόχιον· λιμένα.

Ξενίην συνεθήκατο· ὡς ξενίην ἐδωρήσατο.

Ὄρθιος νόμος· τρόπος μελῳδίας.
Οὖρον· ὁροθεσία.
Ὄχανα ἀσπίδων· πόρπακες καὶ δεσμοί.
Οὐ καταπροΐξεσθαι· προῖκα ποιῆσαι.
Ὀργίσας· μαλάξας.
Οἰσύπη ῥυπαρὰ προβάτων ἔρια.
Οὐκ ἱκνεομένως· οὐ προσηκόντως.
Ὄνος· τὸ περὶ τὰ τῶν ὑδάτων ἀγγεῖα πολύπουν καὶ συστρεφόμενον.
Ὀρχηδόν· ἡβηδόν.

Πηκτίς· ὄργανον, ψαλτήριον.
Πεσσοί· ψῆφοι.
Πρυτανεῖον θεσμοθέτιον, θόλος, καὶ ἡ τοῦ σίτου θήκη.
Πρόχυσις· τὸ ἀποσπεῖσαι.
Πρόπολος· νεωκόρος. μετὰ τοῦ ς, ὁ δοῦλος.
Πάταικοι· θεοὶ φοινικικοὶ ἐν ταῖς πρύμναις ἱδρυμένοι.
Παλάθας· τὰ ἐκ τρυγὸς πλάσματα, κυρίως δὲ ἡ τῶν σύκων ἐπάλληλος θέσις.
Περιφορητά· ἀκτά.
Πρόξεινοι· προστάται.

5) scr. ἑδωλίοισι I. 24. 6) Scribendum puto ζειρὰ et refero ζ. vide VII. 69 et 75.

Πολέμαρχος· ἄρχων τῶν ξένων.
Πρόκα· εὐθύς.

Ῥηπὶς· πλέγμα.
Ῥηχίης· φραγμοῦ, ἢ δέσμης τῶν φραγμῶν.
Ῥῆχος· φραγμός.

Σπερχθεὶς· ταραχθείς.
Σκευή· ὅπλισις καὶ στολή.
Συμψήσας· συντρίψας.
Σαγάρεις· πελτέκεις.
Σχοινοτενές· μακρόν.
Συρμαΐζειν· καθαίρων πόματι τῷ ἐκ ζειῶν καὶ ὕδατος.
Σπαδίξας· ἐκδείρας. Σπάδιξ γὰρ φλοιὸς ῥίζης πρινίνης. οἱ δὲ, φοίνικος ῥάβδον. Σπάδικες δὲ καὶ οἱ κύνες, καὶ σπάδιξ, ὄργανόν τι κιθαριστικόν.
Συρμαίη· βρῶμα διὰ στέατος καὶ μέλιτος. ἢ λάχανον σελίνῳ ἐοικός.
Σκυτάλαις· ῥάβδοις.
Σῶστρα· σωτήρια, λύτρα.
Σώχουσι· τρίβουσι.
Σχοίνου συμβολεῖς· αἱ ψιαθοπλόκοι.
Στρόφος· τὸ περὶ τὴν κεφαλὴν ἐρεοῦν.
Σταθμός· ὁδοῦ μέτρον, κατάλυμα.
Σινάμωρον· κακόχολον.
Σαυρωτήρ· ξυστὸν. δόρυ. ἢ στύραξ ὃν ἔνιοι καλοῦσιν οὐρίαχον.

7) ἴσ. τόρμον, IV. 72.

Τριηκάδας· δεῖπνα κατὰ δήμους καὶ ἀριθμοὺς ἀνδρῶν λ΄.
Ταρσοὶ καλάμων· πρασιὰ ἐν ᾗ ἐξήραινον τὴν πλίνθον.
Τριφάσιοι· τρίφωνοι, τριπλάσιοι.
7) Τόρνιον· τὸ τρῆμα, καὶ τὸ ἐνιέμενον εἰς αὐτό.
Τέμπεα· τὰ στενὰ τῶν ὀρῶν, καὶ οἱ σύνδενδροι τόποι.
Ταινίαν. διάδημα.
Ταρσός· ἡ τῶν ὀρνίθων πτέρωσις.

Φαρμάκοις· βαφαῖς.
Φάλαρα· τὰ περὶ τὰς γνάθους σκεπάσματα.
Φάρσος· τρύφος, κλάσμα.
Φρενήρης· σώφρων.
Φριμάξασθαι· φρυάξασθαι, φυσῆσαι.
Φόρμος· πλέγμα, ὁ κόφινος.
Φυλάξαντες. ἐπιτηρήσαντες.
Φορέγγυος· βιβαιωτής.

Χρήματος· πράγματος.
Χοιράδες· πέτραι λεῖαι ἐν θαλάσσῃ.
Χορδεύων· τέμνων.

Ὕηνες· κυνώπια τὰ ἐν τοῖς ὀλύνθοις τοῖς ἄρσεσι.

CHRONOLOGIA HERODOTI.

INITIUM HISTORIAE HERODOTI.

Ab hoc anno Mundi 3246 deinceps continua series annorum 240 in Herodoto extat, a Gyge Lydorum Rege, usque ad Croesum ipsius abnepotem a Cyro Persarum Rege captum, et deinceps usque ad Xerxis et Persarum ex Graecia fugam, quae in annum mundi 3486 incidit.

Est autem Croesus a Cyro captus anno mundi 3416 anno nono ante Cyri Monarchiam.

A Croeso capto, usque ad initium Gygis, et interfectum Candaulem, postremum ex Heraclidis Lydorum Regem, numerat Herodotus annos 170. In vulgaribus vero Chronologiis tantum 150 ponuntur.

Coepit igitur regnare Gyges, anno Mundi 3246 qui est primus annus Manassis Regis Iuda: cum ante 34 annos urbs Roma primum condita esset.

Ab eo tempore, continua Annorum Series in Herodoto, usque ad 10 annum Xerxis, extat. Quam sequenti Tabella, seu Chronologia spectandam proponemus.

Anno Mundi	REGES IUDA.	LYDIAE.	MEDIAE.
	Ezechias.	Candaules postremus ex Heraclidis Rex Lydorum, quo interfecto, Satelles ipsius Gyges regnavit annis 38. Herodot. lib. i. c. 12, 13.	
3246	Manasses Rex Iuda annis 55. 4. Reg. 21. 2 Par. 33.		
3256		Cepit Colophonem: et Smyrnam ac Miletum oppugnavit, lib. I. c. 14.	Deioces vir sapiens, et iustus, Medorum rex annis 53. Herod. I. 96. 98. 102.
3277			Condidit Egbathana. lib. I. c. 98.
3284		Ardys, secundus Rex Lydorum, annis 49. Herodotus lib. I. p. 7. Cepit Prienas lib. I. c. 15, 16.	Hic existimatur esse Arphaxad, cuius dux fuit Holophernes a Iuditha interfectus.
3293	Amon Rex Iuda 2. annis, 4. Reg. 31.	Ardys tempore Cimmerii a Scythis pulsi, Asiam pervagati sunt, et Sardes ceperunt, lib. I. c. 15. 103.	
3301			Phraortes annis 22. Herodot. lib. I. c. 73. 102.
3303	Iosias, 31. annis, 4. Reg. 22. Paral. 34, 35.		
3316	Ieremias Propheta concionari incipit, Ierem. I.		
3331		Nabuchodonosor primus Babylone regnat 35. annis. Incipit cum Iosia.	Cyaxares Medorum Rex, annis 40. lib. I. c. 73. 103.
3333	Ioachaz tribus mensibus.		
3334	Ioachim rex Iuda, 11. annis. 4. Reg. 23, 24. 2 Paral. 35.	Sadyattes 3. Rex Lydorum 12. annis, l. I. c. 16.	Totam Asiam, usque ad Halym fl. Medis subiecit. Cepit Niniven, ut a Propheta Nahum erat praedictum lib. I. c. 103.
3336	Daniel cum sociis in Babylonem abductus est. Dan. I.		
3338	Ieremias praedicit captivitatem 70. annorum, cap. 25. Et dictat volumen comminationum cap. 36. 45.	Nabuchodonosor Magnus Chaldaeorum Rex annis 43. Ierem. 25.	
3345	Iechonias Rex 3. mensibus, suasu Ieremiae, dedidit se Babyloniis, anno 8. Nabug. 4. Reg. 24.	Alyattes 4. Lydorum Rex, annis 57. Herod, lib. I. c. 16.	Scythae viginti octo annos imperium Asiae tenuerunt. Herod. lib. i. c. 106.

AEGYPTI.	GRAECIAE.	ROMAE.
Aegypti descriptionem accuratam, et longum Regum Aegyptiacorum seriem, quae tamen temporum distinctione caret, Herodotus libro secundo complexus est. Sethon Sacerdos II. 141 et Rex Aegypti, sub quo Sennacherib rex Assyriorum obsidens Pelusium divinitus in fugam vertitur. existimo autem Herodotum voluisse liberationem Ierosolymae, et Ezechiae obsessi a Sennacherib indicare. Sed vera historia non integre ipsi nota fuit.	Archilochus Parius Poëta Iambicus, vixit tempore Romuli, (Cicero Tuscul. 1.) et Gygis Lydorum regis. Herodot. lib. I. c. 12. Hunc ob mordacitatem Lacedaemonii ex urbe eiecerunt.	Urbs Roma a Romulo condita annis 34 ante Candaulem Lydorum Regem a Gyge interfectam. 2. Numa Pompilius regnare incipit anno 4. Gygis, qui est Mundi 3250.
Duodecim duces Aegypti post Sethonem, Herodot. lib. II. c. 147.		
Psammetichus unus ex 12. Ducibus, solus regnat annis 54. Herodot. lib. II. c. 151. 157. Ab hoc certa series annorum et rerum in Aegypto gestarum, apud Herodotum extat.	Battus filius Polymnesti, et Phronimes ex insula Thera Coloniam duxit in Lydiam, et urbem Cyrenen condidit, iuxta fontem Apollonis, Herodot. lib. IV. c. 150 circa annum Mundi 3300 lib. IV. c. 153, 4, 5, 6, 9.	3. Tullus Hostilius. annis 31.
Necho Rex Aegypti, annis 16. Herodot. lib. II. c. 158, 159.	Cypselus Corinthi Tyrannus, pater Periandri, Herod. lib. V. c. 92, 93, 94. Phalaris Agrigenti Tyrannus.	4. Ancus Martius, 24. annis.
Interfecit Iosiam Regem Iuda in Mageddo. 2. Paralip. 35. 4. Reg. 23.	Zaleucus Locrensium legislator. tametsi hunc ad Pythagorae tempora aliqui referunt.	
Duxit fossam ex Nilo in sinum Arabicum lib. II. c. 158.	Alcman Lydus Poëta Lyricus.	
Iussit circumnavigari Africam, ut Terrae ambitum, et magnitudinem exploraret. Herod. lib. IV. c. 42. Psammis sex annis in Aethiopia bellum gessit, lib. II. c. 160, 161.	Arion Methymneus Musicus Delphino ex Italia Corinthum vehitur. Herodot. lib. I. c. 23. Stesichorus Siculus, Poëta Lyricus.	5. L. Tarquinius Priscus 38 annis.

Anno Mundi	REGES IUDA	LYDIAE.	MEDIAE.
	Hic una abductus est Mardocheus. Esth. 1. Sedechias ultimus rex Iudae, annis 11. 4. Reg. 25. Paral. 36.	Eiecit Cimmerios ex Asia lib. I. c. 16.	Scythae Mediam incolentes I. 103. IV. 12. transfugiunt ad Alyattem Lydum. Inde ortum bellum sexennale. Post quod Alyattes filiam suam Aryenen, filio Cyaxaris Atyagi elocat. Herod. lib. I. c. 73, 74.
3350	Ezechiel Propheta in Babylone concionari incipit. Ierosolyma eversa a Nabuchodonosore. 4. Reg. 24, 25. 2Paralip. 36.	Cepit Smyrnam I. 16. Obsedit Miletum c. 17. cuius Princeps erat Thrasybulus, qui Periandro consilium dat de Spicis extantibus decutiendis, Herodot. lib. I. c. 21, 22, 23. V. 92. 96. 97.	
3356	Initium Captivitatis Babylonicae, quae duravit annos 70. Ier. 25. 29. Dan. 9.		Astyages Medorum rex, anni 35. Herod. lib. I. c. 107. Hic fuit sorarius Croesi Regis Lydorum (lib. I. c. 73.) et avus Cyri maternus. Herod. lib. I. c. 74.
3371			
3382	Iechonias liberatur, en carcere, anno 3. transmigrationis. 4. Regum 25.	Gessit bellum cum Cyaxare Medorum Rege. Herod. lib. I. c. 16.	
3390		Fuit amicus Periandri Tyranni Corinthiorum, Herod. lib. III. c. 48.	Iubet exponi Cyrum infantem lib. I. c. 108, 109.
3403		Croesus Lydorum Rex annis 14. lib. I. c. 26.	Harpago proponit proprium ipsius filium comedendum. lib. I. c. 119.
3406		Ephesum, et vicinas urbes Ionicas suo regno adiecit, Herod. lib. I. c. 26. 28.	Astyages Medorum rex, cui soror Croesi Aryenis nupta fuit I. 73, 4. capitur a

AEGYPTI.	GRAECIAE.	ROMAE.
Apries superbus, 35 annis. Huius mentionem facit Ieremias cap. 44. Herodot. lib. II. c. 161.	Lacedaemonii a Tegeatis viti et capti sunt lib. I. c. 66.	
	SEPTEM SAPIENTES.	
	Thales Milesius praedixit Eclipsin Solis sub Cyaxare. lib. I. c. 74. Bias Prieneus, lib. I. c. 27.	
Apries cum initio opibus, et potentia floruisset, tandem victus est a Graecis ad Cyrenen lib. II. c. 161. lib. IV. c. 159. Ideo Lybies ab eo defecerunt, eumque strangularunt II. 169.	Pittacus Mityleneus. lib. I. c. 27. Cleobulus Lyndius. Chilon Lacedaemonius, lib. VII. c. 235. Periander Corinthi, et Corcyrae dominus lib. I. c. 20. III. 48. v. 92, 96. 97.	Servius Tullius, Cicero gentilis, annis 24.
Amasis Aegypti Rex annis 44. attigit initia regni Cambysis lib. II. c. 172.	Solon Atheniensium Legislator, cuius peregrinationum in Aegyptum, Cyprum, Asiam ad Croesum mentio fit, lib. I. c. 20, 20, 31, 32, 33. II. 177. v. 113.	
	Epimenides Cretensis.	
Amasis. Huius Amasis tempore Aegyptus florentissimus fuit lib. II. c. 177.	Eodem tempore Anacharsis Scytha, doctrinae causa in Graecia peregrinatur. Herodot. lib. IV. c. 46. 66, 67.	

Anno Mundi	REGES IUDA.	LYDIAE.	MEDIAE.
		Colloquium Solonis, et Croesi de vita beata. Herod. lib. I. 30. 32, 33.	sarum I. 127, 128. Hinc sumitur initium 20 annorum Cyri regis Persarum, quorum Sacrificia, et mores describuntur. Herodoti lib. I. c. 131—141.
		Adrastus filius Gordii, nepos Midae Regis Phrygum, pollutus caede fraterna, expiatur a Croeso. lib. I. c. 35.	—
		Croesus, victo Astyage sororio, explorat veritatem oraculorum. Herod. lib. I. c. 47.	PERSARUM. Cyrus Mazaren Medum, et Harpagum mittit, ut Ioniam, Cariam, et Lyciam occuparent, lib. I. c. 162. 160. 177.
3416		Delphis accipit oraculum, Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. lib. I. c. 53.	Phocenses obsessis ab Harpago cum coniugibus, et liberis navigant in Corsicam. Inde Rhegium et Veliam, I. 162, 3, 4, 5, 6, 7. Ab his Phocensibus Massyliam postea conditam esse, Thucydides scribit, lib. I. p. 4.
		Deinde moto adversus Cyrum bello vincitur in Cappadocia (p. 16.) et statim postea Sardibus obsessibus obsessus a Cyro capitur, Irus et est subito, qui modo Croesus erat, Herod. lib. I. c. 80—86.	Teii, relicta patria, urbem Abdera in Thracia condiderunt, lib. I. c. 168.
			Xanthi in Lycia obsessi, suas coniuges, et liberos in arce inclusos ipsi comburunt, lib. I. c. 176.

AEGYPTI.	GRAECIAE.	ROMAE.
	Pisistratus filius Hippocratis Nisaeam arcem capit et astu Tyrannidem Athenis occupat. Unde eiectus ab Alcmaeonidis, Eretriae in Euboea 21. annos exulat, Herod. lib. I. c. 59, 60, 61.	
Amasis.		
Fuit confoederatus Croesi, Herod. lib. I. c. 77.	Sappho Lesbia, pag. 78, 300. Lacedaemonii cum 300. Argivis de Thyria pugnant lib. I. c. 182.	
Amicus Polycratis Samiorum Tyranni felicissimi, lib. III. c. 39, 40.		
Amasis.	Alcaeus Poëta Mitylenaeus, lib. V. c. 95. Arganthonius Gadium, et Beticae Rex annis 80. Phoceustum amicus, lib. I. c. 163.	
Duxit uxorem Laodicen filiam Batti Regis Cyrenarum. Herodotus lib. II. c. 187.		
	Pythagoras Samius. Phocylides Milesius.	

FAMILIA ACHAEMENIDARUM.

Achaemenes
Cambyses
Cyrus
Teispes
Ariaramnes
Arsamenes, cuius mentio fit libro I. pag. 43, 44.
Hystaspes.

Gobryas pater Mardonii, p. 180. 199. 200. — soror Darii — DARIUS rex. — Atarnes, p. 237. — Artaphernes, p. 164. — Artabanus, p. 130. et 201.

Artaphernes (filius Artaphernis), p. 193, 211, 212.

Filii Gobryae et sororis Darii: Mardonius Dux contra Graecos, lib. VI. p. 180. deponitur 189. Inflammat Xerxem, ut instauret bellum, pag. 199. 220.

Filii Darii: Artobazanes primogenitus, cedit fratri de regno, p. 199. — Xerxes. — Achaemenes Aegypto praefectus, p. 200. 214. 230. — Masistes p. 113. 285. 286.

Anno Mundi	PERSARUM.	GRAECIAE.	
3447		Plataenses a Thebanis deficientes adiunxerunt se Athenensibus, Thucyd. lib. III. pag. 77. Pisistrati filius Hipparchus ab Aristogitone, et Armodio, cuius pudicitiae insidiatus fuerat, necatus est, Herod. lib. V. c. 55, 56. Thucyd. lib. VI. p. 159. anno quarto ante eiectum Hippiam.	Democedes Medicus Dario familiaris, ducit filiam Milonis athletae, lib. III. c. 137. Syloson frater Polycratis, in Samum reducitur, III. 139-149. Sibaris deleta a Crotoniatis V. 44.
3450	Darius Babylonem industria et fide Zopyri recipit, lib. III. c. 153—159.	Dorieus frater Cleomenis Coloniam ducit in Siciliam, sed ab Egestanis interfectus est, lib. V. c. 46.	Cleomenes Rex Spartanus Pisistrati filios Athenis eiicere conatur, lib. V. c. 64, 65.

Anno Mundi	PERSARUM.	CRAECIAE.	
3352	Bellum adversus Scythas a Dario infeliciter suscipitur, lib IV. 1. 83. usque ad 99. et 120 -- 143. cui expeditioni etiam Miltiades Atheniensis interfuit, IV. 137. VI. 34—41.	Hippias frater Hipparchi propter Tyrannidem Athenis pellitur (anno 20 ante praelium Marathonium cum Pisistratidae 36 annos Athenis regnassent. Secesserunt autem una in Sigaeum, lib. V. c. 62. 64, 65. 94.	Aryandes Aegypti Praefectus in Lybiam copias mittit, a quibus urbs Barce capta est, et direpta. IV. [illegible], ", 200 — 204. Consules Romae Regibus eiectis Remp. regunt.
3456	Perinthus, Thracia, Paeonia Persis subiiciuntur a Megabazo Darii capitaneo, lib. V. c. 1, 2, 12. 17. 23.	Postea Clisthenes Alcmeonides, Periclis avus maternus, cum Isagora de principatu Athenarum contendit; et Decem Tribus instituit, lib. V. c. 66, 70 — 74. VI, 131.	Cleomenes rursus in Atticam exereitum ducit, ut Clisthenem pelleret, sed orta dissensione cum collega Demarato, re infecta decedit V. 70—75.
3456	Darius mittit legatos ad Amyntam Regem Macedoniae, qui cum immodestius attrectassent sinus mulierum in Gynaeceo, interfecti sunt, lib. V. c. 17, 18, 20. Byzantium, Chalcedon, Lemnus a Persis capiuntur, lib. V. c. 26, 7.	Deinde cum Lacedaemoniis, Boeotiis, et Aeginetis bellum gerunt Athenienses, lib. V. c. 70. Lacedaemonii revocant Hippiam, et suadent sociis, ut eum restituant, c. 90. 91. Sed repugnante Sosicle Corinthio, nihil actum fuit. lib. V. c. 92. Hippias itaque ad Artaphernem Sardium praefectum fugit. Is Atheniensibus mandat, ut Hippiam recipiant. Quod cum recusarent Athenienses, c. 96. postea se Aristagorae Milesio contra Persas coniunxerunt, lib. V. c. 96, [illegible].	
3458	Expeditio in Naxum frustra suscipitur ab Aristagora Milesio et Artapherne Sardium praefecto, V. 28 -- [illegible]. Aristagoras Milesius, impulsus ab Histiaeo deficit a Persis, et Ionas, et Athenienses, et Eretrienses in societatem belli attrahit, quod sex annos duravit, lib. V. c. 35. 3[illegible]. 99. Sardes incensae ab Aristagora, et Atheniensibus, conflagrarunt, V. 101.	Miltiades Lemnum Atheniensibus subiicit, iib. VI. c. 93. Hecataeus historiae scriptor Aristagorae familiaris, II. 143. V. 36. 125. VI. 137. Athenienses Aristagorae 20 naves auxilio mittuut, αὗται δὲ αἱ νέες ἀρχὴ κακῶν ἐγένοντο Ἕλλησί τε, καὶ βαρβάροισι, lib. V. c. 97. Samii hoc tempore Coloniam in Messenem Siciliae urbem ducunt, VI. 22, 3.	

Anno Mundi	PERSARUM.	GRAECIAE.
	Postea Ionibus ad Ephesum caesis, Athenienses eos deserunt, lib. V. c. 102. Tandem Persae Ionas, Cares, et Cyprios vicerunt: et Aristagoras fugiens in Thraciam, interfectus est, lib. V. c. 115—127.	
3464	Sed Histiaeus bellum instaurat, cuius hic exitus fuit, ut Mileto capta, et direpta Histiaeus cruci affigeretur, libro VI. c. I. 1—31.	Miltiades Chersonesi Thraciae Praefectus, cum Persae, capta Mileto, Thraciam invaderent, Athenas fugit VI. 39. 41. ubi paulo post Persas ad Marathonem profligavit, VI. 102—113.
3466	Circa haec tempora Mardonius gener Darii exercitum in Graeciam ducit, et Thasum Insulam, et Macedoniam occupat. Sed cum ad Athon montem Naufragium fecisset, et ipse a Brygis Thracibus vulneratus esset, inglorius in Asiam rediit, lib. VI. c. 43—46.	Thasii a Dario iubentur muros demoliri. lib VI. c. 44, 46, 47.
3467	Darius legatos in Graeciam mittit, petentes sibi terram et aquam dedi. lib. VI. c. 48.	
3471	Datis Artaphernes, et Hippias Pisistrati filius, a Dario ad delendam Eretriam, et Athenas mittuntur, lib. VI. c. 94.	Aeginetae cum Dario terram, et aquam dedissent, VI. 49. a Cleomene Lacedaemoniorum rege bello petuntur. lib. VI. c. 50, 51. 73.
3472	Sed cum in campum Marathonium Athenis vicinum Persae descendissent, consilio Miltiadis ab Atheniensibus profligati sunt, anno quinto ante mortem Darii, lib. VI. c. 102—113.	Demaratus Rex Spartanus a Cleomene aemulo pulsus transfugit ad Darium regem Persarum. lib. VI. c. 64. 70.
	Hoc praelium anno 20. post eiectum ex Athenis Hippiam, et Pisistratidas, factum esse scribit Thucydides pag. 160. et decem annis ante praelium navale ad Salaminem, Plato lib. III. de legibus pag. 637.	Empedocles Agrigentinus Philosophus.
3477	Darius anno quinto post praelium ad Marathonem mortuus est, lib. VII. c. 4.	Anaxagoras Clazomenius praeceptor Periclis, Socratis, Thucydidis.

Anno Mundi	PERSARUM.	GRAECIAE.
3478	Xerxes Dario succedit. lib. VII. c. 5.	
	1. Xerxes Aegypto, quae ante triennium defecerat, vi recuperatae, praeficit Achaemenem fratrem, qui post annos [illegible] ab Inaro rege Libyae, et Atheniensibus interfectus est, lib. II. c. 12. VII. 7.	
	2. Sapientissima Deliberatio in senatu Regni Persarum habita, de bello Graecis inferendo, quam describit Herod. lib. VII. c. 8—12.	
	Decreto bello VII. 15—18. integrnm quadriennium in apparatu belli, et perfodiendo monte Atho, consumit, lib. VII. c. 20—5.	Aristides ab ingratis civibus in exilium eiectus, lib. VIII. c. 79. 95.
3483	6. Xerxes cum exercitu pedestri ex Cappadocia movens, ad Pythium Phrygiae Regem opulentissimum divertit, et per Colossas itinere facto, venit Sardes, ubi per hyemem commoratur, lib. VII. c. 26—32.	Graeci audita fama imminentis belli, omnes privatas simultates oblivione delent, et συγκρητισμῷ facto, mittunt Legatos, petentes auxilium a Gelone Syracusarum Rege, a Cretensibus, et Corcyraeis. lib. VII. c. 145. 148, 9. 153. 157 — 62 168.
	Interea mittit legatos in Graeciam, petentes terram et aquam, lib. VII. c. 32.	
	Et Hellespontum pontibus iungi, et flagris caedi, et mari compedes inici iubet, lib. VII. c. 33. 36.	
3484	7. Xerxes primo vere ex Sardibus movet, VII. 37. et Abydi totum exercitum, navalem et terrestrem, ex sublimi conspiciens lachrymat, quod post centum annos nemo ex toto illo numero superstes futurus esset. lib. VII. c. 42—6.	Themistocles interpretatur oraculum de muris ligneis. lib. VII. c. 140—44.
	Postea Hellespontum transit (VII. 53.) et in Dorisco Thraciae littore, ad ostium Hebri, universum exercitum numerat, usque ad c. 100. 108. Fuerunt autem eo tempore in exercitu Xerxis Homines 33,170,20.	Decreverunt aditum ad Thermopylas custodiendum, et classem ad Artemisium mittendam esse (VII. 175.) ubi resciscunt classem Xerxis ad Magnesiam naufragio disiectam esse. lib. VII. c. 188. 192. 195. 201 - 4.
3484	Transiens autem per Thraciam, Macedoniam, Thessaliam (VII, 108. 138. 196. 201.) tandem ad Thermopylas, trecentos Lacedaemonies una cum rege Leonide trucidat. VII.	Gelon Syracusanorum Rex, frater Hieronis ad quem multae Pindari Odae extant.) Amilcarem Carthaginensem ducem ad Himeram cum

Anno Mundi	PERSARUM.	GRAECIAE.
	201–225. Tempore Solstitii aestivi, quo Olympias 6 mense Maio, aut Iunio celebrabatur lib. VII. c. 223.	30,000 trucidat eadem die, qua ad Thermopylas (ut Diodorus Siculus lib. XI. testatur) vel qua ad Salaminem dimicatum est, ut Herod. lib. VII. c. 156. 167. scribit.
	Inde progressi Persae per Phocaicam a Templo Delphico fulminibus depelluntur, lib. VIII. c. 24–39.	Graeci ad Artemisium Classem Persicam vincunt, lib. VIII. c 1–18.
	Xerxes urbem Athenas vacuam VIII. 51. capit, et arcem incendit tertio mense, postquam ab Hellesponto discesserat, lib. VIII. c. 50. 53.	Postea decernunt se ad Salaminem velle classis Persicae impetum sustinere, VIII. 40. 70. 74–6. 83.
	Eadem aetate circa autumnum classis Xerxis ad Salaminem profligatur, lib. VIII. c. 70. 84. 96.	
	Xerxes fugiens die 45 Hellespontum traiicit (VIII. 97. 108, 115, 119. 113.) relicto in Graecia Mardonio, c. 100. 107. qui imminente hyeme, cum 300,000 Persarum in Thessalia hybernat, lib. VIII. c. 113.	
	Classis Persica fugiens, VII. 107. 8. ad Cumas Aoliae, hybernavit, lib. VII. c. 130.	Olynthus ab Artabazo Persa expugnatur: Sed a Potidaeae obsidione aestu maris depellitur, lib. VIII. c. 127. 8. 9.
3485 *Ante Christum* 477	8. Mardonius Alexandrum Macedoniae regem Legatum ad Athenienses de pace mittit, quam illi simpliciter recusant, lib. VIII. c. 136. 140. 143.	Graeci primo vere Classem ad Aeginam colligunt, et ducibus Leotychide Rege Spartano. et Xanthippo patre Periclis Atheniense (Nam Themistocles, propterea quod a Lacedaemoniis dona accepisse ferebatur, ducatu privatus est, ut Diodorus Siculus lib. XI. c. 132. recitat) ad Delum navigant, VIII. 131. 2. IX. 90 – 96.
	Mardonius Thebas cum exercitu venit: Inde misit ad Athenienses Legatum Murichidem. Cum autem Lycidas quidam de eius postulatis ad populum ferendum esse suaderet, lapidibus obrutus est. lib. IX. c. 4, 5.	
	Mardonius urbem Athenarum incendit, et solo aequat. lib. IX. c. 18.	Inde a Sami's vocati in maiorem Asiam navigant, IX. 14.
	Postea confligens cum Lacedaemoniis, et Atheniensi-	Pausanias dux Spartani exercitus ad Plataeas cum Atheniensibus proficiscitur

Anno Mundi 3485 *Ante Christum* 477

XERX. PERSARUM REG.

bus ad Plataeas interficitur. IX. 31—62. Mensis Augusti die 3. 63 — 69.

8. Eadem die ad Mycalen minoris Asiae promontorium, Graeci terra et mari exercitum Persicum vicerunt, IX. 90. 96. 104. 106. cum quidem fama victoriae ad Plataeas eadem die ex Graecia in Asiam transvolasset. IX. 100. Xerxes interea Sardibus amori, et nuptiis operam dat, et fratris Masistae uxorem de adulterio sollicitat, unde tristis tragoedia et calamitas totius familiae exstitit, lib. IX. c. 108—113.

Allato autem nuncio de Persis ad Mycalen victis in Persiam fugit.

GRAECIAE.

IX. 25. 28. 53. 57. Et Mardonio interfecto IX. 63. 65. persas ex tota Graecia profligavit IX. 61 — 6. 70. 101.

Post praelium abstinet a captiva Coa, et non saevit in cadavera Persarum, edens hanc honestissimam vocem; ἀποχρᾷ μοὶ Σπαρτιήτῃσι ἀρεσκόμενον, ὅσια μὲν ποιέειν, ὅσια δὲ καὶ λέγειν lib. IX. c. 76. 78. 79.

Ionia tota a Persis deficit, IX. 102. 4.

Athenienses Xanthippo duce in Hellespontum navigant, ex expugnata Sesto, Artayctem sacrilegum suspendunt c. 114—119, 20. et ultima Herodoti et Thucydidis, lib. I. p. 20.

INDEX

EORUM QUAE APUD HERODOTUM SUNT MEMORABILIA.

Monitus esse debes, mi lector, Indicem hunc non ad paginas accommodatum esse, sed ad libros, et capita, in quae eos distribuimus.

C.

D.

E.

I.

M.

N.

Proverbia.

R.

Digitized by Google

T.

FINIS.




HW 2PRJ Z

